A. De opinionibus. — Errores circa hanc quæstionem plurimos Janet in ultima appendice sui operis « *Causes finales* » retulit, quos brevius indicat P. Pinard s. j. in « *Dict. theol. Vacant* », art. cit., c. 2163. Sed imprimis notanda est opinio Hermesii : contendit ultimum atque præcipuum « *finem qui* » creationis esse felicitatem rationalis creaturæ, non autem gloriam Dei (vide in eodem diction., ibid., et art. « Hermes » a Thouvenin, spec. c. 2297 ; — Scheeben, in priori loc. cit. ; — Urraburu, *Cosmol.*, p. 317). Ducti Sancta Scriptura et traditione, præsertim post declarationes concilii Vaticani, omnes theologi nostram thesim propugnant ; aliquatenus tamen differunt in modo eam exponendi, quandoque in verbis tantum.

B. De fine generatim : conspectus theoreticus. — Conceptus finis est fere immediatus. In nobis experimur inclinationes ad objecta quæ intellectus ostendit nobis convenire et quæ vocamus *bona* ; istæ inclinationes « *amor* » dicuntur. Si, sequentes eas, tendimus ad bonum, si ex istius amore quosdam ponimus actus vel aliqua operamur, bonum jam evadit *finis*. *Finis est « id propter quod aliquid fit », seu « bonum ex cujus amore procedit opus voluntatis ».*

Fine non dato, nihil fit, nulla est causa efficiens. Nam efficere est ponere aliquid contingens [1], aliquod ens determinatum quod necessarium non est ideoque exsistere nequit sine interventu cujusdam libertatis. Porro quælibet libera volitio est amor alicujus boni seu finis. Iste igitur est *prima inter omnes causas*, omnino primum principium vi cujus causa efficiens, sive ipsa volens, sive a voluntate mota, effectum producit (cf.

(1) Evidenter satis est hanc contingentiam ostendere circa omnes effectus immediatos causæ primæ. Cum sit contradictorium *Ens essentialiter independens* se adæquate reproducere, nihil nisi finitum ab eo potest effici. Sed hoc nequit fieri ex necessitate naturæ, nam nulla potest esse relatio privilegiata inter Esse divini puritatem et particu'arem determinationem entis finiti. Cur A potius quam B produceretur ? (De eis vero quæ hic et alibi ex theodicea desumimus, vide infra : G. Præsupposita).

de Pot., III, 15). Sed finis est etiam terminus ad quem opus redit, et sic *ordo intentionis et ordo exsecutionis sunt inversi.*

In nobis finis ipsam voluntatem movet, sed talem motionem in generali conceptu finis nolumus ponere. Influxus quem essentialem censemus, in *opus* voluntatis exercetur. Et quidem hoc fit mediante amore, sed iste non est necessario aliquis motus : interest hoc notare ubi de Deo agitur.

Sub conceptu generali finis, plura distinguuntur.

a) *In ipso termino*, semper invenitur aliquod *ens amatum cui* agens intellectuale vult *possessionem* alicujus *boni.*

Hoc ens amatum, sive agens ipsum, sive aliud, dicitur « *finis cui* ».

Bonum quod agens vult ei, perfectio, commodum, vel quodcumque interne vel externe ei conveniens [1], est finis materialis, « *finis qui* ».

Ipsa *possessio*, actus formaliter eam constituens (seu *quo* bonum formaliter possidetur) est finis formalis « *finis quo* ».

Si v. g. mihi volo possessionem Dei, sum mihi *finis cui*, Deus est *finis qui*, cognitio possessionem constituens est *finis quo.*

b) *Principium efficiens seu dirigens in finem* potest esse vel natura ipsa operis, vel voluntas operantis ; unde « *finis operis* » et « *finis operantis* » discernuntur. V. g. acquirere ex horologio pecuniam ad secundum pertinet.

Finis operis est *internus* aut *externus*, i. e. operis perfectio aut terminus extrinsecus ad quem naturaliter dirigitur : sic nutrire hominem est finis plantæ externus.

Si opus est naturale, ejus finis est etiam finis Dei operantis : natura enim tendit in finem sicut mota et directa ab alio intelligente et volente » (*de Pot.*, q. 3., a. 15. — Suarez, *Disp. Met.*, d. 23, s. 10, n. 5). Ex eo patet quod causalitas finis non exercetur in aliquam naturam, nisi ratione voluntatis quæ, ex amore finis, naturam constituit. Et non negatur nisi voce, scil. ab eis qui intelligunt finem operantis ut id quo iste movetur ; at videant *S. Thomam*, in II, dist. 1, q. 2, a. 1.

Distinguuntur etiam :

c) *Secundum ordinem exsecutionis : finis proximus, intermedius, ultimus.* Potest finis esse ultimus vel in aliqua serie tantum seu *secundum quid, vel simpliciter seu absolute.* Speciatim « ultimus finis qui » est ultimus secundum quid tantum :

---

(1) Cf. *Cont. Gent.*, l. III, c. 3 initio : « quod autem conveniens est alicui est illi bonum ».

Hæc convenientia potest esse mere externa, v. g. aliqua laus, obsequium dignum subjecto cui intenditur.

semper enim intenditur propter finem cui. « Ultimus finis cui » erit, ut patet, simpliciter ultimus[1]. Sic gloria Dei ordinatur ad ipsum Deum, non præcise ut medium, saltem in altera vita[2], sed ut finis *qui* ad finem ultimum *cui*.

d) *Secundum dependentiam a principio dirigente : finis efficiendus*, v. g. statua, et finis tantum *obtinendus*, v. g. fructus colligendus. Ex suo autem conceptu finis cui nec effici nec obtineri exigit.

e) *Secundum ordinem æstimationis : finis primarius* et *secundarius*, sc. quorum primus anteponendus est alteri. Ratione tantum distinguuntur aliquando ut adspectus diversi ejusdem realitatis : sic in præsenti quæstione de *fine qui interno* creaturæ rationalis (th. 1ª et 2ª).

C. Bonum. — Convertitur cum ente ; est *ens quatenus convenit ideoque est appetibile*. Summa Bonitas est ipsa Dei infinita perfectio, quatenus Deo (per essentiam possessa), et aliis entibus (possessa per participationem) maxime convenit, ideoque ab omnibus maxime est amanda. Bonitas ergo divina sumitur sensu *ontologico*, non tantum *morali* (cf. Scheeben, II, p. 202 sq., 400 sq.).

D. Gloria. — *Sensu stricto, seu formali, definitur clara notitia cum laude* (Iª IIæ, q. 2, a. 3 ; — IIª IIæ, q. 132, a. 1 ; — C. G., l. III, c. 29, initio). Est *intrinseca*, si quis seipsum cognoscit et amat ; *extrinseca*, si quis ab alio cognoscitur et amatur.

Gloriæ formali opponitur gloria *objectiva* seu *fundamentalis*, i. e. excellentia ob quam aliquis dignus est cognosci et laudari. Est etiam vel *intrinseca* vel *extrinseca*, i. e. aut ipsa excellentia ejus qui laudatur, aut perfectio alicujus operis vel effectus, quæ perfectionem auctoris vel causæ apta est manifestare.

Præscindere possumus in thesi num gloria objectiva sit necessario actu ordinata ad manifestationem et gloriam formalem, dummodo sit *natura sua fundamentum laudis* : sic v. g. communicatio boni de se Deum condecens. Sed vide 4ªm partem et conclusionem.

N. B. — Una eademque realitas potest simul esse secundum diversos adspectus gloria formalis et gloria objectiva : sic cognitio et amor

(1) Nobis inserviet ad probandam 1ªm partem. Non videtur in hoc puncto diversitas opinionum realis, etsi differunt formulæ (cf. Richard, *R. Néo-Scol.*, août 1914, p. 316 : rejicit Deum esse finem cui *utilitatis*, nos etiam).

(2) Nam in hoc « statu termini » non ordinatur ad obtinendum Deum.

Dei, ex parte hominum, simul sunt Dei gloria formalis, et donum Summæ Bonitatis unde digna est quæ laudetur ; imo sunt supremus gradus nostræ naturalis assimilationis cum Deo, maxima igitur sui ipsius nobis communicatio (cf. C. G., l. III, c. 25, 5).

E. De notione ordinationis. — Ordinatio ad finem supponit ex parte ordinatoris voluntatem ducendi ad terminum, et est directio, dispositio impressa subjecto ordinato.

Homo est simul *ordinatus* a Deo (ordinatio *externa* et *passiva*), et *ordinator* quatenus seipsum dirigit ad finem a se electum (ordinatio *interna* et *activa*). Ibi consideratur ut ordinatus.

Deus est ordinator, sed nec ab alio nec a seipso ordinatus. Movet et dirigit alia ; Ipse non movetur, nec se movet. Aliis verbis non Ejus ℵ velle sed Ejus volitum seu objectum ℵ velle habet causam finalem. « Deus, ait S. Thomas, vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. » (Iª, q. 19, a. 5 ; — cf. S. Aug., *de Gen. contra Manich.*, lib. I, cap. II ; — Scheeben, t. II, p. 355). V. g. mundus exsistit propter hominem ut finem proximum ; sic vult Deus ; sed Deus non movetur ; amat hominem, sed non vult ex amore hominis. Nullum bonum, nullus amor excitat in ipso alium amorem. Sicut omnia in seipso intelligit et ipse est intellectus in actu, ita omnia bona ab Ipso creata in sua propria Bonitate diligit et Ipse est amor in actu. Hoc exigunt simplicitas, immutabilitas, independentia perfecta Entis infiniti.

F. Sensus theseos. — His positis, sensus theseos clarius apparet : Summa Bonitas omnia ex amore sui ipsius condidit, primario volens Seipsam communicare, manifestare, Ipsamque cognosci, amari et laudari ut se decet ; sed proximi effectus et termini hujus ordinationis diversi sunt, prout considerantur in creaturis irrationalibus aut in rationalibus « interne » (cf. enuntiatum theseos), i. e. in ipsis et non in relatione ad totum.

Agitur simul de fine operis et de *fine divini Operantis*, secundum sensum quem istis vocibus tribuimus, scilicet de bono ad quod naturaliter opus tendit, *Deo ipso regente*, quin ipsum velle Dei sit motus. Divina complacentia, simplex et immobilis in se, sed quiescens in diversis objectis secundum relationem et hierarchiam valorum, bona creando et diffundendo explicat (étale) eorum subordinationem in motu creati ad Increatum et in miro consensu tendentiarum naturalium in Summam Bonitatem, mediante homine, vergentium.

G. Præsupposita. — Ut in introductione dictum est, philosophia moralis ex theodicea et psychologia pendet. Nec tamen deerit synthetica simplexque connexio totius ethicæ cum

principiis omnino primis. Veritatum enim quas ex partibus diversis philosophiæ sumimus, si schema spectatur stricte necessarium, ad pauca reduci potest.

Sic, in hac prima thesi, omnia quæ theodicea nobis præbet, continentur in Actus puri seu Entis infiniti notione, quam brevi processu obtinemus proficiscendo a qualibet exsistentia, v. g. subjecti actu cognoscentis. Nam omnis exsistentia habet, in seipsa vel in alio, rationem sufficientem ideoque exigit Ens absolute primum, non transiens a possibilitate in exsistentiam, « a potentia in actum », quod nec concipi potest ut essentia actuata (idéal réalisé), sed possidens Esse a seipso, essentialiter, non ut actuationem (réalisation), sed ut realitatem puram, purum seu perfectum actum.

Simpliciter est, sine restrictione, limitatione [1] : est Ens infinitum, est Perfectio Ipsa, eminenter continens omnem particularem perfectionem.

Ab hoc fastigio, ad quod theodicea lente prudenterque pervenit, sufficit jam descendere. Omnis perfectio *pura* seu *simplex*, i. e. *in sua ratione defectum excludens*, competit Ei qui simpliciter est, Summæ Bonitati : v. g. sapientia, sanctitas, independentia. Intellectus est et Voluntas necessario in actu, ideoque seipsum perfecte cognoscit et amat. Sibi plene sufficiens, etiam potest libere se communicare, nam hoc decet suam Bonitatem (I^a, q. 19, a. 2).

Sed volitionem non concipis sine objecto, sine bono ad quod amor tendit aut in quo complacentia quiescit, sine causa finali quæ opus explicet, si voluntas aliquid efficit. « Bonum enim et finis est objectum proprium voluntatis ; unde necesse est ut quæ ex voluntate procedunt ad finem aliquem ordinentur » (C. G., l. III, *Procemium*).

Quo de fine, Deo se communicante, jam agitur stricte determinando.

H. Nota theseos. — Generatim voco *metaphysicam* eam certitudinem quæ *omnino* omnem errorem excludit, utpote fundata in essentia rerum ; *physicam* et *moralem strictam*, certitudines quæ excludunt errorem in quantum leges physicæ aut leges morales impropriæ sunt constantes. Dicitur lex moralis impropria ille modus quo homines semper se gerunt in actibus suis liberis.

Tandem *moralem latam* appello eam certitudinem quæ excludit, non absolutam possibilitatem, sed probabilitatem erroris.

---

(1) Exsistentia entis producti restringitur secundum mensuram essentiæ idealis cujus est actuatio. Nulla autem datur ratio sufficiens cur Esse improductum restringatur ad *particularem* essentiam aut *determinatum gradum*.

Ut apparet, hæc ultima certitudo sæpe confunditur quoad rem cum duabus præcedentibus.

Quoad præsentem thesim, unaquæque pars probatur uno saltem argumento metaphysice certo. Insuper theologi afferre possunt tum textus Scripturæ, tum traditionem, tum definitionem Ecclesiæ (*Prov.* 16, 4 ; — *Is.* 26, 19, etc. ; — C. Vatic., *de fide cath.*, sess. III, cap. I et can. 5).

DEMONSTRATIO

PARS I[a]. — Deus est finis ultimus cui in hoc sensu quod omnia condidit ex amore Suæ Bonitatis, tamquam ratione ultima.

PROB. 1° — *Ex divina perfectione.* Ut jam diximus, finis absolute ultimus ad quem agens suum opus dirigit, est necessario « finis ultimus cui », i. e. ens amatum cui agens vult aliquid illi conveniens. Sed quomodo hoc ibi applicetur videbimus infra.

En argumentum ex notione Actus puri desumptum (cf. **G.** supra).

Omnis perfectio simplex Summæ Bonitati competit.

Atqui tanta excellentia quæ exigat omnibus creatis præstitui ut finis absolute ultimus, finis ultimus cui, est aliqua perfectio simplex.

Ergo tanta excellentia Summæ Bonitati competit (cf. Suarez., *Disp. Met.*, d. 24, s. 1, n. 14).

Probatur minor. Potest accipi ut evidens.

Hæc ontologica, essentialis exigentia[1] dicit perfectionem et defectum excludit. Hoc ipsum declaratur : esse finem ultimum cui :

1° excludit omnem subordinationem sui ad aliud et involvit subordinationem omnium ad se ;

2° idem dicit ac supremo dominio esse præditum (I[a], q. 21, a. 1, ad 3[um]) ;

3° idem dicit ac a nullo alio moveri et omnia alia movere (C. G., l. I, c. 74, n. 2, 3) ;

4° seu idem dicit ac esse primum omnium principium, cum istud sit necessario finale (C. G., l. III, c. 17, n. 8).

N. B. 1° Deus non est necessario finis, cum potuisset non creare ;

---

(1) Hæc notio exigentiæ est maximi momenti et quasi clavis conceptuum moralium multorum : juris, debiti, finalitatis moralis... : vide I[um], q. 21, a. 1, ad 3[um] et infra th. 21, 2[am] p., th. 32 de notione juris. Hinc etiam argumentum quod ibi proponimus videtur magis syntheticum et immediatum quam plura a diversis desumpta ex notionibus sive primi Principii (*universalis*), sive dominii supremi, etc. Supponendum est enim probatum Deum esse primum Principium omnium et in omni ordine, supremum Dominum...

nec perfectio aliqua simplex in eo est quod Deus sit finis de facto, sed in excellentia hoc exigente, creatione supposita.

2° Deus est finis, ratione actualis ordinationis creaturæ ad Ipsum, seu ratione suæ Voluntatis, necessariæ quidem in hypothesi creationis (cf. FERRETTI, p. 20-22).

PROB. 2° — *Simul ex perfectione Dei ontologica et ex amoris divini rectitudine.*

Quod Deus maxime diligit et ad quod omnia creata necessario refert est finis absolute ultimus, finis ultimus cui.

Atqui Summa Ejus Bonitas est hujus modi, cum, præ amoris rectitudine, Deus maxime diligat quod est maxime diligibile, et necessario omnia amabilia referat ad Summum Exemplar et Principium cujus sunt quasi radii, imperfectæ imagines. Ergo...

Confirmatur ex auctoritate : « Ex ipso et per ipsum, et in ipso (εἰς αὐτόν, in ipsum) sunt omnia : ipsi gloria in sæcula » (*ad Rom.* 11, 36).

« Universa propter semetipsum operatus est Deus » (*Prov.* 16,4). « Ego sum α et ω, primus et novissimus » (*Apoc.* 22,13).

Objectio. Esse finem ultimum cui et ad seipsum maxime dilectum omnia referre, est sibi velle aliquid bonum seu conveniens. Porro Deus nihil acquirere potest, sed sibi sufficiens ; tantum se communicat, et ut dicit egregie S. Thomas, « ipse rebus acquiritur » (C. G., l. III, c. 18, n. 3). Summum appetibile, sibi nihil appetit.

Respondemus : Deus sane nihil proprie acquirit : nullum emolumentum, commodum ; multo minus perficitur, cum sit Plenitudo Boni.

Sed nec « rebus acquiri » velle potest, quin talis terminus conveniat suæ complacentiæ, quin talis sui ipsius communicatio condeceat Summam Ejus Bonitatem digna sit Infinita Perfectione.

Et ita præcise S. Thomas possibilitatem creationis explicat : Bonum est diffusivum sui... « *Condecet divinam Bonitatem,* etiam alia ipsam participare ». (Ia, q. 19, a. 2). « Non vult alicui suam Bonitatem communicare ad hoc ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsam communicare est *sibi conveniens* sicut fonti bonitatis » (C. G. l. I, c. 93, n. 6) ; cf. l. I, c. 86, n. 4 ; l. III, c. 24, n. 4 ; et *de Pot.,* q. III, a. 15, ad 14, tam pulchrum ! Secunda pars theseos nonnisi hæc evolvit.

PARS IIa. — Finis qui ultimus et primarius est gloria Dei externa.

PROB. — *Excludendo alia.* Finis ultimus qui primarius creaturæ est aliquid conveniens Fini cui ultimo seu Summæ Bonitati.

Atqui nihil ex parte creaturæ convenit Summæ Bonitati nisi gloria externa (formalis aut objectiva). Ergo...

Prob. minor. 1° Nihil ex parte creaturæ convenit Summæ Bonitati nisi *externe,* cum repugnet Eam perfici ; et insuper omne conveniens est natura sua *fundamentum laudis* seu gloria saltem objectiva. Ergo...

2° Nihil convenire potest Summæ Bonitati, nisi aut quid intrinsecum seu *perfectio*, aut quid extrinsecum, i. e. vel *utilitas* ad perfectionem acquirendam (perfectionem igitur antecedens), vel *gloria externa* (perfectionem consequens, ut ejus diffusio seu condecens communicatio, aut etiam manifestatio, cognitio cum laude).

Atqui Summa Bonitas nequit accipere perfectionem, multo minus utilitatem ad se perficiendam. Cæterum utilitas numquam propter se ultimo quæritur. Ergo... Cf. Iª, q. 44, a. 4, in corp. et ad 1um ; — C. G., l. III, c. 18, 19 ; — Iª IIæ, q. 114, a. 1, ad 2um : « Deus ex bonis nostris non quærit utilitatem sed gloriam, i. e. manifestationem suæ bonitatis : quod etiam ex suis operibus quærit ».

N. B. — Divisio ultimæ majoris est adæquata (cf. *Lessius*, De perf. div., l. I, c. 1 et comment. in Iam IIæ, q. 1, a. 3 ; Ferretti, loc. cit., in probatione sua).

3 Exclusa perfectione quam Deus accipere nequit, nihil ei convenire potest ex parte creaturæ nisi aliquid extrinsecum sibi, ideo creaturæ intrinsecum (conveniens Deo per modum relationis).

Atqui quidquid est creaturæ intrinsecum est communicatio et similitudo divinæ Bonitatis seu Dei gloria externa. Nam omnia a Deo procedunt et omne agens agit simile sibi (seu nemo dat quod non habet) : « in hoc ipso quod creatura aliqua habet esse, repræsentat divinum esse et bonitatem ejus » (Iª, q. 65, a. 2, ad 1um ; — cf. de Régnon, *Mét. des causes*, p. 441). Ergo...

PARTES IIIª et IVª. — Gloriam externam Dei creaturæ irrationales tantum objectivam, rationales vero tum objectivam, tum formalem interne attingunt.

PROB. — *Ex natura creaturæ.*

Creatura irrationalis sua propria perfectione repræsentat quidem divinam Bonitatem, non autem eam cognoscit et laudat ; creatura rationalis e contra simul eam repræsentat et propriis actibus cognoscit atque amat. Ergo... (cf. Iª, q. 65, a. 2).

SCHOL. — Requiritur in mundo creatura rationalis quæ ad gloriam Dei formalem destinetur.

PROB. — *Ex necessitate veræ gloriæ* (datur ut probabilius saltem).

Finis primarius creaturæ est aliquid Deo externum, vere Deum condecens (cf. 2ª pars).

Atqui nihil externum vere Deum condecere potest, nisi :

1° aut *ipsa gloria formalis* ;

2° aut *manifestatio ut talis* divinæ perfectionis : necessario ad creaturam rationalem [1] et ad laudem Dei dirigitur, cum manifestatio sit nulla nisi fiat intellectui nondum cognoscenti [2] nec condeceat nisi sit ad laudem Deo debitam ; cæterum eo ipso quod creatur, natura rationalis, necessario destinatur ad felicitatem seu ad Dei cognitionem et amorem (cf. th. 2 et sq.) ;

3° aut *Dei liberalitas vera*, ideoque ut terminum habens creaturam consciam, capacem fruendi, et eam destinans ad beatitudinem ; tunc reducimur ad considerationem præcedentem ;

4° aut *diffusio et quasi multiplicatio* boni divini per similitudinem ; decere non videtur, nisi pertingit ad similitudinem cum vita conscia Dei, et tunc requiritur ulterior terminus ut supra (cf. alias considerationes : C. G., l. II, c. 46 ; — vide etiam l. III, c. 99 in fine ; c. 112 ; — 1ª, q. 93, a. 2, ad 3um ; — de Ver., q. 20, a. 4).

Ergo finis primarius includit necessario gloriam formalem (cf. Hontheim, p. 761).

CONCLUSIO

Solvendo quæstionem generalem — et valde complexam — quam in thesi spectamus, duos errores oppositos imprimis vitare debemus : *theoriam « egoismi »*, quæ, ut melius salvaretur universalis subordinatio creaturæ ad Deum, ideam divinæ erga nos benevolentiæ omnino negligeret ; — et *theoriam Hermesii* qui, ut melius hæc idea salvetur, subordinationem ad Deum prætermittit.

Extollere *primatum aut gloriæ tantum formalis*, obsequii quod Deus sibi debet a nobis exigere, *aut e contra solius decoris objectivi* quod de se Summæ Bonitati provenit ex liberali ipsius communicatione, esset aliquatenus ad unam aut alteram sententiam prædictam accedere.

Media via nobis plus arridet. Primarius scopus creationis est *quidquid externe Deum condecet et de se est ejus laudi.*

In quo formalis gloria includitur quin, ut talis, necessario cætera superet. Difficile enim est comparare gloriam *objectivam* quam Deus *sibi præbet* sua liberalitate, se communicans absque proprio commodo, et gloriam quam *sibi debet a crea-*

(1) Lato sensu saltem rationalem (cf. coroll.).

(2) Quando humanus artifex opus exsequitur, sibi magis manifestat suum « ideale » et stabile facit atque sensibile ; nihil simile invenitur apud divinum Auctorem, cujus « scientia est causa rerum » ; nonnisi alteri manifestare aliquid potest.

tura exigere, laudem, formale obsequium [1]. Constituunt duos diversos ordines, quorum nullus absolute præstat alteri ; aut potius una ad alteram invicem ordinantur, mutuo sese postulant et complent, tandem plene conjunctæ evadunt in termino ad quem tendunt entia rationalia, in una eademque realitate, quæ donum perfectum est simul Dei enti creato et istius Deo, nempe beatitudo nostra, cognitio et amor Summæ Bonitatis. Tam ampla decoraque ordinatio uno verbo resumi potest : *amicitia*. Jam in ordine mere naturali Deus omnia disponit ut simus ejus amici, qui scilicet et Eum diligant et ab Eo diligantur, qui Ei conjuncti per mutuum istum amorem — in unitate quam ordo visionis beatificæ ineffabiliter perficit — Ei exhibeant simul ac Ipse in eis exhibeat gloriam suam. Adeo esse liberalem et in talibus obsequiis benigne acquiescere, non ista exigere nisi ut absolvatur ordo a quo infinita Majestas nequaquam recedere potest [2], quin plenitudo Ejus gaudii et internæ gloriæ ullo modo augeatur. Summam Bonitatem mire condecet, sed *concluditur in pulchritudine ordinis et in benevolentia*, cum nihil Deus acquirat, « Ipse acquiratur » [3], « proficiat servus, non Ille cui servitur » [4] ! *Et sic Deus ad seipsum omnia referens, se manifestat ut divinam Caritatem.*

Hic duplex motus amoris qui a Deo venit, ad Deum redit, pulchre a Pseudo-Dionysio descriptus fuit ut perpetuus circulus « propter bonum ex bono in bono ad bonum », ita ut Infinita Bonitas et omnis boni Bonum quasi se expandat quin divina relinquat : « non egrediendo exit » (*De divinis nominibus*, cap. 4, § 13, 14. — Cf. textum partim cit. et commentarium apud Scheeben, *Dogm.*, t. II, p. 397 ; et in fine nostri opusc. « *Probl. fond...* »).

Quidquid est tandem de diversis modis aut adspectibus divinæ gloriæ, certe asserendum est Deum esse finem ultimum cui, proindeque, in Ejus communicatione creaturis, respectum pri-

---

(1) Sicut corrigere oportet sententiam Hermesii, ulterius progrediendo, saltem ascendendo a felicitate creaturæ usque ad Deum Ipsum et liberalitatem quæ Fonti omnis bonitatis convenit, ita, ex opposito, a perfectione Dei, sibi obsequia vindicantis, omnem ambitionem aut cupiditatem prorsus esse alienam debemus asserere. Infinitam gloriam et beatitudinem in se possidens, laudem a creaturis non petit nisi quam exigit Perfectio Sua infinita, quæ satis respondeat amori suo, et sine qua aliquid deest decentiæ sui operis.

(2) Cf. *Conc. Colon.*, l. c. in « Coll. Lac. » t. V, c. 292.

(3) *C. G.*, l. III, c. 18.

(4) Sic Magister sententiarum, initio lib. II operis sui. Ita etiam Bossuet : « Il n'en retire aucun bien que celui d'en faire aux autres... La grande gloire de Dieu, c'est d'être libéral à sa créature » (2e sermon pour la Circoncision, Metz, vers 1656. Edit. Lebarq, t. II, p. 100). Tandem Monsabré : « c'est à la créature que revient en définitive tout le bien communiqué par l'acte créateur. Ce bien reconnu, estimé, admiré, goûté par les êtres intelligents, devient la gloire de Dieu, mais il n'est gloire que parce qu'il est bien, et la gloire n'est si grande que parce que le bien est le don parfait d'un amour parfaitement désintéressé. » (*Conférences de N.-D.*, 1874 : 12e conf., II).

marium esse non ad istas, sed ad Ipsum, non istarum satietatem, sed id quod externe divinæ Bonitati convenit. Hinc etiam sequetur conclusio, — *etsi ad primum caput Ethicæ non proprie pertinens,* — circa modum quo homines debent ad Deum activitatem suam dirigere. Cum enim sua suprema Voluntate eos ordinaverit, oportet ut ad Ipsum tendant secundum ejus consilia, quæ cæterum non nisi imponunt rectum et necessarium ordinem (cf. *theses* 19, 21).

Ideoque necesse est ut quærant Ejus gloriam primario quatenus hæc divinam Bonitatem condecet, secundario tantum quatenus, agnoscendo et amando summum Bonum, propriam beatitudinem prosequuntur (cf. th. 2, 3. Fusius tractabimus hanc quæstionem in thesi 37; lege Richard, art. cit., col. 2490).

COROLL. — **Hujus mundi sensibilis finis cui secundarius seu proximus est rationalis creatura.**

Ferretti, th. IV; — Monsabré, XVII^e^ conf.; — *C. G.*, l. III, c. 22; — in IV sent., d. 48, q. 2, a. 1; — de Broglie, *Le présent et l'avenir du catholicisme* (Plon, 1892), p. 134 seq. contra Taine, *Origines de la France contemporaine*, I, p. 222; — Urraburu, *Cosmol.*, I, p. 322, textus et objectiones; — Pinard, *art. cit.*, circa adspectum theologicum quæstionis et adversarios, c. 2171.

Ordinatio proxima totius mundi adspectabilis ad hominem (nos autem ponimus : « ad creaturam rationalem ») hodie negatur a multis, tanquam experientiæ scientificæ contraria. Admittere v. g. nolunt tam multas stellas fuisse conditas propter incolam istius minimi planetis qui terra vocatur. Cum tamen sententia nostra (minus determinata quam ea quæ impugnatur) habeat, saltem quoad affirmationem facti, fundamentum firmum in Scriptura et in traditione, et insuper lumen afferat circa vera officia hominis, interest spectare philosophicas rationes quibus niti potest.

1° Argumentum saltem valde probabile jam fuit allatum in scholio post 4^am^ partem.

2° Convenit omnino inferiora subordinari entibus superioribus (C. G., l. III, c. 22).

Confirmatur : Experientia docet hominem adhibere omnia rerum genera ad suum proprium bonum, sive ut se nutriat atque vestiat, sive ut contempletur vestigia Summi Boni, etc. (S. Thomas, l. c.).

N. B. — *Ad solvendas objectiones :*

1° Ut supra monuimus, volitioni Dei non assignatur *causa finalis*. Causa enim importat dependentiam effectus; jam Deus est summe independens. Aliquando vocatur *ratio finalis*, id quod primario

amatum est ratio cur alia sint volita ; sic Bonitas divina a divina voluntate amatur.

2° S. Thomas dicit (IIª IIæ, q. 132, a. 1, ad 1um) Deum non quærere gloriam suam « propter se, sed propter nos ». Sanctus Doctor non intendit dicere hominem esse ultimum finem cui, sed negat Deum accipere pro se *utilitatem* ex creatione. Cf. Comment. *Cajetani* et q. 81, a. 6 : « Deo non exhibetur aliquid propter ejus utilitatem, sed propter ejus gloriam, nostram autem utilitatem ».

Obj. 1. « Qui honorem quærit, etsi illum mereatur, est ambitiosus ; ambitio autem secundum rationem et revelationem est reprehensibilis et prohibita » (Hermes, *Dogm.*, II, § 177). Ergo Deus honorem non quærit.

Resp. Qui honorem *vult* propter excellentiam infinitam quæ eum *exigit*, *nego* ; propter excellentiam finitam, *subd.* : si deordinate, v. g. non referendo ad ultimum finum, *conc.*, si ordinate, *nego*. Porro divina Excellentia essentialiter exigit creata ad Ejus honorem ordinari. « Qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit se » (S. Aug., *tr. 58 sup. Jo.*). Hinc apud Isaiam (48,11) : « Gloriam meam alteri non dabo ». — Cf. IIª IIæ, q. 132, a. 1 ; — Scheeben, t. III, n. 92. Vide etiam sequens responsum.

Obj. 2. « Deus caritas est ». Porro « caritas non quærit quæ sua sunt, sed quæ alterius » (*I Cor.* X, 31).
Ergo Deus non quærit gloriam suam.

Resp. « Secus est in nobis et in Deo : nam in nobis bonum proprium differt a bono communi : sed in Deo bonum suum est bonum commune, nam ipse est bonum omnis boni » (S. Bonaventura, l. c., a. 2, q. 1, ad 1um). Cf. *C. G.*, l. III, c. 24, n. 4.
Aliis verbis : divinæ Bonitatis communicatio, manifestatio et laus sunt perfectio creaturæ et ei soli prosunt.

Obj. 3. Repugnat Deum intendere bonum finitum. Atqui gloria ejus externa est finita (cf. Janet, l. c.).

Resp. *Dist. maj.* : ita ut ad bonum finitum tanquam finem *absolute* ultimum se ordinet, *conc.*, ita ut illud tanquam finem *secundum quid* ultimum ordinet ad seipsum, *nego*. — *Cont. dist. min.*

Obj. 4. « Ille finis est principalior, quem natura magis appetit ». Atqui creatura magis appetit suum commodum quam Dei gloriam. Ergo...

Resp. S. Bonaventura (l. c. ad 2um) : « natura deficiens in se recurvatur : ideo proprium bonum desiderat et ideo suum commodum. Natura vero perfecta amore caritatis sursum elevatur, et multo magis improportionaliter Dei gloriam desiderat, quam utilitatem propriam, ut patet in habentibus caritatem ». Valet de recta dilectione etiam naturali. Cf. S. Thom., Iª, q. 60, a. 5 ; — Iª, IIæ, q. 109, a. 3 ; — q. 2, a. 7, ad 2um (optimum) cum loc. ibi cit., et supra : nostram conclusionem.

Obj. 5. Ille finis principalior est, qui effectum magis perficit... Sed Dei fruitio magis animam perficit, quam Dei laudatio... »

Resp. S. Bonaventura (l. c. ad 4um) : « Laus imperfecta minus perficit animam quam fruitio, sed non sic laus perfecta (scil. in altera vita), quia anima magis lætatur in gloria : et plus gaudebit de Dei gloria et honore, quam de sua glorificatione ; et plus jucundabitur in laudando, quam in considerando proprium bonum... »
Insuper nota gaudium non esse supremam perfectionem hominis sed eam consummare tantum. Cf. Iª IIæ, q. 3, a. 4.

Obj. 6ª. Inter finem et illud quod est ad finem, proportio requiritur. Atqui inter Summam Bonitatem et creaturam nulla proportio. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* : requiritur proportio *entitatis* seu *commensurabilitas*, *nego*, proportio *habitudinis* seu *conveniens relatio*, *conc.*, scil. requiritur capacitas quædam in eo quod est ad finem.

Obj. 7ª. Repugnat Deum perfici. Atqui Deus, creans propter se, perficitur. Ergo... *Prob. min.* : *Gaudere* communicatione, manifestatione suæ Bonitatis et amore creaturæ erga Seipsum est perfectio. Atqui Deus, creans propter se, hoc gaudium acquirit. Ergo...

Resp. *Nego utramque min.* Deus nihil acquirit ; solum *objectum secundarium gaudii* Ejus, *non ipse actus* pendet a creatione (Lessius, *De perf. div.*, l. XIV, c. 1, n. 9).

Et quidem Deus non negligit diligi aut non diligi. Vult dilectionem, et cum omnis Ejus voluntas sit quies et complacentia, gaudet etiam nostra dilectione 1. Et talis consideratio nobis debet esse stimulus ad magis atque magis Deum amandum.

Quomodo autem, præstito annon a creatura tali objecto divini gaudii, actus ipse Dei gaudentis immutatus remaneat, mysterium est, sicut actum Dei cognoscentis immutatum remanere, sive ad talem determinationem liberam creaturæ sive ad aliam terminetur, prout tali aut tali modo creatura realiter agit.

Attamen addere possumus : gaudere omni bono perfectio est, non autem gaudere tali bono creato *potius quam* alio.

Item scire necessario omne cognoscibile est perfectio, non autem hoc futuribile *potius quam* aliud cognoscere. Hinc apparet quomodo nulla Dei perfectio a creatura pendeat.

Contra corollarium : Ea quæ homo non videt et ei non inserviunt, non ordinantur ad manifestandam ei Summam Bonitatem nec ullo modo ad hominem. Atqui multa sic se habent. Ergo (Scheeben, t. III, nº 99).

Resp. 1º Corollarium est de creatura rationali aliqua, non tantum de homine.

2º *Dist. maj.* : Quod nullo modo homini inservit, nec ab eo *cognoscitur* non ad eum ordinatur, *conc.* ; quod non ei inservit *immediate* et non ab eo *videtur*, *nego*. — *Cont. dist. min.* : multa nullam utilitatem præbent homini nec proxime nec remote, nisi in ordine cognitionis, *omitto* ; quod ad cognitionem attinet, multa sunt quæ non *videt*, *conc.* ; quæ *nullus cognoscit*, *nego et affirmare non potes*. Hoc enim scienter affirmare supponit te ea jam aliquo modo cognoscere. Et quidem multa non vides et tamen plus minusve scis exsistere, ex effectibus (v. g. ex spectro stellarum), aut ex inductione, analogia. Hæc cognitio, ex eo quod scis eam imperfectam esse, te excitare debet ad laudandam Dei sublimitatem. Etenim jam multo tibi splendidior apparet magnificentia divini operis tam longe excedentis potentiam visionis tuæ etiam instrumentis auctam, et facilius Eum exaltare potes, quam si cognosceres te omnia creata *visu* attigisse. « Dieu a créé toutes ces choses, non pas pour qu'on *les* vît. mais pour qu'on *le* vît prodigue » (Pinard, *Dict. theol.*, l. c., c. 2168).

Alia : Urraburu, *Cosmol.*, p. 327 cum resp. S. Thomæ ibi cit.

---

(1) « Deus de omni bono gaudet » (*C. G.*, l. I, c. 90, n. pene ult.).

ARTICULUS II

DE FINE ULTIMO HOMINIS SECUNDARIO

In thesi secunda et sequentibus, nova methodo, scil. directe proficiscendo ab ipsa natura hominis, statuitur ad quemnam ultimum finem internum iste destinetur. Hic finis, ut apparebit ex 3ª thesi, realiter convertitur cum gloria formali quam homo in statu termini Deo præbet. Dicitur secundarius in sensu jam explicato [1], scil. ut subordinatus non re, sed ratione gloriæ Dei.

§ I. — De beatitudine in communi.

THESIS II. — Homo a Deo destinatur ad perfectam beatitudinem, — tanquam ad ultimum finem qui internum secundarium.

Iª IIæ, q. 1, a. 5-8; — Lessius, *De summo bono*, t. I, c. I et II; — Sertillanges, *S. Thomas*, t. II, ch. IV, p. 289 sq.; — *Dict. de Th.*: Gardeil, art. « *Béatitude* »; — Janvier, *Carême 1903*; — Ferretti, p. 42 sq.

STATUS QUÆSTIONIS

1. — ***De fine***, cf. *th. præced. St. Q., B.*

2. — ***Destinare*** est velle efficaciter ad terminum ducere.

3. — ***Beari***, secundum vulgarem sermonem idem dicit ac *perfecte satiari*. Ex analysi hujus obviæ notionis conficitur classica definitio: *« Stabilis possessio summi et perfecti boni »*.

Etenim non perfecte satiatur : 1° qui bonum amittere potest, seu non stabiliter possidet ; 2° cujus naturali capacitati et tendentiæ non fit satis. Porro intellectus et voluntas hominis se extendunt ad objectum illimitatum, scil. omne verum et bonum. Unde nonnisi plenitudo boni potest implere intellectivam capacitatem et rationali tendentiæ satisfacere.

Insuper *boni possessio* de qua agitur non intelligenda est :

1° In sensu materialis detentionis ut esset v. g. possessio horologii de facto ; sufficiet forsan *possessio « intentionalis »*, i. e. *per cognitionem* ;

2° Nec in sensu *possessionis juridicæ*, cujus titulo aliquis ad arbitrium suum disponere potest de re possessa.

(1) Cf. th. I, *St. quæst.*, B, in fine ; et conclusionem ejusdem theseos.

3° Est autem *possessio mere fruitiva, sc. conjunctio cum bono aliquo, qualem fert natura tum possessoris tum istius boni, et in qua appetitus quiescit.*

Tandem possessio perfecti boni ab homine, etsi istius capacitatem expleat, *absolute* tamen remanet *imperfecta* quoad *modum conjunctionis. Objectum* quidem plenitudinem bonitatis præbere debet et *totum* est possidendum, sed ut aiunt, non *totaliter*, i. e.: *actus quo possidetur est imperfectus* ob conditionem creaturæ.

In hac thesi non quærimus ubinam plenitudo boni inveniatur nec quonam actu summum bonum possideatur ; agitur ergo de beatitudine *indeterminate. In thesibus sequentibus* sermo erit de beatitudine *determinate*, prout constituitur tali objecto et actu.

4. — Sola beatitudo definita ut supra *formalem* et *perfectam* rationem beatitudinis exhibet. Dicitur *subjectiva*, quia est *status subjecti. Ei opponitur* :

1° *beatitudo objectiva*, seu *objectum satians*, « *bonum* perfectum, quod totaliter quietat appetitum » (I^a II^æ, q. 2, a. 8) ;

2° *beatitudo imperfecta*, seu possessio quælibet alicujus boni, non satians.

5. — Spectamus beatitudinem hominis tantum *naturalem*, seu *quæ aptitudini tendentiæque naturæ puræ* (i. e. *sine donis gratiæ*) *respondet.* Ad theologos pertinet considerare beatitudinem supernaturalem, quæ scil. naturæ capacitatem et exigentias superat.

Præscindimus igitur ab ordine gratiæ, visionisque Dei beatificæ, ad quem homo de facto elevatus est.

Natura autem *pura cognosci potest per experientiam,* nam ejus facultates remanent saltem *intrinsece* eædem in natura lapsa (I^a II^æ, q. 85, a. 1 ; — Le Bachelet, *Le péché originel dans Adam et ses descendants*, coll. *Science et Relig.*, I, p. 30 sq. ; — ejusdem, art. « Péché originel », *Dict. apol. d'Alès*, spec. c. 1747 sq., cf. c. 1754 ; — *L'Ami du Clergé*, 31 janv. 1924, p. 71, nota).

6. — Quid præcise intelligatur nomine *naturæ* ex aliis partibus philosophiæ notum est : nempe est *ipsa essentia, prout est principium operationis.*

7. — In argumentatione distinguitur duplex *appetitus* seu *inclinatio in bonum* : *elicitus* scilicet et *innatus.*

Appetitus *elicitus* est actus vitalis tendens in bonum cognitum ; dicitur *sensitivus* aut *intellectivus* (*voluntas*), secundum quod oritur ex cognitione sensitiva aut intellectiva.

Appetitus *innatus* est *ipsa natura prout ad bonum inclina-*

tur, nec cognitionem supponit (I^{a} II^{æ}, q. 6, a. 4 ; q. 26, a. 1). Est igitur *non motus*, sed *principium seu activa dispositio* et *tendentia in actu primo*, qua subjectum movebitur naturaliter, proposito et alliciente objecto[1].

Nota theseos : Utraque pars est metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I. — Homo a Deo destinatur ad perfectam beatitudinem.

PROB. — Qui appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem a Deo ad istam destinatur.

Atqui homo appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem.

Ergo...

Prob. maj. : Tendentias in natura imprimere, absque voluntate istam ducendi ad terminum,

a) ratione sufficienti caret ideoque repugnat Dei sapientiæ ;

b) naturam infelicem redderet et proinde contradiceret infinitæ bonitati[2].

Ergo...

Prob. min. : *I.* (*Ex natura voluntatis seu appetitu boni*). Ille appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem, qui natura voluntatis suæ tendit ad bonum ut tale, ideoque etiam ad bonum sine limite[3].

---

(1) Idem sunt realiter : *substantia* (in ordine entis), *natura* (in ordine actionis), *appetitus innatus* (in ordine finalitatis).

(2) Nec ibi arguimus analogice ex nostra sapientia aut bonitate, sed per analysim immediate, rejiciendo imperfectionem a sapientia aut bonitate Dei (cf. notam seq. et obj. 2).

(3) Ab objecto *formali* voluntatis, quod est *bonum*, transimus ad ejus objectum *adæquatum* seu satians, quod est bonum illimitatum.

Fusius sic explicatur : qui natura voluntatis suæ tendit ad bonum ut tale (præscindens a limite) etiam tendit ad bonum sine limite (limitem excludens). Nam qui natura sua tendit ad bonum præscindens a limite, per se et modo stabili non satiatur bono finito, sed, eo possesso, adhuc natura sua in actu primo trahitur, active disponitur ut tendat ad complendum bonum, ratione objecti formalis facultatis suæ ; et quiescere naturaliter modoque stabili nequit, nisi possesso objecto materiali quod expleat suam capacitatem tendendi. Hoc objectum materiale est plenitudo boni seu bonum excludens limitem. (cf. I^{a} II^{æ}, q. 1, a. 5).

Nota duplex discrimen cum tendentiis inferioribus et brutorum facultatibus, quæ : 1° subordinantur utilitati hominis spirituali ; 2° non habent ut objectum rationem abstractam boni. E contra : 1° tendentia hominis ad bonum perfectum non subordinatur utilitati superiori, nec cedere debet per se intentioni divinæ gloriæ nisi secundum æstimationem, adeo ut per se saltem quo magis pleni udo boni intenditur, eo plenior Deo praebeatur gloria ; 2° intellectus cognoscit et proponit voluntati bonum sub ratione boni, præscindens igitur a limite. « Quidquid homo appetit, appetit sub

Atqui talis est homo (cf. DE LA VAISSIÈRE, *Phil. nat.*, th. 48). « Appetitus autem humanus, qui est voluntas, est boni universalis » (I^{a} II^{æ}, q. 2, a. 7 ; cf. I^{a}, q. 105, a. 4).

Ergo...

Totum argumentum sic resumi potest : Infinita Sapientia et Bonitas certe vult appetitum humanum satiari. Atqui bono summo non adepto, appetitus non satiatur cum remaneat in potentia ad bonum. Ergo...

(Plenitudo entis ad quam homo per voluntatem suam tendit sub ratione boni, ab eo possidebitur per intellectum : cf. Th. IV).

II. (*Magis directe, ex eo quod homo vult perfecte satiari*). Ille appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem qui

a) nunquam sincere potest velle oppositum beatitudinis (specificatio seu directio tendentiæ est necessaria) ;

b) necessario, saltem aliquoties in sua vita, plene satiari desiderat (exercitium voluntatis, seu positio actus, est necessarium).

Atqui talis est homo, teste experientia.

Ergo...

Ultima major immediate apparet ex principio rationis sufficientis.

Cf. LESSIUS, *op. cit.* c. II ; — FERRETTI, *loc. cit.* ; — S. AUG., *de Civ. Dei*, l. X, c. 1, etc. (cf. Ferretti).

PARS II. — Perfecta beatitudo est finis ultimus qui hominis internus secundarius.

PROB. — Ordinationis terminus, qui

1) est supremum hominis bonum internum, suprema ejus perfectio ;

2) et, ut bonum creaturæ, saltem ratione subordinatur gloriæ conditoris ;

est *finis ultimus qui* hominis *internus secundarius.*

Atqui talis est perfecta beatitudo.

Ergo...

COROLL. — Sunt igitur rejiciendæ sequentes theoriæ :

1. — Theoria KANTII (*Crit. r. prat.*, trad. PICAVET, p. 222) :

---

ratione boni » et sic implicite tendit ad boni consummationem (I^{a} II^{æ}, q. 1, a. 6, 7) : appetitus *boni* non satiatur *aliquo bono*. Vide adhuc : *de Reg. princ.*, l. I, c. 8 ; — *C. G.*, l. III, c. 48 ; — LESSIUM, *op. cit.*, l. I, c. II, n. 4 ; — SUAREZ., *de ult. fine*, d. 5, s. 1, n. 7 (t. IV, p. 48) ; — SCHIFFINI, *Eth.*, p. 33, 41 ; Met. sp., t. II, n. 359 ; — MEYER, t. I, th. VI.

Humanæ voluntatis destinatio in eo consistit, non ut summum bonum obtineat, sed ut perpetuo progressu tendat ad istud *efficiendum*, quin unquam perveniat. Postulatur immortalitas animæ ut hujus progressus conditio.

Nota Kantium 1) gratis asserere objectum voluntatis creatæ esse summum bonum *efficiendum*,

2) assignare ut primum movens voluntatis, objectum ei essentialiter inaccessibile proindeque ei non bonum. « Nihil enim movetur ad quod impossibile est pervenire » (C. G., l. III, c. 2),

3) solam sanctionem sufficientem ordinis moralis tollere (cf. th. XXII), eo magis quod asserit hominem numquam fore certum se in progressu perseveraturum esse ;

sed præsertim vide argumentum supra expositum in 1ª parte theseos.

(Ahrens aliique fere simile quid dicunt).

2. — Theoria Schleiermacher, Wundt ; cf. etiam Fouillée (*Morale des idées forces*), W. James (Vid. *R. de Phil.*, 1 nov. 1912, p. 564 sq.), etc...

Homo individuus subordinatur perfectioni generis humani semper majori.

Præter negationem præsentis theseos, vel ut postulatum assumunt humanitatis progressum, vel istius mera probabilitate sunt contenti (Vide Fouillée, *Eléments sociol. de la mor.*, 1905, p. 355 ; — de Greef, *Le transformisme social*, 1895 ; — Finot, *Progrès et bonheur ;* — Ferrière, *Loi du progrès* (multa documenta) ; — Benjamin Kidd, *Evolution sociale ;* etc...

Crisim invenies apud Franck, S. J. (trad. a germ. lingua in angl.) : *The theory of Evolution ;* — Chanoine Laminne, *La théorie de l'Evolution* (circa Spencer). — Vide Mgr d'Hulst, *Conf. 1891*, p. 84 ; — Bergson, *Evol. créatrice* (initio) ; — Boutroux, *Congrès de phil. 1905 ;* — Anthony, *La force et le droit*, p. 98 sq., 188 ; etc.

Dicemus : Scientiæ et operosæ artes generatim progrediuntur, unde etiam copia rerum quæ vitæ inserviunt ; sed non necessario perfectio moralis, nec felicitas temporalis etiam in ordine materiali.

3. — Theoria *pessimismi* (cf. infra, *de falsis systematibus* in fine ethicæ generalis) : Secundum hanc theoriam nulla beatitudo possibilis esset ; exindeque « velle vivere » esset negandum.

Obj. 1ᵃ. Appetitus qui potest frustrari non probat destinationem. Atqui appetitus innatus frustrari potest, v. g. in brutis.
Ergo appetitus innatus v. g. beatitudinis non probat destinationem.

Resp. *Conc. maj.* ; *nego min.* (cf. notam 3, p. 19). Appetitus innatus est ipsa dispositio naturæ ad bonum. Porro in brutis dispositio naturæ, adæquate sumpta, non præscindit ab ordinatione ad hominem, ideoque non refertur ontologice ad bona etiam singularia et materialia nisi dependenter ab utilitate creaturæ rationalis ; ad summum vero bonum possidendum bruta nullam habent capacitatem et tendentiam (Cf. Cathrein, obj. 1ᵃ).

Obj. 2ᵃ. Arguimus ex Sapientia et Bonitate divina. Atqui nescimus quid importent in Deo hæc attributa.

Resp. *Ad. min.* : non ea cognoscimus adæquate, *conc.* ; nihil de eis certo scimus, v. g. ea excludere omnem defectum in consiliis et decretis Dei, *nego.*

Obj. 3ᵃ. Appetitus naturalis rationem sufficientem haberet in ordinatione ad progressum indefinitum (Cf. Kant, l. c.).

Resp. Si progressus posset aliquando satiare naturam modo stabili, *conc.* si semper relinquit eam in potentia ideoque frustratam, *nego.* Porro talis ordinatio esset ad bonum semper finitum, quo non impleretur capacitas humana, « appetitus boni universalis ».

Obj. 4ᵃ. Quod a multis ignoratur non appetitur a natura. Atqui multi ignorant quid sit beatitudo. Ergo...

Resp. *Dist. maj.:* Quod prorsus ignoratur in debitis conditionibus naturæ humanæ, *conc.*, quod cognoscitur implicite, *nego. Cont. dist. min.* Multi ignorant in quonam objecto et quonam actu sit beatitudo, *transeat,* ignorant quid sit beatitudo in communi, *nego* (Iª IIæ, q. 5, a. 8, ad 1ᵘᵐ).

Obj. 5ᵃ. Id a quo multi se avertunt non appetitur a natura. Atqui multi se avertunt a possessione Summi Boni. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : Si omnino se avertunt, *conc.* ; si retinent tendentiam implicitam, *nego. Cont. dist. min.* : Se avertunt a prosecutione efficaci Summi Boni, *conc.*, a prosecutione implicita seu interpretativa Istius (cf. art. III, p. 35), *nego*, cum ex necessitate physica semper intendant satiari.

Obj. 6ᵃ. Voluntas Dei frustrari nequit. Atqui destinatio ad beatitudinem apud damnatos frustraretur. Ergo talis non est voluntas Dei.

Resp. *Dist. maj.* : Voluntas absoluta etiam ex parte termini, *conc.* ; voluntas cujus terminus est hypotheticus, *subdist.* : nequit frustrari sensu proprio, *conc.*, sensu improprio (quatenus conditio statuta deest), *nego. Cont. dist. min.*

Obj. 7ᵃ. Quod est indeterminatum non est reale. Atqui appetitus beatitudinis in communi est indeterminatus. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : Quod est indeterminatum in concreto non est reale, *conc.* ; quod concipitur præcisive ut indeterminatum, *subd.* : non est reale secundum id quod concipitur, *nego,* secundum modum quo concipitur, *conc. Cont. dist. min...* est indeterminatus in concreto, *nego* (quisque quærit satiari in aliquo objecto determinato), concipitur ut indeterminatus præscindendo ab objecto quo unusquisque satiatur, *conc.*

§ II. — De Objecto beatitudinis.

THESIS III. — Deus est objectum beatitudinis humanæ necessarium et per se sufficiens.

Arist., *Ethic. Nic.*, l. 1, c. 5 et sq. — S. Thomas, I ª II æ, q. 2 ; *C. G.*, l. III, c. 25-36 — Lessius, *De summo bono*, l. 1, c. 3 et seq.; — Serteillanges, *op. cit.*, II, p. 302-309 speciatim ; — et alia cit. in *th. præc.*

STATUS QUÆSTIONIS

Duo asserimus : 1° possessionem Dei esse *necessariam* ut homo perfecte beetur,

2° hanc possessionem *per se sufficere*. Sensus secundæ partis explicandus est.

Dicitur Deum esse objectum beatitudinis :

1. — « *Sufficiens* ».

a) non eo sensu quod immediate possit attingi, seu sine medio creato. Præter Deum excludimus aliud *objectum necessarium possessionis* beatificæ, non *speciem qua possidetur*. In ordine enim naturali Deus nequit cognosci intuitive, etiam post hanc vitam, sed intelligitur tantum abstractive, analogice, per speciem seu repræsentationem creatam, ex creaturis haustam aut a Deo infusam. Attamen species est, non *id quod* primum et præcipuum possidetur, summum bonum, objectum essentiale beatitudinis, sed tantum *id quò* anima istud fruitive possidet (vide th. IV). Deus ipse cognoscitur et possidetur modo proportionato naturæ.

b) non eo sensu quod alia bona accidentalia excludantur a beatitudine, v. g. societas amicorum.

c) sed eo sensu quod naturam humanam satiare potest dummodo ab ista possideatur.

2. — « *per se sufficiens* », id est satians non ex eo quod alia bona necessario secum affert, sed quod sua bonitas, propter se amata, ipsa aliquo modo possidetur (modo isto et ista mensura quæ humanæ capacitati in concreto conveniunt), etsi non praeberet secum alia bona. Vide Suarez, *De ult. fine*, d. V, s. 2, præsertim n. 4 (ed. Vivès, t. IV, p. 50).

Nota theseos : Utraque pars est metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I. — Deus est objectum beatitudinis necessarium.

PROB. I. — *(Directe ex thesi II)*. Ille est objectum beatitudinis necessarium, in quo solo summum et perfectum bonum invenitur.

Atqui in Eo solo invenitur qui est Ipsum Esse, « Bonum omnis boni ».

Ergo... (cf. Iª IIæ, q. 2, a. 8).

PROB. II. — (*Indirecte, excludendo diversis modis cetera bona*). Illud est objectum beatitudinis necessarium, præter quod nullum bonum *ex se capacitatem naturæ rationalis* explere potest[1].

Atqui præter Deum, nullum bonum ex se...

Ergo...

Prob min. : Nullum bonum *ex se capacitatem naturæ rationalis* explere potest, quod

1° natura sua est instabile, nec excludit malum ;

2° compleri indiget, recte est ad aliud ordinandum, appetendum ob præstantius bonum (ut finem obtinendum aut saltem motivum), ideoque non est summum bonum.

Atqui præter Deum talia sunt omnia bona.

Ergo...

Prob. min. : Præter Deum sunt bona externa, bona corporis, bona animæ interna.

Atqui

1° saltem bona externa (materialia aut socialia) et bona corporis sunt natura instabili generatimque malis admixta, ut experientia constat et ex corruptibilitate materiæ, ex mutabilitate entis materiæ conjucti, sequitur. Inde, in vita præsenti instabiles sunt etiam dispositiones animæ (C. G., l. IV, c. 95), ideo v. g. amicitia.

2° præsertim

a) bona externa quærenda sunt ob corporis aut animæ præstantius bonum, vel obtinendum ut finem (sic appetendæ sunt divitiæ), vel jam possessum et se habens ut motivum (sic desiderium gloriæ aut honoris recte supponit quamdam excellentiam ut motivum : Iª IIæ, q. 2, a. 2 et 3 ; C. G., l. 3, c. 28, 29 ; cf. quæ pariter habet S. Thomas de voluptate etiam spirituali ; Iª IIæ, q. 2, a. 6, ad 1um : quod est *propter...*, quod non est bonum nisi *dependens*, *derivatum*, non est summum)[2];

---

(1) Non sufficit subjectum actu quiescere quocumque modo. Oportet capacitatem *naturæ* expleri, et quidem *per se*. Repugnat enim tendentiæ naturali ad beatitudinem (de qua th. 2ª) non respondere terminum qui ex se natufam satiet.

(2) Si quæritur utrum motivum gaudii, vel laudis aut ejus desiderii, reduci possit ad finem, respondemus : 1° Motivum gaudii (vel amoris concupiscentiæ vel complacentiæ) reducitur sive ad *finem obtentum*, sive ad *bonum statice* v. g. Deus est sibi objectum complacentiæ, quin — præscindendo a creatione — sit finis; 2° desiderium autem laudis aut laus ipsa est ad excellentiam laudandam ut ad *finem cui*.

b) bona corporis ad bonum animæ ordinanda sunt ;

c) bona animæ interna, scil. ipsa anima, facultates et earum actus compleri indigent : anima facultatibus, facultates actibus, actus tandem, etsi forsan objecto perfecto conjungant animam, in se tamen sunt bona imperfecta (Iª IIæ, q. 2, a. 7) ;

d) hæc omnia bona, si congerantur nondum sunt summum bonum, cum α) eorum insufficientia non ex defectu quantitatis, sed ex natura proveniat ; β) summa imperfectorum non sit bonum infinitum.

(Multa de istis egregie necnon jucunde scripsit S. Thomas, l. c.).

PROB. III. — (*Ex prima thesi*). Qui ordinatur ad Dei cognitionem atque laudem beari non potest quin hunc finem naturæ attingat (et quidem modo stabili et perfecte secundum propriam capacitatem).

Atqui homo ordinatur ad Dei cognitionem... (cf. th. 1, part. IV).

Ergo...

Addas tam pulchra et celeberrima argumenta quæ ad mentem Platonis et Aristotelis proponit S. Thomas, in *C. G.*, l. 3, c. 25 :

Ex eo quod beatitudo sit suprema perfectio hominis, ideoque :

1° maxima cum Deo assimilatio, igitur ipsamet cognitio Dei (*C. G.*, l. c., n. 8),

2° perfectissimus actus perfectissimæ facultatis circa perfectissimum objectum (Arist., *Eth.*, l. I, c. 4 ; — *C. G.*, l. c., n. 3).

PARS II. — Deus est objectum beatitudinis per se sufficiens.

PROB. — Illud est objectum per se sufficiens beatitudinis, quo intellectu et voluntate secundum capacitatem adepto, etiam præscindendo a ceteris bonis, omnes hominis tendentiæ totum suum finem ultimum obtinent.

Atqui Deo sic adepto :

1° Intellectus et voluntas satiantur summo vero et bono.

2° Omnes etiam inferiores hominis tendentiæ suum finem consequuntur, cum propter naturæ unitatem perfecte sint parti spirituali istiusque bono subordinatæ.

N. B. — Non quidem ipsæ forsan satiantur, sed natura (qualis exsistit) terminum attingit et satiatur, nam « corpus est propter animam, sicut... instrumenta propter motorem... ; unde omnia bona corporis ordinantur ad bona animæ sicut ad finem » (Iª IIæ, q. 2, a. 5 ; — cf. etiam Meyer, I³, p. 21).

COROLL. I. — Ex secunda parte sequitur beatitudinem perfectam hominis aliud non involvere essentialiter nisi cognitionem amoremque Dei, et sic non realiter distingui a gloria formali quam homo, perfectione adepta, Deo exhibet. De metaphysica autem essentia beatitudinis, cf. th. seq..

COROLL. II. — Ex eadem parte concluditur resurrectionem corporum saltem non essentialiter exigi in ordine naturæ. Non enim requiritur ut intellectus cognoscat. Lex concomitantiæ phantasmatum pertinet ad statum unionis animæ cum corpore.

Neque requiritur ut proprietas beatitudinis, cum oporteret corpus esse incorruptibile [1], quod isti non debetur.

Valde tamen convenit ut complementum accidentale. Vide I^am II^æ, q. 4, a. 5, ubi S. Thomas optima distinctione explicat ea quæ alibi asserit (C. G., l. IV, c. 79 in fine). Non autem probatur corpus influere indirecte in *perfectionem* cognitionis sive intuitivæ, sive infusæ. Sed beatitudo crescit *extensive*, cum ex anima in illud redundet.

Optima habes apud Ferretti[3], I, p. 106 sq. ; — vide *Dict. de théol.*, Michel, art. « Gloire des élus », c. 1414 sq. ; — Pesch, Praelect. dogm.[3], t. IX, n. 686 sq. ; — Suarez, *de ult. fine*, d. 13, s. 2 ; *de Inc.*, d. 44, s. 7. [2]

Ut explicetur quomodo anima resurrectionem expectans possit esse quieta, dicendum est eam non habere proximam capacitatem nec absolutum appetitum novæ unionis cum corpore, sed ejus aptitudinem et tendentiam divinæ ordinationi esse subjectas (I^a II^æ, q. 4, a. 5, ad 4^um).

Contra 1^am partem : Obj. 1^a. Facultas finita bono finito satiari potest. Atqui facultates etiam spirituales sunt finitæ. Ergo...

Resp. *Dist. maj. :* Facultas finita, tum entitative, tum terminative seu actu et potentia, *conc.*, entitative sed non terminative seu actu et non potentia, *nego. Cont. dist. min...* « Anima est quodammodo omnia » (scil. potentia : I^a, q. 84, a. 2, ad 2^um, Alb. Magn. : *III de anima*, tr. 3, c. 12, t. 3, 168). » In nobis intellectualis natura in suo primo esse considerata est in potentia ad sua intelligibilia, quæ cum sint infinita, infinitatem quamdam habent in potentia (*Comp. theol.* c. 103, circa finem).

Instantia. Objectum proportionatum intellectus est quidditas rei sensibilis, igitur finitum.

---

(1) Vel intrinsece, vel ex perpetuo interventu Dei. Cf. *Suppl.*, q. 75, a. 3.

(2) Infantes sine baptismate morientes resurrecturos esse Suarezius existimat ut certum contra S. Justinum, imo contra S. Augustinum qui dubitat de resurrectione abortivorum (cf. Suarez de Incarnatione, d. 50, s. 3. n. 4). Sententia Doctoris Eximii, a multis admissa, non est contra nos, ut patet, cum supponat redemptionem generis humani a Christo. Complet opinionem, communissimam hodie, secundum quam isti infantes felicitate naturali fruuntur.

Resp. Sola ista quidditas primo et per se cognoscitur (in statu unionis cum corpore), *conc.*, per se explet capacitatem intellectus (etiam in hoc statu), *nego*

Obj. 2^a^. Nequit esse idem finis naturalis et supernaturalis. Atqui esset idem secundum thesim.

Resp. *Dist. maj.* : idem *finis qui*, scil. Deus, *nego*, idem *finis quo* seu actus quo anima Deum possidet, *conc.* (cf. Stat. quæst.).. *Cont. dist. min.*

Obj. 3^a^. Repugnat Deum esse medium ad beandam animam. Atqui objectum beatitudinis est medium hujusmodi. Ergo...

Resp. *Conc. maj. Nego min.* : medium enim intenditur tantum ob aliud bonum obtinendum, non ob propriam bonitatem.

Instantia. Repugnat Deum quocumque modo ordinari ad animam. Atqui objectum beatitudinis ita ordinatur. Ergo...

Resp. *Conc. maj.* : *Nego min.* : possessio Dei ordinatur ad animam, non ipse Deus. Ordinaretur quidem, si homo esset finis absolute ultimus ; non autem, *a*) si est finis cui secundarius tantum, nempe ratione utilitatis, *b*) et si, etiam dum beatitudinem appetit, debet semper retinere implicitum saltem amorem Dei super omnia (quatenus saltem non positive excludit subordinationem sui ad Deum), *c*) et tandem, si aliquoties tenetur explicite Deum super omnia diligere (cf. infra ; th. 45).

Contra 2^am^ ***partem et coroll.*** : ***Obj 1***^a^. Objectum, quo adepto intellectus remanet in potentia, non per se sufficit ad beatitudinem. Atqui etiam adepto Deo, intellectus humanus remanet in potentia, cum sit indefinite perfectibilis. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : si remanet in potentia ad altius *objectum*, *conc.*, si ad altiorem *cognitionem ejusdem*, *subd.* : si hæc perfectibilitas est abstracta et remota tantum, *nego*, si est concreta et proxima, *transeat. Cont. dist. min.* Adepto Deo, intellectus humanus potest altius objectum attingere, *nego*, perfectius Deum cognoscere, *subd.* : secundum capacitatem abstractam et remotam, cæterum non illimitatam, *conc.*, concretam et proximam, *nego*. Etenim hæc capacitas pendet a conditionibus internis aut externis, et certe in statu termini seu in altera vita ab istis determinatur sine possibili progressu. Nam, cum jam fuerit probata destinatio hominis ad possessionem satiantem Summi Boni (th. 2), neç ista possit alia esse ac conjunctio cum Deo (th. 3, I^a^ pars), concludere oportet Supremum Ordinatorem omnia disponere, ut, — præter plenitudinem suæ Bonitatis, quæ objective et per se ad beandum sufficit, — concreta conditio creaturæ perfectam istius satietatem et quietem determinet. Hæc determinatio speciatim ex meritis provenit; nec cognitio abstractæ possibilitatis perfectionis majoris turbare potest animam, cum ista jam necessario Deum amet et nihil velle queat nisi secundum divinam Voluntatem (cf. Suar., *De ult. fine hom.*, d. 10, s. 3, n. 4). Nota etiam animam tunc esse separatam a principio mutationis quod est materia corruptibilis (vide infra : th. 26 ; *de æternitate sanctionis.* — *C. G.*, l. IV, c. 95. ; — *Comp. theol.*, c. 174, 175).

N. B. — Ad majorem non simpliciter concessa est objectio, etiam supponendo intellectum concrete remanere in potentia ad altiorem cognitionem Dei ; nam defectus satietatis esset ex parte subjecti, non objecti.

Instantia. Pariter capacitas intellectus determinari posset ut bonis finitis satiaretur. Ergo I^a^ pars theseos falsa est.

Resp. *Dist. anteced.* : ita ut bona finita sufficiant natura sua, *nego*, ita ut per accidens intellectus satiaretur, natura remanente in statu privationis circa suum objectum per se satians, *subd.* : in beatitudine ad quam natura ultimo destinatur, *nego*, in alia hypothesi, *omitto*. Repugnat enim objec-

tum respondens tendentiis naturæ replere tantum per accidens *ex sua parte*, non esse *ex se naturaliter* satians.

Obj. 2[a]. Beatitudo est finis totius hominis. Atqui Deus non beat totum hominem. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : Prosequendus a toto homine, *conc.*, consequendus a toto homine, *subd.* : saltem indirecte, per redundantiam ex parte superiore in inferiorem, si adhuc ista existit, *conc.*, si non existit, *nego* (cf. I[a] II[ae] q. 4, a. 5, ad 4[um]). *Cont. dist. min.*

Instantia I[a]. Anima nequit beari quin sit in statu naturali. Atqui ejus status naturalis est conjunctio cum corpore. Ergo hæc conjunctio requiritur.

Resp. *Conc. maj. Dist. min.* : hæc conjunctio est solus status naturalis, *nego* ; via ad posteriorem statum naturalem, *conc.*

Inst. 2[a]. Beatitudo est status perfectus. Atqui anima separata non est in statu perfecto, cum non sit substantia completa, nec ideo persona neque homo. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : in quo tamen distinguitur perfectio essentialis ab accidentibus, *conc.*, in quo omnia sunt essentialia, *nego. Cont. dist. min.* Nota animam esse et agere independenter a materia, esse, ut diximus, finem corporis et solam partem propriam hominis, nec posse, Deo adepto, esse inquietam (cf. obj. 1[am]). Vide etiam jucundum responsum S. Thomæ : I[a] II[ae], q. 4, a. 5, ad 3[um].

Obj. 3[a]. Cognoscere Deum tantum abstractive non explet capacitatem animæ. Ergo non beat.

Resp. *Dist. anteced.* : non explet capacitatem proximam et mere naturalem, *nego*, remotam et « obedientialem », i. e. qua creatura rationalis apta est ut elevetur ad ordinem supernaturalem visionis, *conc.* (cf. in III, d. 23, q. I, a. 3, sol. 3 ; *de Verit.*, q. 22, a. 7 ; I[a] II[ae], q. 114, a. 2 ; — Sertillanges, *S. Thom.*, t. II, p. 302-309).

§ III. — De metaphysica essentia subjectivæ beatitudinis.

THESIS IV. — Deus intellectu, non voluntate, proprie possidetur ; — exindeque perfecta beatitudo ad mentem Platonis, Aristotelis, S. Thomæ definita, essentialiter consistit in sola Dei perfecta cognitione.

I[a] II[ae], q. 3, a. 4 ; — *C. G.* l. 3, c. 26 ; — Scotus, in IV, dist. 49, q. 4 (ed. Lugduni, t. X, p. 379 sq. ; — B. Albertus Magnus, in IV, dist. 49 ; — S. Bonaventura, ibid. ; — Suarez, *De ult. fine*, disp. 7, sect. 1.

Struggl, *Theol. univ.*, t. I, p. 388 sq. ; — Schiffini, *Ethica gen.*, p. 50 ; — *Dict. de théol.* : Michel, art. « Gloire », c. 1395 sq. ; — *Rev. thom.*, 1899 (Gardeil), p. 454 sq. ; — Salmanticenses, *tract. IX de beat.* disp. I, dub. IV, ed. Palmé, p. 231 sq. ; — Rousselot, *Pour l'histoire du problème de l'amour*, p. 81.

Circa modum quo antiqui concipiebant beatitudinem, cf. Sertillanges, *S. Thomas*, II, spec. : p. 291-294 ; ejusdem : *Rev. de phil.* 1903, p. 139 et sq. ; Gardeil : *Dict. de Théol.*, art. « Béatitude » ; Arist. ; *Eth. Nic.* l. 1. c. 4, n° 9 sq. ; l. X.

STATUS QUÆSTIONIS

1) *En objectum celeberrimæ controversiæ. Quæritur quid sit in subjectiva beatitudine essentia metaphysica et quid attributum aut proprietas.*

2) *Essentiam metaphysicam* alicujus rei vocamus *id quod res intrinsece includit et sine quo non potest concipi* ; nihil formaliter continet nisi *partes constitutivas, re aut ratione distinctas* : v. g. In homine erit complexus vel animæ et corporis, vel animalitatis et rationalitatis. — Hæc essentia est *quasi radix* aliorum elementorum (cf. SUAREZ., *disp.*, IV, s. 1, n. 4).

(Alii hanc essentiam vocant metaphysicam aut physicam stricto sensu, secundum quod spectant constitutivas partes ratione tantum aut re etiam distinctas).

Per oppositionem, *essentiam physicam aut integralem* nominamus *id quod res intrinsece includit ita saltem ut non possit sine eo exsistere naturaliter* (i. e. secundum leges ordinarias naturæ) ; complectitur *tum partes constitutivas, tum proprietates aut attributa naturaliter necessaria* : v. g. in homine, facultates animæ, risibilitatem.

(Alii hanc essentiam vocant physicam lato sensu).

3) ***Opiniones :***

Essentia metaphysica beatitudinis consistit :
secundum S. THOMAM, *in sola Dei perfecta cognitione,*
secundum SCOTUM, *in solo amoris actu,*
secundum B. ALBERTUM MAGNUM, S. BONAVENTURAM, SUAREZIUM *aliosque, in utroque actu.*

Generatim diversitas solutionum venit vel *ex parte quæsiti* (quando scil. sub iisdem vocibus diversa problemata ponuntur), vel *ex parte quærentis* (quando systemata sunt aliunde diversa), *vel ex utroque.* Ibi sumus in tertio casu, ut videtur.

Et primum *amor quem spectant Scotus, Suarezius et alii est amicitia.* Post Platonem et Aristotelem omnes scholastici [1] excludunt ab essentia beatitudinis gaudium amoris concupiscentiæ [2], et ita omnino recedunt a notione vulgari. Hoc mirum discrimen, et partim diversitas inter opiniones ipsorum philosophorum, explicantur ex modo ponendi problemá, seu definiendi beatitudinem secundum nomen.

4) ***Positio problematis.*** — Non enim repugnaret vo-

(1) Quidam excipiunt AUREOLUM, sed, ut videtur, immerito : cf. *Capreolus* (in IV, d. 49, q. 1, a. 2).

(2) Duplex est *amor : concupiscentiæ* aut *amicitiæ*, prout ad bonum proprium tendit, aut ad bonum alterius. Deus est objectum utriusque, cum sit simul Bonum Absolutum et summum creaturæ bonum, simul igitur finis *primarius cui*, et objectum finis *qui secundarii.* — Ad melius intelligendum argumentum sequens (pars I ª, prob.), hoc nota : in utroque amore ex parte hominis, invenitur *motus* seu *desiderium*, et *terminus* seu *gaudium.* Gaudium, etsi non est motus, est tamen actus, imo perfectus, ad quem voluntas per desiderium est in potentia (cf. I ª-ª II ªᵉ, q. 31, a. 2).

care beatitudinem, sicut vulgus, ipsum gaudium præsertim amoris concupiscentiæ, seu ortum ex proprio bono (sic Utilitaristæ). Sed hac significatione exclusa, eadem voce philosophi prædicti communiter designant *ultimam perfectionem ontologicam* quæ sit *causa proxima et interna hujus gaudii*[1] seu « *stabilem possessionem Summi et Perfecti Boni* » qualem initio thesis 2ae explicavimus : nempe *conjunctionem cum ultimo fine quæ reddat subjectum proxime capax gaudendi proprio bono*[2]. Ista conjunctio cum Summo Bono externo est, ut patet, summum bonum internum (cf. th. 2, 2a pars). Et quærere essentiam beatitudinis sic definitæ est certo pulchrum problema.

Attamen in decursu solutionis, etiam apud magnos auctores, sensus quæstionis videtur obscuratus fuisse. Etenim præcedens definitio nominis, a significatione vulgari jam diversa, intelligitur ipsa diversis modis.

Dum S. Thomas sub ista spectat primam finis ultimi consecutionem, in se tantum, et distinctam ab omni effectu formali, Suarezius considerat consecutionem perfectam et satiantem actu seu cum effectu *formali* aut *quasi formali, saltem primario*, in facultatibus animæ[3] et Scotus relinquens consecutionem « *priorem prioritate generationis* », agit unice de « *primitate perfectionis* »[4], quæ, ut patet, erit quasi consummatio prioris consecutionis.

Unde fit ut deinde essentiam metaphysicam beatitudinis quærentes, S. Thomas determinat quid constituat *primam consecutionem* Summi Boni, alii quid constituat *consecutionem perfectam* aut *perfectionem consecutionis* (cf. Struggl, l. c. ; — Costa-Ross., p. 36, in nota ; — vide S. Bonav., Alb. Magn., l. c., Lessium, *de summo bono*, l. 2, c. 5, n. 26).

Hæc tamen modo schematico indicantur, cum positio problematis non sit tam stricte determinata, et aliquando isti auctores, vere eamdem positionem spectantes, solutiones diversas proponant. Jam hoc proveniet ex diversitate systematum circa *primatum intellectus aut voluntatis* præsertim. Secundum

---

(1) Hæc appellatio est mere conventionalis, non a priori probanda. Non sufficit, v. g., notare gaudium esse quid accidentale, derivatum ex possessione boni. Hoc non impedit quominus gaudium « *beatitudo* » vocetur. Secus nullum accidens propria voce designari posset et, v. g., risibilitas designaret proprie ipsam humanitatem, quod nemo dicet.

(2) De Platone et Aristotele, cf. *Sertill.* l. c. — Circa S. Thomam, vide Iam IIae, q. 2, a. 7 ; q. 3, a. 4 (c. et ad 3). — Cf. Scot., l. c., d. 49, q. 7, p. 495. — Suarez., disp. 7, sect. 1, n. 4 et 5 (Vivès, t. IV, p. 40, 41). Ut in thesi 2a diximus, non agitur de possessione physica *ut tali*, sed de possessione fruitiva ; et hoc est valde notandum, præsertim quando quæstio est de beatitudine naturali, in qua Deus non attingitur nisi per speciem.

(3) Cf. Suarez, l. c., p. 41, n. 5.

(4) Cf. Scot., l. c., ed. Lugd., t. IX, p. 382.

S. Thomam et Suarezium, intellectus est nobilior, et contra secundum Scotum. Vide objectiones infra.

Ut apparet ex enuntiato theseos, quæremus id quod S. Thomas quæsivit.

Nota theseos : vix non certa ut ponitur.

DEMONSTRATIO

PARS PRIMA. — Deus intellectu, non voluntate, proprie possidetur [1].

PROB. — *Deus proprie possidetur* :

a) ea facultate in qua est aliquo modo « ut cognitus in cognoscente », quæ ita Eum apprehendit et tenet ut subjectum evadat proxime capax gaudendi proprio et summo bono ;

b) non ea facultate quæ non nisi tendit ad Eum obtinendum, aut quiescit, obtento summo bono subjecti,

vel etiam, quasi negligens proprium bonum subjecti [2], tendit ad bonum alterius (amore benevolentiæ), aut, altero bonum possidente, quiescit (amore complacentiæ).

Atqui a) Deus, dum cognoscitur, est modo prædicto in intellectu (facultate *apprehensiva*) ;

b) et voluntas (facultas *appetitiva*) tantum potest ad Eum, vel Ejus bonum tendere, aut in possessione Summi Boni, ab anima vel ab ipso Deo, quiescere.

Ergo...

PARS II. — Exindeque...

PROB. — Beatitudo perfecta, ad mentem Platonis... definita est possessio Summi Boni in se inspecta.

Atqui possessio summi Boni in se inspecta consistit essentialiter in sola Dei perfecta cognitione (quam ceterum naturaliter amor consequitur, ita ut ad ejus essentiam physicam pertineat).

Ergo...

---

(1) In argumento sequenti, ut notat P. Gardeil (*Rev. thom.*, l. c., p. 456) S. Thomas non proficiscitur ex primatu intellectus, sed potius ad hunc pervenit (cf. obj. I). E contra Scotus proficiscitur ex primatu voluntatis.

(2) Hanc considerationem addimus argumento S. Thomæ. Non tantum amor amicitiæ non *constituit* possessionem, sed possessio quam benevolentia *intendit*, aut complacentia *supponit*, pertinet ad *amicum*, non ad *amantem*. Amicitia non est nisi *metaphorica* possessio, unio moralis, non ordinans ad gaudium amoris concupiscentiæ.

OBJECTIONES

A. Objectiones Scotistarum. — Duo sunt praecipua capita (cf. Suarez. : *de ult. fine*, disp. 7, s. 1, initio) : desumuntur ex Scoto, d. 49, q. 4.

***I*^um^ caput :** Beatitudo, cum sit adeptio Summi Boni, est suprema perfectio hominis, igitur nobilissimus actus. Atqui nobilissimus actus est actus voluntatis Deum amantis. Ergo...

Prob. min. : a) Caritas est suprema virtus (*I Cor.*, 13). Ergo ejus actus nobilissimus.

b) Illud est melius, cujus oppositum est pejus. Atqui pejus est odium Dei quam hæresis, vel error circa divina. Ergo dilectio præeminet cognitioni.

c) Actus simpliciter nobilissimus elicitur a nobilissima facultate. Atqui voluntas est nobilior intellectu, tum quia *in via* elicit meliorem actum, scil. amoris Dei, tum « quia est formaliter libera, et ideo est quasi domina aliarum potentiarum et ipsemet intellectus illi obedit », tum quia ejus objectum est summum, scil. *bonum*. Ergo...

Resp. *Conc. maj.* 1 *Negatur 1*^a^ *minor et solvuntur rationes.*

Ad a). Actus caritatis est nobilissimus in esse morali et ratione meriti, ubi est liber, scil. in via tantum, *conc.*, in esse physico, *subd. :* in via et secundum quid, *conc.*, simpliciter, sive in via, sive in termino, *nego.* Porro agitur tantum de termino et de summo simpliciter. Cf. S. Thom., I^a^, q. 82, a. 3 ; *de Verit.*, q. 22, a. 11 : Secundum esse physicum, actus intelligendi est nobilior simpliciter, scil. natura sua, tum quia objectum ejus formale est simplicius et universalius, tum quia intelligere est possidere, non ita velle (sic S. Thomas concludit nobilitatem intellectus ex argumento supra dato, cf. I^am^ partem thesis).

Secundum quid actus voluntatis est nobilior, si objectum volitionis est nobilius objecto cognitionis prout utrumque in concreto attingitur ; v. g. velle Deum est in via nobilius cognitione Dei actuali, cum desiderium tendat ad Deum melius possessum. Sed hæc non habent locum in termino.

Vide etiam Suarez, l. c. n. 8, 56. Cathrein, th. 4. obj. 5 (optime) et loca S. Thomæ quæ citat : *C. G.*, l. 3, c. 26 in fine ; in iv, dist. 49, q. 1 ; sol. 2, ad 3^um^.

Ad b). Transeat major si agitur de eodem ordine, *negatur* si ordines sunt diversi (cf. Suar. n. 58). — *Cont. dist. min. :* in ordine morali, *conc.* ; in ordine physico, *nego.*

Ad c). Fuit responsum ad *a)*. Voluntas secundum quædam est superior, et præsertim in ordine agendi, non autem simpliciter in ordine τοῦ esse. — Etiam si concederetur summum objectum esse bonum ut tale, non sequeretur voluntatem esse superiorem intellectu, cum iste proprie attingat rationem formalem boni (vide infra : Confirmatur sententia Scoti).

Vide instantias et responsa apud Suarez, speciatim de comparatione Angelorum, n. 45-47 ; de ordine visionis ad amorem, n. 48-51.

Alia instantia. Beatitudo formalis est ultima actualitas beati. Atqui talis est actus voluntatis. Ergo.

Resp. *Dist. maj. :* ultima in ordine exsecutionis, *nego,* actuationis seu perfectionis, *conc.* — *Cont. dist. min.* (Cf. Salmant., tr. 9, disp. I, dub. IV, s. 9).

***2*^um^ caput.** Beatitudo est consecutio ultimi finis. Atqui perfectus amor Dei habet rationem consecutionis, multo magis quam cognitio. Ergo...

---

(1) Ut jam diximus, S. Thomas non proficiscitur ex comparatione facultatum. Sed ex ejus principiis possumus respondere objectionibus Scoti.

Prob. min. Consecutio finis non consistit in tractione objecti aut repræsentatione (nam videre pecuniam non est possidere), sed in unione perfecta. Atqui perfectus amor Dei est perfecta unio, nam :

a) « transformat amatum in amantem », « intrat ubi cognitio foris stat » ; — *b*) fertur in amatum *ut in se est,* dum e contra cognitio est ad modum cognoscentis ; — *c*) est appetibilis maxime propter se.

Resp. (cf. Salmant., tr. 9 de beat., disp. I, dub. IV, s. 2 sq.). *Nego min.* et *ad probat. dist. maj. :* Consecutio finis consistit in unione perfecta in quolibet ordine, *si ista præscindat a proprio bono subjecti, nego,* in unione perfecta *in ordine ad gaudium ob bonum proprium subjecti, conc. — Cont. dist. min. :* Perfectus amor Dei seu amicitia cum Ipso est unio perfecta sui generis, *conc. ;* perfecta in ordine ad gaudium ob bonum proprium subjecti, *subdist. :* accidentaliter (aut essentialiter lato sensu) quatenus ipse actus amicitiæ potest esse objectum talis gaudii, *conc. ; primario* et *essentialiter* (stricto sensu) *nego.* Per cognitionem, Summum Bonum *fit bonum amantis ;* qui *Ipso jam primario gaudendi capax evadit.* Amicitia e contra, ex sua natura, non ordinat primario ad gaudendum proprio bono, cum per eam subjectum quasi exeat a seipso et jam non curet de proprio bono (cf. Salmant., l. c. p. 236 in ed. Palmé — et I ª II ªᵉ, q. 2, a. 7, ad 2ᵘᵐ).

Exemplum de pecunia non est ad rem quia bonum materiale et Summum Bonum non eodem modo possidentur.

Ad rationes allatas : a) Amor magis transformat quam cognitio.

Resp. Nota primum quosdam potius loqui de transformatione *amantis* in *amatum ;* sed, quidquid elegeris, transformatio per amorem est *metaphorica* tantum : implicat vel inclinationem amantis in amatum, vel conformitatem moralem, i. e. vitæ, mentis, affectus, etc., vel æstimationem amici « ut alterius ego ». E contra transformatio per cognitionem est *formalis,* est assimilatio cum cognito ; « cum enim apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est » (I Jo., 3, 2), per analogiam verum est de cognitione etiam abstractiva (cf. Capreolum, in IV, d. 49, q. 2, a. 3 circa finem paragraphi Iª, ad 4, ed. Tur., t. 7, p. 161. Salmant., l. c. p. 239, n. 67 et 68).

b) Amor fertur in amatum *ut in se est,* non ita cognitio respicit objectum.

Resp. Amor amicitiæ, *transeat,* etsi quod excedit omnem cognitionem etiam negativam, qua excluditur imperfectio objecti amati, etiam amicitiam excedit, sed *nego suppositum* scil. amicitiam ordinari de se et immediate ad gaudendum *proprio* bono, ut dictum est. Amor autem concupiscentiæ, *subd. :* in via, voluntas tendit ad possessionem semper majorem ideoque ad amatum prout superat cognitionem actualem, *conc. ;* in termino, *nego,* nam voluntas tunc quiescit.

c) Amicitia est appetibilis maxime propter se.

Dist. ratione proprii boni amantis, *nego ;* sub alio respectu, *omitto.*

Tota responsio bene resumi videtur apud Salmant., l. c. n. 68 : *Quidquid est de perfectione unionis per amicitiam, potius amans dicendus est possideri quam possidere ;* nam cognitio, non amicitia, natura sua ordinat immediate subjectum ad gaudendum *proprio* bono.

Confirmatur sententia Scoti : *a*) Beatitudo seu consecutio *Summi Boni* pertinet ad facultatem cujus objectum est *bonum ut tale.* Atqui talis est voluntas. Ergo...

Resp. *Dist. maj. :* ad facultatem quæ *tendit* ad bonum nondum possessum aut in eo *quiescit, nego,* quæ *formaliter et primario* ita *conjungit appetentem cum bono ut fruitio jam evadat possibilis, conc. Insuper duo supposita sunt neganda :* 1° intellectum et voluntatem esse quasi duo individua, dum e contra unum individuum seu homo tendit per voluntatem, tenet per intellectum (cf. Gardeil, art. cit., p. 456) ; 2° intellectum non co-

gnoscere rationem formalem boni ; etsi enim bonitas qua talis non est *formalis ratio intelligibilitatis* objecti, est tamen ipsa aliquod verum, *ratio formaliter intellecta.*

b) Facultas quæ est principium meriti debet etiam præmium accipere.

Resp. *Dist. maj. :* si est principium *quod, transeat,* si est tantum principium *quo* homo meretur, *nego.* (Redit suppositum primum ut supra). Circa principium quod, cf. thesis 3ª, obj. contra 2ᵃᵐ partem. — (Vide Suarez disp. 7, s. 2. n. 63).

c) Pœna est essentialiter tristitia. Ergo oppositum seu præmium est essentialiter gaudium (apud Scotum qui hoc rejicit, d. 49, q. 7).

Resp. *Nego antecedens.* Pœna est essentialiter privatio *Summi Boni,* ex qua sequitur tristitia.

B. Objectio Suarezii. — Etsi cognitio est principale constitutivum beatitudinis et quasi fons totius ejus perfectionis (l. c. n. 29), tamen amor amicitiæ est *etiam* de essentia, quia « est perfecta quædam connexio cum ultimo fine, ultima in suo ordine et propter se maxime appetibilis, et formaliter tribuens perfectionem aliquam respectu ultimi finis, quem immediate attingit... sine qua hominis ultima perfectio esset valde diminuta et quasi dimidiata » (n. 32, cf. n. 34).

Resp. Vide quæ dicta sunt de 2° capite objectionum Scotistarum. Revera, postquam Suarez definivit « essentiam metaphysicam » sicut nos (disp. 4. s. I, n. 4), ibi eam non sat distinguit ab « essentia physica ». Hæc enim perfectio quam amor amicitiæ tribuit beatitudini non est substantialis (nisi lato sensu) respectu *istius,* quia, ut diximus, amicitia de se præscindit a *proprio bono amantis.*

Instantia 1. (apud Scotum qui eam rejicit, dist. 49, q. 7). Si amor non est de essentia beatitudinis, potest quis esse beatus sine amore. Atqui hoc repugnat.

Resp. Si non est de essentia etiam physica, seu lato sensu dicta, *conc.* Si est de essentia saltem physica, *nego* saltem naturaliter hoc posse fieri. Item homo non exsistit naturaliter sine risibilitate quæ tamen non est de essentia saltem metaphysica.

Inst. 2. Ex statu dæmonum : Essent beati secundum nostram positionem.

Resp. Ad beatitudinem requiritur cognitio Dei non quælibet, sed explens capacitatem subjecti. Porro dæmones ordinati sunt ad Dei visionem quam non habent.

§ IV. — De fine secundum quid ultimo ad quem homo intra limites hujus vitæ ordinatur.

THESIS V. — Intra limites præsentis vitæ homo beari perfecte nequit ; supremus finis ab eo tunc attingendus in hoc consistit, ut ad ultimum finem in futura vita consequendum se libere disponat.

Iª IIªᵉ, q. 5, a. 3, 7 ; — *C. G.,* l. 3, c. 43 ; — Meyer, I, nº 75 sq. ; — Ferretti, I, n. 31 ; — Sertillanges, op. cit. ; — Contra 1ᵃᵐ partem : *Eth. Nic.,* l. 10, c. 7 ; — Vide l. 1, c. 7 in fine, c. 8, c. 9 in fine : de possibilitate beatitudinis post mortem.

Nota theseos : Metaphysice certa.

PARS I. — Intra limites....

PROB. — Beari est satiari, i. e. stabiliter possidere summum et perfectum bonum.

Atqui intra limites præsentis vitæ homo nequit perfecte satiari, cum, teste experientia : (*a*) semper nova bona intendat, (*b*) multis insuper malis affligatur, (*c*) Deo conjungi nequeat nisi cognitione valde imperfecta et instabili.

Ergo....

(Egregie in C. G., loc. cit.).

PARS II. — Supremus finis....

PROB. — Supremus finis ab homine in hac vita attingendus talis est quem exigunt : (*a*) unitas et (*b*) indoles naturæ rationalis et finis ultimi.

Atqui naturæ rationalis et finis ultimi :

a) unitas exigit ut finis supremus vitæ præsentis sit dispositio ad ultimum terminum in futura vita attingendum ;

b) indoles requirit ut homo, libertate præditus, libere se ipsum disponat ad tantum donum Dei quod est ipsius possessio.

Ergo...

COROLL. — Ergo non distinguendus est in hac vita duplex finis : unus, scil. primarius qui sit prosecutio ultimi termini, alter secundarius qui consistat in prosperitate moderata vitæ præsentis. Omnia debent esse media ad obtinendam perfectam beatitudinem, sicut ad gloriam Deo præbendam.

Attamen, ut videbimus, si agens rationale se gerat modo non dedecenti suam naturam adæquatam, et ipsum sit in statu amicitiæ cum Deo, omnes suæ liberæ determinationes satis directæ erunt ad ultimum finem[1].

ARTICULUS III

DE INTENTIONE ULTIMI FINIS EX PARTE VOLUNTATIS HUMANÆ

I^{a} II^{ae}, q. 1, a. 6, et q. 5, a. 8 ; — *de Ver.*, q. 22, a. 7 ; — Suarez, *De ult. fine*, d. 2, s. 4 ; d. 3, s. 6.

Quisnam finis, sive intra limites hujus vitæ, sive ultimo, sit ab homine secundum voluntatem Dei attingendus, jam notum est.

(1) Vide uberiorem explicationem in art. seq. et cap. III, art. IV ; — cf. optima apud Meyer, l. c.

Quærendum manet quomodo humana voluntas hunc finem realiter intendat.

Distinguitur intentio :

a) *actualis*, i. e. nunc elicita et conscia ;

b) *virtualis* (*ex parte operantis*), i. e. præhabita et vi cujus voluntas nunc aliud objectum intendit.

c) *habitualis*, i. e. præhabita et non revocata, quin vi ejus aliud nunc intendatur (influere tamen potest in effectus actualis intentionis, v. g. in meritum) ;

d) *interpretativa*, i. e. quæ nec est, nec fuit explicita et conscia, sed naturaliter et implicite includitur in alia intentione. Dicitur etiam *virtualis ex parte operis*.

Tres priores intentiones, quæ finis cognitionem actualem aut præcedentem supponunt, vocantur intentiones formales. Cadunt istæ sub experientia.

De intentione autem interpretativa finis ultimi duo asserimus :

1° Homo in omnibus actibus voluntariis suis interpretative intendit ultimum finem *indeterminate* sumptum, seu beatitudinem in communi.

Voluntas enim, quidquid appetit, ut bonum appetit, et sic naturaliter et implicite tendit ad boni consummationem (cf. th. II, arg. ; Iª IIæ, q. 1, a. 6) ; etsi forte eam quærit ubi non est (ibid., a. 7).

2° Intendit autem homo saltem interpretative ultimum finem *determinate* sumptum, seu se disponit ad Dei gloriam perfecte præstandam et Ejus possessionem, dum libere ea agit quæ decent suam naturam rationalem.

Etenim agere secundum naturam, naturaliter et implicite tendit ad ejus ultimam et veram perfectionem ob quam condita est.

Ponuntur hæc asserta per modum nexus cum sequentibus et brevis eorum conspectus.

Libere agere quæ decent naturam rationalem est bene moraliter agere, ut videbimus (cap. III, art. I) ; bonum malumque morale erunt objectum totius capitis III.

Stricta necessitas agendi ut naturam decet (quod etiam formalem intentionem finis ultimi aliquando saltem importat) non est aliud quam effectus legis naturalis et constituit perfectam obligationem : erit materia capitis IV.

Ante hæc omnia videndum est aliquid de voluntariis actibus physice consideratis, quæ præbent materiam moraliter ordinandam : unde jam caput II.

CAPUT II

DE ACTIBUS HUMANIS PHYSICE CONSIDERATIS SEU DE VOLUNTARIO

CAUSA MATERIALIS ORDINIS MORALIS[1]

ARIST., *Eth.*, l. 3, c. 1 ; — S. THOMAS, I^{a} II^{ae}, q. 6.

ARTICULUS I

NOTIO ET DIVISIO VOLUNTARII

a) *Actus intrinsece seu immediate voluntarius definiri potest « actus vitalis — tendendi in bonum seu in finem, immediate consequens cognitionem istius — formaliter apprehensi ut finis ».* Sic successive indicatur :

genus remotum : actus vitalis (seu *ab intrinseco*) ;

genus proximum : appetitus (dicitur « *immediate* » seu *non mediante alio actu « consequens . . . »*, ut distinguatur ab actibus facultatum quas voluntas movet) ;

differentia specifica : rationalis (qua « non solum apprehenditur res quæ est finis, sed etiam cognoscitur *ratio finis et proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum* » ; (cf. S. THOM., loc. cit., art. 2).

N. B. — Eo modo non præsupponimus definitionem voluntatis, seu facultatis volendi, quod est vitandum : non enim actus ex facultate, sed ea e contra ex actu cognoscitur.

Actus intrinsece voluntarius est *liber* aut *non liber*. Libertas est immunitas a necessitate tum interna tum externa. Consistit in proprietate voluntatis, qua positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere vel non agere, agere tali aut

(1) Pauca dicentur : alia plura in cursu theologiæ.

tali modo[1] (DE LA VAISSIÈRE, *Phil. Nat.*, t. II, th. 51).

Hoc priori sensu voluntarium est quid *stricte physicum*.

b) *Sensu autem morali et per denominationem saltem extrinsecam, dicitur voluntarium « omne id quod procedit immediate aut mediate a voluntate, tanquam a causa saltem morali, seu ei imputatur ».*

Causalis influxus voluntatis invenitur in actibus imperatis de quibus infra, v. g. in deambulatione et in eorum effectibus, v. g. in aliquo incendio. Invenitur etiam, — semper in eodem sensu morali, — in omissionibus quibusdam et earum consequentiis.

Dicimus : « *a causa morali* ». Distinguuntur enim *causa physica* et *causa moralis* (cf. SCHIFF., *Princ. phil.*, t. I, p. 658).

Dicitur causa efficiens physica « ea quæ vera et propria causalitate et independenter ab æstimatione hominum exsequitur effectum, ut sol lucem ». Causa autem efficiens moralis « tametsi per se nihil vere efficit, sic tamen se gerit ut ei imputetur effectus ». — « Unde, ait SUAREZ, semper est aut causa non impediens, cum possit *ac debeat*, aut causa applicans causam per se vel inducens illam, sive per consilium, sive per preces, sive per modum meriti, sive interdum etiam per localem motum, ut cum quis applicat ignem domui ; nam licet sit causa per se physica illius motus, combustionis tamen solum est causa per accidens. Hæc vero causalitas, quæ physice est per accidens, moraliter et imputative reputatur per se » (*Disp. met.*, d. 17, s. 2, n. 6).

Nota etiam adesse aliquando physicum et non moralem influxum voluntatis, v. g. in casu dormientis cui nullus actus imputari potest (nisi quandoque in causa ante sommum posita).

Si ulterius quæruntur fons et formalis ratio imputabilitatis, dicendum est ejus immediatum fundamentum esse moralitatem (cf. th. 12, schol. et CATHREIN, n° 59). Imputatur agenti quod simul pendet ab ejus libera determinatione et sive in se sive per connexionem cum volito vere pertinet ad objectum adæquatum moralis actus, vere afficit moralitatem determinationis.

Hæc inserviunt speciatim in quæstione de « voluntario in alio », sed quia, ut ex dictis apparet, supponitur notio moralitatis, hæc quæstio melius videbitur in capite III, art. VIII.

(Nota S. THOMAM spectare voluntarium sensu morali in Iª IIæ, q. 6, a. 3).

c) Distinguuntur *volitum* et *voluntarium*. Voluntarium est

---

(1) Tres sunt categoriæ actuum voluntatis qui non sunt liberi : *a*) amor beatificus, *b*) actus voluntarius in somno (saltem non est perfecte liber, nec est imputabilis), v. g. si quis dormiens componit et scribit concionem, *c*) actus indeliberatus qui videtur semper antecedere actum liberum (DE LA VAISSIÈRE, *op. cit.*, t. II, th. 49).

omnis *effectus* (saltem *moralis*) *voluntatis*. Volitum est ejusdem *objectum*. Ex. : fructus quem intendo colligere pertinet ad volitum, non ad voluntarium.

Omne voluntarium est simul volitum, nam omnis effectus moralis voluntatis et ipsum « velle » est sive directe, sive reflexe objectum voluntatis ; sed non vice versa.

d) Voluntarium est *elicitum* aut *imperatum*, prout a voluntate procedit aut *immediate* aut *mediante imperio* : sic deambulatio erit actus imperatus. Cum unus actus voluntatis possit movere ad alium ejusdem facultatis, idem potest esse elicitus et imperatus : v. g. contritio perfecta simul elicitur et a caritate imperatur.

Aliæ sunt divisiones quæ nunc utiles non videntur, cæterumque diversæ secundum auctores.

Earum tamen occasione moveri possunt quædam subtilia problemata : v. g. utrum omissio imputabilis possit adesse sine ullo actu (voluntarium negativum, secundum veteres « indirectum », cf. Iª IIæ, q. 6, a. 3 et q. 71, a. 5)[1] ; quomodo agens possit aliquid simul velle (simpliciter) et nolle (secundum quid : Iª IIæ, q. 6, a. 6 et infra th. VIII).

ARTICULUS II

DE ACTIBUS ELICITIS A VOLUNTATE

Iª IIæ, q. 8-17 ; — GARDEIL, *Dict. de théol.*, : art. « Acte humain », « Election », (sed attendas ad systema philosophicum praeclari auctoris).

In suo processu actus humanus plures partiales actus complectitur. Distinguendi sunt ordo intentionis et ordo exsecutionis.

A) ***In ordine intentionis,*** voluntas fertur primum in *finem*, deinde in *media*.

a) in *finem* fertur : 1° primum *absolute* (*simplex volitio*, inclinatio imperfecta et inefficax) ;

2° deinde ut *per media* obtinendum (*intentio*) ;

---

(1) S. Thomas primo adspectu videtur sibi contradicere, nam in primo loco dicit actum etiam internum aliquando abesse, in secundo negat. Sed potius solutionem complet : semper adest actus, qui potest esse *per accidens* respectu peccati, cujus non est nisi causa aut voluntaria occasio, v. g. si quis propter ludum omittit adire missam.

b) circa *media* : 3° vult ea *absolute* (*consensus*) ;

4° vult *unum præ aliis* (*electio*).

B) ***In ordine exsecutionis :***

5° *media applicat ad finem* (*usus activus*) ;

6° *quiescit in fine* (*fruitio*).

Istos sex actus præcedunt correspondentes actus rationis : 1° simplex apprehensio boni, 2° judicium proponens finem, 3° inquisitio de mediis aptis et judicium ista proponens, 4° deliberatio de mediis eligendis et judicium practicum, 5° imperium (*vide infra*), *6° usus passivus, seu diversi actus potentiarum exsecutivarum usque ad cognitionem adeptionis finis inclusive* (cf. Lehu, *Eth. gen.*, p. 60 et sq.).

ARTICULUS III

DE IMPERIO VOLUNTATIS ET RATIONIS

Iª IIæ, quaest. 17.

Imperium est « intimatio absolutæ voluntatis alicui facta ». Potest homo sibi ipsi imperare.

Secundum S. Thomam (Iª IIæ, q. 17, a. 1) *imperium est formaliter actus rationis, præsupponens actum voluntatis.* Est enim formaliter ordinare et denuntiare (ibid. et a. 2, ad 2um et 3um). Porro ordinare et denuntiare pertinet ad rationem [1]. *A voluntate* autem imperium *desumit suam efficacitatem*, qua alii, aut diversæ hominis facultates, moventur.

Voluntas movet « *despotice* » seipsam et facultates motrices, « *politice* » (i. e. non absolute) alias facultates, scil. intellectum, phantasiam, appetitum sensitivum.

Circa intellectum notandum est non omnes ejus actus a voluntate pendere : speciatim patet ex eo quod voluntas non potest appetere nisi bonum a ratione propositum (cf. S. Thom., Iª, q. 81 sq. ; vide etiam Ferretti, t. 1, p. 144 et sq.).

---

(1) Contradicit Suarez, *de leg.*, I, c. 5, præsertim n. 11-13 (t. V, p. 19), citans Scotum et alios ; sed vide n. 25. — Fuse respondent Salmanticenses : *de prædest.*, disp. 2, dub. 2. — Nota imperium supponere ordinis conceptum, electionem, et pertinere ad *exsecutionem* quam *dirigit*, *dicendo voluntatem* imperantis. *Hæc igitur voluntas præsupponitur.* Dirigere autem, ordinare activitatem alicujus ad finem, est intellectivum ; item dicere, manifestare, pertinet ad facultatem cui verum manifestum est (Frins, *De act. hum.*, I, p. 397) ; — vide *de Verit.*, q. 22, a. 2, ad 4.

ARTICULUS IV

DE CAUSIS QUÆ IN VOLUNTARIUM ET LIBERUM INFLUUNT

Reduci possunt ad quatuor : ***ignorantiam, passiones, habitus*** et ***violentiam***. Prima se tenet ex parte *intellectus*, secunda est in *appetitu sensitivo*, tertia in *diversis facultatibus*, quarta *ab extrinseco*.

§ I. — De ignorantia.

Arist., *Eth.*, l. III, c. 1 ; — I^{a} II^{æ}, q. 6, a. 8.

THESIS VI. — Quod fit ex ignorantia invincibili non est voluntarium nec liberum secundum id quod ignoratur : quod autem fit ex ignorantia vincibili est voluntarium et liberum in causa, si saltem in confuso prævidetur.

St. Q. 1) « *Ignorantia importat scientiæ privationem*, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ *aptus natus est scire* » (I^{a} II^{æ} q. 76, a. 2). Differt a simplici *nescientia*, ab *errore*, ab *inadvertentia*. Thesis tamen ad hos casus generatim extendi potest.

2) *Ignorantia dividitur :*

a) ratione *objecti*, in ignorantiam *juris* seu *legis*, *facti* (quo obligatio actualis fit, v. g. est hodie dies veneris), *pœnæ ;*

b) ratione *subjecti*, in ignorantiam *invincibilem* et *vincibilem*. Ignorantia est invincibilis, quando deponi non potest per moralem diligentiam (v. g. si quis ne cogitat quidem de veritate inquirenda) ; secus est vincibilis. Moralis autem diligentia æstimatur secundum id quod generatim prudentes in suis rebus adhibent et ab aliis exigunt pro rei gravitate, datis adjunctis.

Nota theseos : Metaphysice certa.

PROB. Sufficit mera declaratio. « Nil volitum quin præcognitum », sed ubi ignorantia est vincibilis, admissio istius est voluntaria et libera, et hac de causa etiam effectus qui praevidentur.

§ II. — De passionibus.

Arist., *Eth.*, l. 2. c. 5 ; — I^{a} II^{æ}, q. 22-48 ; — *De Ver.*, q. 26 ; — De la Vaissière, *Phil. nat.*, l. 3, c. 2, n. 160 ; — Gardair, *Passions et volonté* ; — Janvier, *Conf. de N. D.*

Processus S. Thomæ :

1° Ad definiendam passionem (q. 22, a. 1) :

Pati a) *lato sensu* dicit : *recipere. Passio sic opponitur actioni.* Est mutatio aliqua sub influxu agentis, receptio actionis et effectus ;

b) *strictiori sensu* : recipere cum *abjectione sive alicujus convenientis sive disconvenientis* (qualitates contrariæ secundum antiquam physicam sibi succedebant : Cf. GARDAIR, p. 41) ;

c) *strictissimo sensu : recedere a convenienti :* quod est saltem *definitio nominis.*

Hæc gradatio rationem desumit ex prima vocis significatione. Nam ex eo quod passio opponatur actioni, strictius habetur passio, ubi patiens magis pendet ab agente, magis trahitur ad effectum quem intendit agens. Hoc autem se manifestat maxime, ubi patiens recedit a suo bono.

Nota voces esse essentialiter conventionales ; sæpe tamen conventiones aliquomodo reguntur logica, v. g. circa significationem magis propriam, ubi eadem vox ad diversa significanda adhibetur, nam ista inter se generatim connectuntur vi cujusdam analogiæ, et unum est analogum princeps aut id ad quod alia referuntur.

2° Ad determinandum subjectum passionis (ibid. et art. sq.) :

a) recedere a convenienti habetur magis proprie in eo subjecto quod amittit aliquid sui ipsius seu corrumpitur. Porro anima non corrumpitur ; ergo non patitur strictissime per se ; patitur autem per accidens ratione compositi. Istud e contra propriissime patitur (art. 1, ad 1 ^{um} et 3 ^{um}).

b) Ulterius (ibid. art. 2) : appetitus magis subjicitur agenti, magis trahitur ad id quod est agentis, quam facultas cognoscitiva. Nam in utramque facultatem, id quod munus gerit agentis est objectum. Porro processus cognoscitivus incipit ab objecto et terminatur ad cognitionem in subjecto, quod sic « apprehendit » objectum et illud sibi quasi subjicit. E contra appetitus incipit in subjecto et terminatur ad objectum quod ad se trahit appetentem (le connaissant recueille en soi la vérité ; l'inclination fait sortir de soi).

c) tandem (art. 3) : ut dictum est, pati strictissime pertinet ad compositum. Ergo in appetitu sensitivo, non autem rationali strictissime invenitur passio.

Hinc *definitur passio secundum rem : motus appetitus sensitivi.*

3° Ad distinguendas passiones (q. 23). Dividuntur :

a) Secundum potentias in quibus inveniuntur (art. 1), i. e. appetitu concupiscibili et appetitu irascibili.

b) quatenus sunt motus (art. 2) : ibi discrimen sumitur tum ex motus termino qui est bonum vel malum et utrumque vel præsens, vel absens, vel præcisum a præsentia et absentia ; — tum ex sensu motus, i. e. accessu ad terminum, aut ab eo recessu.

Nota concupiscibilem et irascibilem jam distingui ratione termini. Etenim appetitus concupiscibilis versatur circa bonum aut malum absolute, irascibilis circa eadem sub ratione ardui. Hinc secundus modus divisionis (*b*) est generalis.

Distribuuntur complete passiones secundum tabulas sequentes:

Passiones concupiscibiles.

circa bonum	amor.....	sive præsens, sive absens.....	odium	circa malum
	concupiscentia.....	absens.....	horror	
	gaudium.....	præsens....	dolor	

Passiones irascibiles.

circa bonum arduum	spes.....	accedendo.....	audacia	circa bonum arduum
	desperatio.....	recedendo.....	timor	
		circa malum præsens.....	ira	

In fine schematis, ira non habet passionem correspondentem circa bonum præsens, cum istud jam non possit esse arduum. Et sic sunt undecim passiones tantum (q. 23, a. 3).

4° Modus quo passiones in voluntatem influunt. « Passio appetitus sensitivi, ait S. Thomas, non potest directe trahere aut movere voluntatem, sed indirecte potest et hoc dupliciter. Uno quidem modo secundum quamdam abstractionem : cum enim omnes potentiæ animæ in una essentia animæ radicentur, necesse est quod, quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur... ».

« Alio modo ex parte objecti voluntatis, quod est bonum ratione apprehensum ; impeditur enim judicium et apprehensio rationis propter vehementem et inordinatam apprehensionem imaginationis et judicium virtutis æstimativæ... ; unde per consequens judicium rationis plerumque sequitur passionem appetitus sensibilis et per consequens motus voluntatis, qui natus est semper sequi judicium rationis » (I^{a} II^{æ}, q. 77, a. 1).

Ut hæc exemplis illustrentur, satis erit considerare concupiscentiam et timorem seu metum. Quæ de istis dicentur valent

de aliis passionibus vel bonum delectabile prosequentibus, vel a malo recedentibus.

THESIS VII. — Concupiscentia antecedens, dummodo non auferat usum rationis, causat vel auget voluntarium, — minuit vero liberum.

ARIST., *Eth.*, l. III, c. 2; — I^{a} II^{ae}, q. 6, a. 7; — SUAREZ., *de Voluntario*, disp. 3, sect. 3, n. 5.

St. Q. *Concupiscentiam* vocamus *tendentiam sensitivam elicitam in bonum delectabile absens. Non est necessario deordinata.*

Concupiscentia est antecedens aut consequens secundum quod in ordine causæ est prior vel posterior actu voluntatis. Quandoque enim sequitur istum, sive ex imperio indirecte, sive ex mera redundantia et præter intentionem.

Nota theseos: metaphysice certa.

Declaratur thesis:

1° Concupiscentia mutat statum hominis et sic efficit ut ei objectum videatur conveniens; « conveniens enim secundum relationem dicitur, unde ex utroque extremorum [ibi subjecto et objecto] dependet » (I^{a} II^{æ}, q. 9, a. 2).

2° Inde concupiscentia, mediante intellectu, movet indirecte voluntatem, causat vel auget voluntarium.

3° Sed inclinando voluntatem minuit ejus indeterminationem ideoque liberum.

N. B. — Attamen cum ad perfectionem voluntarii pertineat esse actum proprium ipsius voluntatis seu liberum, aliquo sensu dici potest concupiscentia illud minuere. Cf. S. THOMAS, I^{a} II^{æ}, q. 77, a. 6, ad 3^{um}.

THESIS VIII. — Actio ex solo metu posita est voluntaria simpliciter — et generatim positive involuntaria secundum quid; — metus autem non tollit liberum nisi usum rationis impedit.

ARIST., *Eth.*, l. III, c. 1; — I^{a} II^{ae} q. 6, a. 6.

St. Q. *Metus* est « *trepidatio animi ob mali periculum* ». Potest esse *gravis* aut *levis*, et quidem *absolute* vel *relative*, i. e. ratione ipsius periculi vel e contra indolis personæ quæ illud timet.

Voluntarium simpliciter est « *illud quod voluntas hic et nunc amplectitur* ».

Involuntarium secundum quid est « *quod voluntas de facto vult, sed quod non vellet in alia suppositione* ». Dicitur *positivum* quatenus fit *voluntate repugnante*. *Involuntarium privativum* dicit *meram absentiam voluntarii*.

Nota theseos : metaphysice certa.

Declaratur thesis.

Priores partes ex notionibus sunt evidentes. Tertia pars ex eo declaratur quod metus, etsi voluntatem inclinat, non eam determinat ad unum, nisi tollit usum rationis.

N. B. — Quandoque metus ita mutat voluntatem ut excludat omnem repugnantiam circa illud in quod inclinat, seu — quod est idem — omnem affectum ad oppositum. Sic. v. g. propositum pœnitentis ex metu gehennæ, ut sit conditio sufficiens ad justificationem, debet excludere affectum saltem liberum voluntatis ad peccatum.

Scholion. Cum influxu passionum magnam connexionem habet dispositio organica subjecti, quæ ipsa oritur ex diversis causis, hereditate, educatione, aliisque. Ista dispositio generatim non tollit liberum, sed influit in voluntarium (cf. *De Ver.*, q. 22, a. 9, ad 2^{um} ; q. 24, a. 1, ad 19^{um} ; — Vide DE LA VAISSIÈRE, *Psych. expér.*, c. 12).

§ III. — De habitibus.

Quæstionem de habitibus videbimus infra tractando de virtute et vitio in fine cap. III. Brevia sunt ibi notanda.

Habitus est *dispositio constans ad modum determinatum agendi, facultati naturali superaddita.*

Causat vel auget voluntarium sicut concupiscentia antecedens et ob eamdem rationem. Dicendus est etiam minuere libertatem, si influxus actualis solus spectatur. Actus autem ex habitu voluntario positus est voluntarius et liber in causa (SUAREZ, *De volunt.*, disp. III, sect. 3, n. 16).

§ IV. — De violentia.

THESIS IX. — Violentia stricte dicta excludit voluntarium ; imponi autem voluntati nequit nisi circa actus quos ista per se potest imperare.

ARIST., *Eth.*, l. II, c. 1 ; — I^{a} II^{ae}, q. 6, a. 4 et 5 ; — MEYER, t. I, th. IX.

St. Q. *Violentia* est « *motio ab extrinseco, renitente patiente* ». Vocatur *stricta, si patiens resistit quantum potest ; secus, late dicta.*

Nota theseos : metaphysice certa,

Declaratur thesis.

Prima pars est evidens ex terminis. Secunda pars ex eo ostenditur quod actus eliciti a voluntate formaliter involvunt ejus inclinationem, — dum e contra actus aliarum facultatum, quas voluntas natura sua movere apta est, possunt, etiam ea repugnante, per vim extrinsecam imponi vel impediri.

Scholion. 1) Deus potest quidem « immutare voluntatem de necessitate » (*De Ver.*, q. 22, a. 8 ; cf. a. 9), sed efficiendo ut a nolente fiat volens : quod non est violentia.

2) Passiones martyrum sensu stricto violentæ non sunt. Patet ex statu quæstionis.

CAPUT III

DE BONITATE MALITIAQUE MORALI

CONSPECTUS PRÆVIUS

Essentiam boni moralis, criterium ejus et species determinare non est tota moralis philosophia. Non oportet enim confundere tres quæstiones, connexas quidem, at distinctas : de Summo Bono, seu ultimo fine — de Bono morali — de Lege aut Obligatione.

Infra videbimus bonum morale non formaliter consistere in tendentia ad ultimum finem et istum non esse criterium saltem integrum, necessarium et de se sufficiens boni moralis.

Contra Kantium, dicetur actionem moraliter bonam non semper præcipi ; licitum, suprarogatorium in agendo, perfectius distinguenda esse.

Igitur quæstio de bono morali est ab aliis discernenda. Nec dicatur hoc esse ad modum totius et ejus partium : problema de origine obligationis excedit problema de morali bono : et a quæstione de ultimo fine utrumque pendet.

Sed, si bono morali studere non est tota ethica, est tamen istius centrum, — de proxima enim agitur vitæ moralis ordinatione, in seipsa analysi subjicienda, non amplius relate ad suum remotum scopum, nondum respectu necessitatis categoricæ quæ ei imponitur.

DIVISIO QUÆSTIONIS

ART. I. — Quid sit bonum morale.
ART. II. — De naturali discrimine inter bonum malumque morale.
ART. III. — De criterio boni moralis.
ART. IV. — Quomodo finis ultimus, etsi non est ipsum criterium, sit « primum principium in operativis ».
ART. V. — Quid sit moralitas in genere.
ART. VI. — De moralitate actuum interiorum.
ART. VII. — De moralitate actuum exteriorum.
ART. VIII. — De extensione moralitatis, ex voluntario indirecto.
ART. IX. — De bonitate malitiaque morali in habitibus, seu de virtutibus et vitiis.

ARTICULUS I

QUID SIT BONUM MORALE

Præter auctores infra citatos, cf. PALLAVICINI, *Del Bene.*

De natura et criterio boni moralis mira apparet opinionum diversitas, adeo ut dubitandum primo videatur num omnes idem problema spectaverint. Attamen cum evidentia quadam ostendere speramus quæstionem ab omnibus — implicite saltem — omnino eamdem poni et multiplices solutiones nonnisi ex cujuslibet methodo aut philosophico systemate tam diversas evadere[1].

§ I. — QUID EX OMNIUM SERMONE SIGNIFICET « BENE MORALITER SE GERERE » ?

Primum notemus quasdam liberæ voluntatis determinationes de facto censeri rationali subjecto simpliciter convenire ut simpliciter disconvenire. Utrum talis destinatio recta sit necne, ibi non quæritur ; sed ipsa est factum : agens rationale se approbat aut damnat circa exercitium propriæ libertatis, non ex lætitia aut dolore, ob finem obtentum vel non obtentum, sed absolute — præter hunc scopum adeptum, imo mere intentum — ex eo tantum quod *in adjunctis concretis libere agat ut seipsum decet aut dedecet*, i. e. *secundum aut contra exigentias vel directiones suæ naturæ rationalis pro conditione sua variisque relationibus ad entia alia.*

Talia judicia quilibet, ut a seipso plus minusve confuse efformata, facile recognosceret.

Nec modus æstimandi suas liberas determinationes revera diversus est, si istæ cum *dictamine conscientiæ seu rationis*

---

(1) In hac quæstione fundamentali, ubi objectum primum totius ethicæ philosophice definiendum est, procedere oportet cum strictissima methodo et vitare omnem circulum aut petitionem principii. Ad determinandam notionem *boni moralis* non recurremus ad alias quæ illam supponunt, ut sunt conceptus *philosophiæ « moralis »* (seu scientiæ quæ spectat moralitatem), *agentis moralis* (seu quod agit moraliter), *finis moralis* (qui est objectum vel motivum boni moralis, aut ipsum bonum morale peragendum). Nec invocari potest ipsa denominatio « actus moralis », cujus in introductione nonnisi etymologia indicata est. Quid sit formaliter *Moralitas*, quid addat notioni libertatis, quærendum est *directe* et non ex conceptibus *derivatis*. Attamen, cum transcendentalis notio *boni* aliunde sit cognita, ad idem redit spectare *bonum morale* aut *moralitatem genericam* cujus est una species, morale malum species altera. Potuimus igitur remittere ad articulum V^um^ profundius examen quæstionis de moralitate in genere.

De relatione autem boni moralis ad bonum in communi vide notam in fine istius articuli, p. 58.

comparantur. Ratio enim ipsa nihil manifestat nisi determinationem liberam decere aut dedecere naturam subjecti rationalis adæquate sumptam, et insuper — quod jam sufficeret — obedire rationi ex reverentia erga ipsam, est eo ispo determinationem suam conformare cum natura rationali.

Quidquid cæterum est de veritate objectiva judiciorum quæ homines communiter sicut moralistæ efformant circa v. g. temperantiam, justitiam, caritatem, generatimque circa virtutes individuales, sociales, religiosas, vel vitia opposita, certe *conformitas inter libertatis exercitium et naturam agentis est realitas quædam a priori intelligibilis possibilisque.* Dummodo enim aliqua metaphysica admittatur, quis negabit naturæ omni quemdam modum agendi convenire ? Unde, *supposita natura rationali atque libera, cujus tendentiæ sint multiplices et harmonia complexa, quædam ejus determinationes ei convenient, etsi non necessario.*

Sed id quod omnes concipiunt, debuit, in communi sermone, voce aliqua designari ; et nonne conceptibus prædictis respondent nomina « boni malique moralis » ?

Nonne omnes philosophi, dum quæstionem movent de « morali bonitate », ab eadem proficiscuntur notione, nempe « se libere determinare ut simpliciter decet rationale subjectum in concretis adjunctis » ? Talem et tanti momenti consensum ostendere volumus. Sed notemus iterum *discrimen* inter *problematis data* et ejus *conclusionem. Etsi omnes eamdem realitatem intelligibilem spectaverunt, quantum de natura ejus profunda dissentiant, quam diversa sint criteria de eadem proposita, non ignoramus. Quid de tanta opinionum varietate sit concludendum, infra quaeretur.*

1. *De mente* Aristotelis dubitandum non est, cum *ejus Ethica circa ideam humanitatis tota se evolvat. Virtus in homine est modus se habendi quo fit « homo bonus et bene peragit sibi opus proprium ».* (*Eth.*, l. II, c. 6, n. 3). *Hanc notionem simpliciter assumit* et ab ea inducit totam theoriam de virtute, solutionem ipsam ethici problematis. Parum refert dispositionem habitualem hic describi potius quam exercitium actuale libertatis.

Tota doctrina resumitur notissimo « ἀνθρωπεύεσθαι[1] » (*Eth.* X. 8, 6). Antea dixerat : « *Bonum proprium hominis est activitas animæ secundum virtutem ordinatam* ». (Ed. Didot, l. I, c. 7 (V), n. 15 : trad. Barth. Saint-Hilaire, I, 4,15).

Cæterum libertatem requiri, sine probatione etiam assumit (II. 5.4 ; et 6.5). *Manifestum est Aristotelem accipere notio-*

(1) Idem Montaigne postea dicet : « Faire bien l'homme » (*Essais*, III, 13).

nem ab omnibus admissam ut objectum intelligibile ad quod deinde tanta cura attendit. Nihil ei apparet nisi problema ponendum; nihil probare tentat; satis est omnes id de quo agitur intelligere.

2. Idem jam poetice docuerat PLATO, *justitiam* seu *generalem virtutem* comparans *harmoniæ, qua facultates humanæ jucunde consonant (Repub.*, l. IV; éd. Saisset, t. VII, p. 231). Munus philosophi est depingere « *hominem idealem* » cui individua et societates conformes fieri debent (ibid., l. VI, p. 318).

3. Omnino consentiunt STOICI, quorum nota est formula: « *Age secundum naturam* ». Etsi a natura individuali ad universalem transeunt, putant eamdem esse normam (OGEREAU, *Essai sur le syst. phil. des Stoïciens*, spec. p. 183 sq.).

4. Nec dissentiunt EPICURUS et UTILITARISTÆ circa positionem problematis ut dicemus modo.

5. Mentem græcam LATINI non respuerunt. Celeberrima vox « *bonus vir* » de eo qui bene moraliter vivit, exprimit eumdem essentialem respectum boni moralis ad *perfectionem humanam ut talem* (cf. multos textus apud LEWIS *et* SHORT, *Latin-english dict.* ad vocem: « *Bonus* »). Et secundum CICERONEM « *decorum honestatis* » definiri solet: « *... quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo quo natura ejus a reliquis animantibus differat* ». (*De Off.*, I, 27).

6. Traditionem sequens S. THOMAS ponit bonitatem moralem in convenientia actus humani cum natura rationalis agentis (I^{a}, II^{ae}, q. 94, a. 2; *C. G.*, l. III, c. 129: *ista loca sunt præstantia*). Sicut Aristoteles, virtutem definit: « *statum perfectum hominis in quantum homo est* ». (*Supp.*, q. 41, a. 1. — Vide præsertim I^{a} II^{ae}, q. 71, a. 2; cf. q. 54, a. 3; — SERTILLANGES, *La Phil. mor. de S. Thom. d'Aquin*, initio capitis de virtute, p. 160, et passim alibi; — D. LOTTIN, *R. Néo-scol.*, août 1922, spec. p. 283, 297, 302, 303 et *Annales de l'Institut supérieur de philosophie de Louvain*, 1924, spec. p. 332, 396-399; — vide etiam nostrum opusculum gallice scriptum).

Evidenter requirit libertatem (*in II Sent.*, d. 24, q. 3, a. 2; I^{a} II^{ae}, q. 18, a. 9; q. 21, a. 2; q. 1, a. 1 et 3). Sicut Philosophus, *non putat aliquid esse probandum.*

7. *Unanimes esse auctores, procul dubio in primis scholasticos*, sic notabit SUAREZIUS: « *Bonum honestum ex omnium sententia dicit bonum quod per se est conveniens naturæ rationali ut sic* » (*Disp. met.*, d. X, s. 1, n. 12); et *bonum stricto sensu honestum ponitur in actibus humanis* (ibid., s. 2, n. 11, sq.); cf. *de bonit. act.*, d. II, s. 1, n. 5, (éd. Vivès, t. IV, p. 290), n. 9; s. 2, n. 10 sq., 12 (p. 294 sq.).

Multos textus concordes scholasticorum, Vasquesii, Lessii et aliorum qui ad diversas scholas pertinent, collegit *Cathrein* (*Moralphil.*[4], t. I, p. 167 [1]). Quibus jungi potest id quod habet Scotus in *Quodl.*, q. 18, n. 4, 5, 6 (cf. Bertoni, *Le B^x J. D. Scot* [1917], p. 183; — Boyvin, *Philosophia Scoti*, t. IV, p. 140 [2]).

8. Ad testimonia ex aliis fontibus desumpta provocare juvabit : « esse autem aliquid juris naturalis, ait Grotius, probari solet,... a posteriori si ostendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia necessaria cum natura rationali aut sociali » (*De Jure belli et pacis*, l. 1, c. 1, § 12, n. 1 ; — cf. etiam § 10).

Nec minus clare Leibniz dicet : « Bonum mentis naturale quoties est voluntarium simul est bonum morale » (*Epist. X, ad Wolff*, 21 fév. 1705).

9. Modo dicemus Kantium non vere nobis ipsum contradicere.

10. Etiam apud modernos multa testimonia plus minusve explicita nobis favent : cf. P. Larousse, *Grand dict. univ. du XIX^e siècle*, ad voces « Morale », « Honnêteté », præsertim ibi : « L'homme vertueux est bon sous tous les rapports » (Valde congruit cum iis quæ dicentur de « natura adæquata »).

11. Magis mirum est ipsum Durkhein citandum esse : necessariam conformitatem Ethicæ cum exigentiis socialibus quasi probare contendit ex « postulato » scilicet ex eo quod homo non potest « se negare » (*Bull. de la Soc. fr. de phil.*, 1906, p. 116), et notat nostram « *actualem* Ethicam » fundari « in reverentia personæ humanæ » (*Suicide*, p. 318 sq.).

Si etiam Utilitarismus, necnon Ethica Kantiana ab eadem notione, ut ostendemus modo, deriventur, tantus consensus magni forsan videbitur ponderis. Sed mirandum non est omnes istos philosophos attendisse ad realitatem eamdem cum sit cuilibet homini tam obvia et objectum præbeat problematis imprimis considerandi nempe quandonam et quibusnam conditionibus homo « se libere determinet ut simpliciter subjectum rationale decet in concretis adjunctis » ?

---

(1) « Dum S. Thomas et ejus antiquissimi discipuli non nisi occasione data accipiunt principium ethicæ Aristotelis, posteriores scholastici quæstionem profundius tractaverunt..... Censemus posse affirmare plerosque Scholasticos Concilio Tridentino posteriores hanc opinionem propugnavisse. » (Cathrein, *op. cit.*, p. 166, 167).

(2) Scotus loquitur de bonitate morali objectiva ut nos, quando dicit eam in eo consistere quod *objectum* convenit *perfectioni agentis* (*Quodl.*, q. 18, n. 5, 6 ; — Bertoni, p. 183) ; negat *judicium* morale niti ntum in *judicio* morali, comparatur *objectum* cum *agente* (n. 6).

§ II. — Natura boni moralis.

Sed eo posito de quo agitur nonne quærenda manebat profunda ejusdem natura ? Ibi enim moveretur problema fundamentale, proprie philosophicum. Porro *scholæ fere omnes steterunt in notione vulgari quam declaravimus et ulteriores quaslibet investigationes ut vanas necnon et falsas respuerunt.*

Et quid mirum, si jam conceptum philosophicum boni moralis se merito possidere existimabant ? Notio enim ista communis non tantum realitatem aliquam omnino determinatam designat, sed ejus adspectum quemdam intelligibilem [1] *a mente independentem et determinate seu formaliter significatum sub vocibus « boni moralis ».* Nempe eadem realitas simul exhibet conformitatem cum ordine rerum objectivo, cum Dei voluntate, et relationem medii ad finem ultimum prosequendum. Hæc et alia quæ intellectus ibi discernit, non sunt, ut videbimus, formaliter bonum morale.

Sed *omnis adspectus intelligibilis, a mente independens spectari potest ut objectum notionis cujusdam philosophicæ. Hinc definitio illum exprimens, ut formaliter in sermone designatum, est « definitio philosophica » objecti considerati.*

Ad detegendum talem adspectum formaliter designatum, hæc erat unica via : sedulo discernere quid homines, speciatim philosophi, dicere intendant dum loquuntur de « bono morali ». Sic cognosci potest de quonam intelligibili præcise agatur [2].

Quæ, ut comprobentur, adversas solutiones præcipuas brevi subjiciemus crisi. Etsi responsa differunt, idem ponitur problema, ab eadem boni moralis notione, plus minusve

---

(1) Hæc intelligibilitas, ut dictum est initio articuli, patet a priori ex eo quod naturæ humanæ qua tali oportet aliquem modum agendi simpliciter convenire. Potuissent etiam enumerari exempla certa, ut apparebit ex thesibus X et XI ; vide *C. G.*, lib. III, c. 129 jam citatum.

(2) Definitio nominis non est necessario philosophica ; nam designare potest objectum per accidentia. Sic vocare « hominem » : ens præditum facultate loquendi, ridendi, non est intimam entis istius naturam determinare.

Sed nihil impedit quominus res ipsa aliquando immediate attingatur. Si agitur de ente substantiali, completo, perfecte ab aliis distincto, facilius *exteriores* notæ primum apparent ex quibus satis designetur. Sed si realitas est accidentalis et interna, vel præsertim ad particularem istius adspectum attenditur, — ut est bonitas moralis actus liberi, — difficilius indirecta designatio sufficiet. Vel id de quo agitur latebit, vel jam notio erit formalis et directa.

Sic, speciatim in Ethica, multi sunt conceptus, v. g. virtutis, legis jurisque. Ibi enim considerantur quidam diversi adspectus internæ activitatis quæ a proximis adspectibus nonnisi per accuratam analysim discernuntur. Hinc indoles valde specialis thesium quarumdam : non sunt postulata, nec tamen provocatur ad veritates a priori evidentes, aut ad *sensum communem* aut ad inductiones. *Tantum notatur quæstiones aliquas de facto poni, homines communiter et speciatim philosophos attendere ad quædam objecta perfecte intelligibilia et satis est ista delineare.*

implicite proficiscuntur omnes. Imo, conscie aut non, eam spectant ut jam philosophicam, nam quærunt suas definitiones probare per comparationem — sæpe quidem dissimulatam — et, ut videtur, per formalem identificationem cum nostra atque vulgari definitione.

1. — Apud Utilitaristas, bonitas moralis consistit in prosecutione voluptatis seu felicitatis terrenæ, sed quia secundum eos humana vita non habet alium scopum. Finem enim exsistentiæ Epicurus imprimis spectat eum que censet supremam esse moralitatis normam, quin tamen distinguat finem proximum et ultimum, cf. Joyau, *Epicure* (in *Collect. des grands Phil.*), p. 157 sq.

Item Bentham et St. Mill, ad experientiam solam provocantes, nonnisi delectationem estimant appetibilem esse.

Et certe tam mirandum assertum prævideri poterat. Positivistæ enim, nihil ultra phœnomenon agnoscentes, necessario ad illud referunt quamlibet tendentiam aut activitatem. Hinc, etsi, ad instar traditionis morum præceptor hominem adæquatum et ea quæ istum decent considerare prætendit, positivista propriam extenuans scientiam, altiores hominis tendentias et ideo totam Ethicam quasi supprimere debeat.

2. — Kant e contra moralem philosophiam fundat extra experientiam et omne voluptatis desiderium spernit, nam principia moralitatis sunt absoluta, nec in contingentibus et phænomenis niti possunt.

Quod est *sine restrictione bonum,* non est talem aut talem scopum particularem intendere, sed consistit in bona voluntate secundum se, in voluntate legem adimplendi ex sola istius reverentia. Sumus in « puris conceptibus », agitur de lege quæ a ratione dimanet et ei universalem necessitatem debeat. Unde bonitas moralis ab omni contactu cum humanitate videtur expedita et omnem similitudinem cum antiquo conceptu repudians, in « formalismum » debiti (du devoir) et legis quasi in fastigium inacessibile penitus mutata extollitur.

Attamen initio ratiocinium quoddam innuitur quo istæ novitates præparantur. Cur « bona voluntas » secundum se sit præ omnibus consideranda ? Quia nihil aliud, ne dominium quidem animi supra passiones, « valorem personæ intrinsecum » plene et inconditionate constituit (*Fond. mét. des Mœurs,* trad. Delbos, p. 89). Sic ad reverentiam legis propter ipsam adducimur, quia ibi solum persona humana, seu ens rationale, suum plenum valorem invenit. Et sane non agitur de physica perfectione acquirenda, sed velle debemus esse nos, nobis cum et cum nostra ratione concordes fieri, et quidem ex reverentia

erga propriam nostram dignitatem, nos spectantes ut « fines in se » (*ibid.*, p. 150 sq.). Et quæcumque sunt relationes nos inter et ens transcendentale, « caput regni finium », « Ipsum, si exsistit, nos judicare non posset nisi ex iis quæ valorem absolutum personæ nostræ constituunt » (*ibid.*, p. 168).

Etsi igitur multa penitus audet evertere, Kantius etiam evolvit notionem communem, sed secundum mentem qua suam methodum suumque criticismum excogitaverat. « Agere bene moraliter » adhuc significat « agere ut absolute subjectum rationale decet ». Istud vero, sicut Utilitaristæ extenuaverant, ipse nunc ultra modum extollit. Dei, e « scientia » rejecti, persona humana locum tenet. Sola præcipiendo vim possidet moralis auctoritatis, virtutem obligandi. Absolute reverenda, non est ei *finis* se perficere. Cæterum, omne experientiæ datum ratio respuit, ne valorem absolutum præcepti in discrimen adducat. Ergo sola manet cum « conceptibus puris », constituens per legum repræsentationem dignitatem personæ, Ejus autonomia quasi totum hominem in se trahit, sicut subjectivismus totam scientiam et totam philosophiam assumpserat.

Ut Ethicam restitueret qualem Plato, Aristoteles, S. Thomas excoluerant, ad realia et objectivitatem redire debuisset. Cum eis accipiens *leges rationis esse leges voluntatis*, etiam oportebat ut *leges entis tanquam leges rationis* agnosceret. Tunc idem criterium « bonæ voluntatis » accepisset : naturam realem integramque cum inclinationibus, exigentiis, et necessitate se perficiendi (C. G., l. III, c. 129 ; — I^{a} II^{ae}, q. 94, a. 2).

3. — *Multo minus inter se* Scholastici *dissentiunt, cum systemata eorum philosophica in præcipuis conveniant. Et forsan diversitas non in sententiis sed in modo istas exponendi potius residet. Quidam enim recentiores notionem communem boni moralis aperte assumentes, cum analysim protrahere velint, videntur aliquatenus excedere, et, ultra essentiam quærentes, cum ea confundere id quod in ordine ontologico totali non est nisi fundamentum quoddam, ratio plus minusve remota.*

V. g. transcendentalem naturæ destinationem spectantes, merito notant omne desiderium se perficiendi involvere necessario tendentiam ad ultimum finem, omnem « liberam determinationem cum natura adæquata consonantem » non esse nisi medium ; in summa, cum finis ultimus sit ratio ontologica totius hominis, concludunt bonum morale in libera ad hunc scopum tendentia formaliter consistere[1].

(1) Hanc thesim evolvit P. Eymieu in egregio articulo (*Etudes*, 1904, t. I, p. 45 sq.). Cf. Frins, *de act.hum.*, II. p. 90.

Hæc autem sententia non omni modo nobis placet. Forsan minuta non satis curantes, considerare nolunt quomodo in multis vir etiam bonus se libere determinet, nempe cogitans de iis quæ proxime eum decent, minime vero de ultimo fine determinato, quin ob talem inadvertentiam sit vituperandus. Et cum temperantiam, justitiam erga alios, magnanimitatem ita exerceat, a nemine non agnosceretur agere ut virum decet, bene moraliter se gerere. Hoc igitur facere et ad finem ultimum determinatum tendere videntur esse duo intelligibilia clare distincta, duæ notiones[1], *etsi vita vere humana hæc conjungere debeat in congrua subordinatione. Nec inde transcenditur extensio*[2] *boni moralis, sed istud momenta habet distinguenda, aliquando voluntatis directionem in supremum scopum, frequentius autem minus graves determinationes, absque illa, qua amicus Dei constituitur, istæ plenum effectum non haberent, nullum conferrent meritum, attamen ex seipsis convenirent adhuc naturæ integræ : singillatim spectatæ essent moraliter bonæ, non vero vita collective sumpta*[3].

Forsan objicietur hanc etiam moralem bonitatem singularis actus consistere in istius naturali ordinatione ad finem ultimum, sive agens conscium sit hujus ontologicæ relationis sive non. Ut ponitur, ista difficultas nobis videtur soluta ex tota præcedenti expositione : ibi usus verborum solus agitur, sub vocibus « bonum morale » designatur convenientia liberæ determinationis cum natura adæquata, non præcise ordinatio ad ultimum finem.

En autem gravior objectio : quomodo quis absolutam convenientiam cum natura adæquata poterit dignoscere si ad finem ultimum non attenderit ? Ne longum ibi fiat responsum, satis erit ponere exemplum. Subordinatio facultatum est clare intelligibilis, etiam si a fine supremo abstrahitur. Hinc omnis libera determinatio huic ordini opposita — v. g. contra temperantiam — clare cognoscitur ut simpliciter disconveniens naturæ adæquatæ, quin requiratur de fine ultimo cogitare. Item *omnis libera determinatio cujus motivum sit reverentia istius ordinis — v. g. velle servare temperantiam — clare apparet ut decens naturam adæquatam, seclusa omni alia consideratione*[4].

---

(1) Cf. II^a II^{ae}, q. 145, a. 1, ad 3, et in II, d. 21, q. 1, a. 3 : distinctio est explicita (cit. apud *Cathrein*, th. 12). P. Donat et alii dicunt notionem boni moralis *implicite* involvere relationem ad finem, sed tota quæstio est de *aspectibus* seu de notis intelligibilibus quæ *explicite*, *formaliter* designantur. Si autem agitur de fine *indeterminate*, nempe *perfectione humana*, seu « *bono secundum rationem* » non opponitur nobis. Vide infra : art. IV, p. 75 in nota (1).

(2) *Quam forte quidam non satis ibi distinguunt a comprehensione.*

(3) Adversarii videntur negligere indolem successivam durationis et activitatis humanæ.

(4) Actus quidem humanus nequit esse bonus quin naturaliter tendat in finem ultimum ; sed est tantum proprietas, qua non cognita, ipsa bonitas moralis essentialiter et directe cognosci potest. Ita etiam homo essentialiter cognosci et definiri potest, quin spectetur ejus relatio transcendentalis ad Deum.

De his complexis problematibus iterum dicetur, præsertim ubi exponemus quonam sensu « *finis ultimus sit principium primum in ordine practico* ». Notemus tantum aliquam distinctionem quam crisis præcedens supponit et quam immerito, ut videtur, rejiciunt eminentes nonnulli auctores, nempe inter bonum morale et obligationem perfectam [1]. *Conceptus convenientiæ et strictæ necessitatis non sunt formaliter identici ; et nonnisi exigentiæ finis ultimi, « unici necessarii », sinunt ab uno ad alterum fieri transitum : hæc est, paucis verbis, solutio salebrosæ controversiæ quæ infra agitur circa naturam obligationis et modum quo cognosci potest. — Ergo introducere relationem ad finem ultimum in ipsa notione boni moralis, quasi ratio obligationis in ista involveretur, nobis videtur ordinem conceptuum evertere.*

4. — Multo minus immorabimur circa *identitatem quam aliqui ponunt inter bonum morale et conformitatem cum « ordine objectivo rerum »* seu « *complexu relationum quæ vigent inter entia* »; parum a nobis dissentiunt.

Hæc formula vix ante Jouffroy propugnata, istius forsan auctoritate primum floruit. Tum psychologia sat arbitraria aut saltem schematica genesim judicii moralis fingens, *hominem* describit assumentem ut *normam actionis suæ*, primum delectationem aut commoda immediata, — deinde satietatem naturae magis remotam et regulatam, sed mere individualem, — tandem ordinem universalem rerum, in quo « *ratio nostra suam legem agnoscit* »[2]. — Ita sat ostendit se proficisci a notione vulgari qualem declaravimus. Et sane, homini, adæquate sumpto, non convenit egoismus, non eum decet ab aliis præscindere. *Bene moraliter se gerere est se determinare ut decet hominem qualis est, complete et concrete, non tantum in se sed in relationibus suis, scil. ordinatus ad Deum, socius aliorum hominum !..... et tandem finis proximus hujus mundi sensibilis* (*Hinc etiam nostra thesis de criterio*, cf. infra, p. 65).

Tamen erravit Jouffroy, si formaliter posuerit « legem rationis » (practicæ) et « humanæ actionis » in conformitate cum ordine mundi, non autem in perfectione hominis qua talis. In recto iste spectandus est, universitas rerum tantum in obliquo. Agere enim ut hominem decet, non est *directe* mundum

---

(1) Sic Card. Billot, *de Deo Uno*[5], th. 3[a], § 3, p. 49 et Richard, art. « Fin dernière » (in *Dict. Theol., Vacant et Mang.*, c. 2188).
Cum auctoribus hic impugnatis fere sentit P. Castelein (*Mor.*, 1905, p. 235).

(2) *Droit nat.*, I, p. 51, — cf. tota lect., bene resumitur apud Franck, *Dict. des Sc. phil.*, c. 826 ; — optime autem confutatur a Ferraz, *Phil. du devoir*, l. I, c. 2 et 3 ; — eadem opinio, forsan immerito, attribuitur Montesquieu (cf. *Esprit des lois*, l. I, c. 1), — et Gerdil (cf. *Inst. phil. mor.*, d. 3, c. 3, cit. apud M. B., *Inst. de Droit nat.*, p. 179). In istis locis videntur nobiscum sentire ; cf. tamen alia.

universum perficere[1], sed quia ad istum *partim* ordinati sumus, cum ulteriori relatione ad nostrum finem supremum, activitas plene humana, « ἀνθρωπεύεσθαι », in bonum proximi societatisque tendere et ad totum nos accommodare debet.

Cæterum, ibi etiam theoria moralis multum pendet a systemate philosophico. Jouffroy anceps erat circa destinationem hominis et potius eum considerabat ut aliquod momentum evolutionis universæ (Cf. Franck, *Dict. des Sciences phil.*, c. 809).

Uno verbo hanc analysim systematum resumere liceat: ex modis diversis quibus natura humana seu rationalis concipitur, diversi sequuntur conceptus boni moralis, et, ut videtur, idem dici posset de multis aliis theoriis quas omisimus, v. g. sociologi Durkheim (vide *Appendicem Ethicæ generalis*). *Nec mirum est, data notione communi ex qua ut diximus omnia systemata moralia derivantur.*

CONCLUSIO

Processus noster ita resumi potest :

1° Colligimus quid velint formaliter exprimere homines istis vocibus : « bonum morale », vel aliis quas omnes habent pro synonymis ; ostendimus ex quanam formali notione omnes philosophi, etiam Kant, profecti sint, ubi spectant quæstionem de bono morali.

2° Assumendo hanc notionem, nec ponimus postulatum, nec provocamus ad sensum communem, aut nescio quamnam evidentiam a priori, sed exploratum consignamus quænam realitas intelligibilis, omnibus obvia, ab hominibus communiter nomen « boni moralis » acceperit, aut, quod ad idem redit, ad quamnam quæstionem moralistæ ibi attenderint[2].

Definire bonitatem moralem quoad nomen est dicere quænam circa eam ponatur quæstio, est exprimere quid quæratur cum petunt utrum aliqua libera determinatio sit « moraliter bona ».

Porro definitiones quoad nomen non sunt probandæ : voces hæc potius quam illa objecta designant ex conventione seu

---

(1) Admittimus notionem boni moralis posse extendi determinationibus aliorum entium intellectualium, imo-per analogiam-aliquatenus etiam Dei, sed prius desumitur ex ordine humano. Præsertim tenemus firmiter bonitatem moralem, in quocumque agente, formaliter et directe consistere in convenientia liberæ determinationis cum natura agentis, non autem cum universitate rerum. Et hoc asserimus non tam ut solutionem quam ut ipsam positionem problematis ab omnibus æquivalenter admissam etiam a Jouffroy ; sufficit ad eam redire, plenius eam intelligere.

(2) Non petimus a tali consensu sive rudium, sive doctorum, nisi designationem objecti ad quod omnes ibi attendunt ; intelligibilitas autem istius aliunde apparet, ut dictum est initio utriusque partis articuli præsentis : vide notam p. 48.

contingenti usu, quem detegere nonnisi audiendo et legendo possumus.

Item quomodo aliquod problema sit ponendum, non eget vera probatione. Omnis quæstio intelligibilis poni potest. Quando dicitur problema non recte poni, duo inter se comparantur problemata : unum de facto expressum et aliud quod poni intendebatur ; sed, si utrumque est intelligibile, utrumque ponere licet.

At quædam problemata obvia sunt, et omnino solvenda. Sic est quæstio præsens ; unde omnes ad eam plus minusve explicite attendunt. Cæterum *definitio quoad nomen potest simul esse philosophica*, id est præcise exprimere objectum ex notis essentialibus. Et si sedulo quæritur quid homines generatim, et speciatim philosophi, dicere intendant cum de bono morali loquuntur, definitio istius philosophica obtinetur ; nam hoc erit *intelligibile determinatum, essentialiter ab aliis distinctum, quod præcise appellationem boni moralis acceperit.*

Dicimus hoc intelligibile esse : *liberam determinationem quæ subjectum rationale simpliciter et concrete deceat*[1].

Fieri non posset hanc notionem omnibus obviam, intellectui cuilibet experientia quotidiana oblatam, non fuisse vulgari sermone designatam. Nomen « boni moralis » ei datum est.

Hæc definitio, quam initio cujuslibet moralis philosophiæ plus minusve explicite exprimi contendimus, immediate gravissimas habet consequentias.

Inde sequitur discrimen inter bonum malumque morale *in natura rerum* fundari : quidam enim actus, *natura sua*, agens rationale decent vel dedecent.

Etiam consequitur *criterium formale* boni malique molis

---

(1) *Notio transcendentalis boni in communi se extendit, ut patet, ad bonum morale (seu stricte honestum). Bonum est ens, quatenus est perfectum et conveniens ideoque appetibile.* (*C. G.*, l. III, c. 3, initio ; cf. I ª, q. 5 ; *de Ver.*, q. 21, a. 1 ; — *Eth. ad Nic.*, l. I ; — Suarez., *Disp. Met.*, disp. X, s. 1, n. 9 sq.).

Dividitur autem in :

bonum honestum, quod *per se convenit, aut « desideratur »*,

bonum delectabile, quod *convenit tanquam « quies in re desiderata »*,

bonum utile, quod *convenit ut medium.*

Hæc divisio, ait S. Thomas, videt videtur proprie esse « *boni humani* ». (I ª, q. 5, a. 6).

(Cf. Suarezius, disp. X, sect. II, n. 3, — et auctores quos ibid. citat.).

De Bono honesto. — Communem notionem jam citavimus cum Suarezio. Ipse eam sic explicat (Ibid sect. II, n. 4) : *bonum honestum est bonum quod per se decet, vel conveniens est homini ut sic, absque ordine ad delectationem.*

Postea distinguit *duplex honestum, secundum quod refertur aut non ad actiones humanas seu morales.* In primo casu adest propria ratio honesti (n. 11, sq., vide 14, 15).

N. B. — Non videntur S. Thomas et Suarezius ex alio fonte istas notiones desumpsisse nisi fere unice ex analysi quadam communis modi loquendi. Conceptuum autem originem unusquisque facile inveniet ex introspectione.

moralis esse naturam rationalis agentis in sua completa realitate sumpta, cum in seipsa ; tum in suis relationibus.

Quae fusius sunt explicanda in articulis sequentibus.

Ad difficultates contra nostrum methodum.

Forsan objicietur alios processus posse fingi magis philosophicos. — Ad quod modo generali respondemus ex prædictis : si philosophia concipitur ut nitens rationibus metaphysicis, ejus munus est solvere quæstiones quarum sensus jam notus est, non autem statuere terminologiam aut docere quænam problemata de facto ponantur.

Ceterum quinam essent alii processus ? Fortasse sequentes :

1) Definitio philosophica boni moralis statuenda esset excludendo alias.

Resp. Excludi nequeunt nisi quia non consonant cum notione vulgari, seu cum complexu proprietatum qui tantum bono morali communiter tribuitur. Processus est indirectus, nec valet nisi fere ad nostrum reducitur.

2) Bene moraliter se gerere est libere se determinare secundum voluntatem Dei. Atqui Deus vult hominem se determinare ut decet naturam rationalem. Ergo...

Resp. Major non est evidens, nisi ex comparatione cum notione vulgari ; est igitur circulus. Et quidem conformitas cum voluntate Dei est aliqua bonitas ; sed quæritur utrum sit specifice moralis.

N. B. — Eadem responsio esset, si major ita poneretur : Bene moraliter se gerere est libere se determinare secundum rectum ordinem ad ultimum finem.

3) Actus convenientes naturæ agentis recte dicendi sunt *boni*. Ergo actus liberi convenientes naturæ agentis *moralis* recte dicendi sunt *boni moraliter*.

Resp. Recte concludis istos actus liberos habere aliquam bonitatem. Istam autem esse specifice moralem affirmare nequis, nisi accipiendo, tu ipse, usum communem circa significationem expressionis « agens morale ». Insuper immerito supponis moralitatem dici primario de agente, dum e contra dicitur primum de libera determinatione, per derivationem tantum de agente : cf. cæterum quaestionem de moralitate in genere infra.

N. B. — Argumenta tradita a S. Thoma (*C. G.*, l. III, c. 129) non sun confundenda cum nostro processu. Scopus S. Doctoris est ostendere *quosdam* actus positive decere hominem (seu esse rectos, moraliter bonos), aut e contra dedecere, *independenter a lege, seu a præcepto,* quod non semper habetur : cf. infra de naturali discrimine boni malique moralis. Hæc tamen monstrant intelligibilitatem conceptus boni moralis.

4) Bonitas moralis est bonitas liberæ determinationis qua talis. Ergo est ejus convenientia cum agente quatenus est ratione libertateque præditum.

Resp. Si antecedens concedendum est, non provenit ex alio fonte quam usu communi locutionis. Sed insuper est aliquatenus ambiguum. Agiturne de bonitate determinationis *liberæ* præcise qua talis, seu ut est aliquis modus activitatis ? Tunc ei convenit *perfecta libertas.* Agiturne potius de bonitate magis comprehensiva et relativa agenti, seu de bono liberæ determinationis prout est *humana,* procedens ab homine qua tali, sicut admittimus et ut

est intelligendus S. Thomas in I^{a} II^{ae}, q. 18, a. 2, collatis aliis locis (*C. G.*, l. III, c. 129 ; I^{a} II^{ae}, q. 94, a. 2) ? Semper ex usu locutionis dirimendum est [1].

ARTICULUS II

DE NATURALI DISCRIMINE INTER BONUM MALUMQUE MORALE

C. G., l. III, c. 129 ; — Meyer, *Institut. jur. nat.* I, n. 142 ; — Cathrein., th. XI ; *Moralphilosophie* (1904), t. I, p. 671-677 ; *Die Einheit des Sittlichen Bewusstseins der Menschheit* (3 vol. Herder, 1914) : *de unitate conscientiae moralis apud genus humanum* (cf. brevem expositionem et crisim methodi a P. Pinard, s. j. : *Recherches de Sc. Rel.*, mai-août 1921, p. 227) ; — F. Nicolay, *Hist. des croyances, superst. mœurs*, etc. (cf. *Etudes*, t. 95, p. 858) ; — Janet, *La morale*, l. III, c. 4 : universalité des jugements moraux ; — de Quatrefages, *L'espèce humaine*, c. 34 : caractères moraux ; — Deploige, *Le conflit de la morale et de la sociologie*, p. 321 sq. ; — cf. quae dicemus infra de legis immutabilitate (thes. 29).

Communiter homines distinguunt actiones moraliter bonas et malas, ut diximus initio articuli præcedentis (p. 57). *Notio mali moralis, quam tantum indicavimus, opponitur notioni boni moralis : est libere se determinare ut positive dedecet naturam rationalem agentis simpliciter et concrete.*

Præcise quæritur in hoc articulo fundamentum istius discriminis atque oppositionis, et primum num adsit inter bonum malumque morale discrimen intrinsece determinatum ex ipsa natura actuum et agentis, an solum extrinsece et contingenter statutum, seu per modum meri facti, v. g. a libera hominum conventione. Primam sententiam asserimus ; secunda vocatur positivismus moralis.

De adversariis (vide Cathrein, c. III, art. 2 ; — Meyer, l. c.). — Inter veteres, Carneades aliique, inter recentiores

(1) Et quidem, si spectamus diversas vias quibus in hac quæstione auctores procedunt, nulla nobis recta apparet quæ non supponat nostram methodum. Vel enim isti nituntur sententia minus recta, v. g. : bonum morale *formaliter* consisteret in proportione finali ad Deum ; unde aliquando concludunt naturam agentis esse normam boni moralis cum de se natura tendat in ultimum finem (sic Meyer, ut videtur, t. I, n. 32, 131, 134) ; sed assumunt immerito significationem sermonis (ibid., n. 181), non satis distinguentes comprehensionem et extensionem (vide infra, p. 74). Vel implicite provocant sicut nos ad conceptum vulgarem boni moralis, v. g. excludunt diversas sententias, eas comparando, implicite saltem, cum notione communi. Sic procedit Cathrein in thesi X de moralitate in genere. Ceterum ipse, initio quæstionis, ponit eamdem definitionem boni moralis ac nos sine ulla probatione (ed. 9^{a}, n. 93) ; et ita faciunt alii præclari recentiores, v. g. D. Lottin, *Annales de l'Institut supérieur de philosophie de Louvain*, 1924, p. 332. Sic fecerunt plerique et maximi philosophi, ut diximus. — Forsan adhuc objicies eos potuisse aliam definitionem, re diversam, eligere. Respondeo : inde essentia rerum non mutata fuisset, sed ad aliud problema attendissent ; objectum autem ad quod omnes attenderunt est intelligibile, magni momenti et jucundum ; sufficit nobis.

Hobbes, St. Lambert, Nietzsche, Durkheim, etc., judicium commune hominum hac in re explicare contendunt ex humana contingentique institutione : sic multi Germani. Hobbes provocat ad legislationem, Nietzsche ad « vanas doctrinas » christianismi, Durkheim ad « influxum socialem » (« pression sociale ») : cf. infra.

Darwin fingit prædictum discrimen sicut ipsum hominem ab evolutione provenire (confutatur in *Phil. nat.* : cf. DE LA VAISSIÈRE, t. II, de transformismo).

Tandem plures Nominales, Cartesius [1], Pufendorf illud derivant ex libera Dei voluntate.

THESIS X. — Sunt quædam actiones natura sua moraliter bonæ vel malæ : — fundatur autem ultimo omnis bonitas moralis in essentia divina.

STATUS QUÆSTIONIS

Dicimus « *quædam* », non « *omnes* » : *multæ enim actiones non sunt malæ, nisi quia prohibitæ*, v. g. manducare carnes die veneris [2]. Insuper non negamus moralitatem perfecte sumptam seu cum omnibus proprietatibus moralibus (v. g. debito vel prohibito, merito vel demerito, etc.), includere respectum ad divinam ordinationem (cf. infra, art. IV) : Sic multi textus S. Thomæ explicantur.

Post inquisitionem proximi fundamenti discriminis inter bonum et malum, ultimum fundamentum *ontologicum* boni moralis in 2ª parte statuimus (*ontologicum*, i. e. in ordine realitatis, non cognitionis).

Nota theseos : Metaphysice certa, 1ª pars saltem ex primo argumento, etsi certitudo circa rationem *formalem* boni

---

(1) « Descartes, ait Liard, franchit d'un bond l'intellectualisme des âges précédents et renouvelant les profondes spéculations du moine Duns Scot, il fait de Dieu l'absolue liberté » (LIARD, *Descartes*, p. 192). Respondet BERTONI (*Le Bx D. Scot*, 1917, p. 184) cum de Wulf et C. Mercier, Scotum nil simile dixisse.

(2) Ex notionibus supra datis, quælibet bonitas aut malitia moralis in actionibus est earum convenientia aut disconvenientia cum natura hominis qua talis adæquate sumpti. Sed, v. g., disconvenientia supponit aliquando circumstantiam contingentem liberi præcepti : tunc non est a natura sola actionis determinata.

Attamen, sumpta *cum aliqua abstractione*, omnis bonitas aut malitia moralis dici potest determinata a natura : v. g. manducare carnes die veneris, si abstracte sumitur ut *violatio præcepti justi et honesti legitimæ auctoritatis*, nam talis violatio disconvenit homini qua tali.

Prima pars theseos exprimitur hoc principio : « multa non sunt mala quia prohibita, sed sunt prohibita quia mala ».

Inde etiam atheus cognoscere potest ex sua et suæ actionis natura aliquod discrimen inter bonum et malum morale. At, cognita voluntate, sive necessaria, sive libera Dei prohibentis, homo agnoscit aliam malitiam graviorem quæ consistit in violatione divini præcepti (cf. th. *de obligatione*).

malique moralis non sit metaphysica. Sufficit enim formulas nostras (art. præc.) esse *materialiter* veras, i. e. recte designare bonum malumque morale sive ex essentia, sive ex proprietate inseparabiliter connexa.

PARS I^a.

PROB. 1° — *Directe ex notionibus.* Actiones humanæ sunt bonæ aut malæ moraliter secundum quod homini qua tali adæquate sumpto conveniunt aut disconveniunt.

Atqui *natura sua* (seu independenter a libero arbitrio Dei vel hominum aut aliis contingentibus) quædam actiones conveniunt aut disconveniunt homini qua tali adæquate sumpto : v. g. amare Deum et proximum, servare justitiam, temperantiam, etc., homini qua tali adaequate sumpto natura sua conveniunt; actus contrarii disconveniunt. Hoc immediate apparet ex comparatione actuum cum diversis adspectibus naturæ : essentiali ordinatione ad Deum, indole sociali hominis (unde convenientia eorum « sine quibus societas humana conservari non potest », v. g. servare justitiam), subordinatione facultatum, etc.

Ergo... (cf. *C. G.*, l. c. ubi quasi tota ethica individualis, socialis, religiosa, in ordine naturali, synthetice reducitur ad præsentem considerationem).

PROB. 2° — *Indirecte ex consensu universali.* Universalis et invincibilis hominum persuasio necessario fundatur in veritate (cf. Criteriol.).

Atqui omnis homo ratione præditus invincibiliter censet quasdam actiones esse natura sua (ita ut Deus ipse nihil mutare possit) bonas aut malas moraliter : exempla essent eadem ac in probatione prima.

Ergo...

Ad Minorem: Constat experientia psychologica et historia (cf. Cathrein, Janet, de Quatrefages, Deploige, l. c.).

Vide alia argumenta apud Cathrein : a) *Ex defectu proportionis inter institutionem humanam, necessario contingentem, et persuasionem universalem ;* b) *ex consequentiis : nulla lex esset inhonesta ; et si agitur de institutione libera Dei, ipse conceptus divinæ Sanctitatis destrueretur : supponit enim ideam regulæ* (*de Verit.*, q. 23, a. 6).

Nota etiam naturale discrimen boni malique moralis, seu « ordinem naturalem » *jam moralem*, independenter a Dei voluntate constitutum, supponi a S. Augustino in sua explicatione legis æternæ (Cont. *Faustum*, l. XXII, c. 27, Migne, t. XLII, col. 418 ; — cf. *Epist.* 140 ad Honoratum, ibid.,

t. XXXIII, col. 539). — Et recte quidem, etsi ut lex æterna exsistat, sufficiat Deum velle sine contradictione id quod creat et necessario ad Seipsum ordinat (vide th. 19^am, — 2^am partem th. 21^æ, — et p. 73, 3^o cum N.-B.).

PARS II^a

PROB. : Essentia divina, utpote supremum exemplar est ultimum fundamentum omnis boni ;

Ergo speciatim bonitatis moralis (Cf. pulchra apud Ollé-Laprune, *Essai sur la morale d'Aristote*, p. 296 sq. Auctor debuisset admittere dignitatem humanam et bonitatem moralem cognoscibiles esse, etiam non spectato divino principio nostræ naturæ) ; multo melius : Gilson, *Saint-Thomas d'Aquin* (Les Moralistes chrétiens), Introduction ; — Scheeben, *Dogmatique*, trad. Bélet, t. II, p. 400 sq.).

Obj. 1^a. Quod pertinet ad objectum divinæ legis pendet a libera Dei voluntate Dei. Atqui discrimen inter bonum et malum morale pertinet ad objectum divinæ legis. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : Si objectum est prius lege, *nego* ; si lex constituit objectum et est libera, *conc.* — *Contradist. min.* :... ita ut sæpe discrimen sit prius omni lege etiam naturaliter *imposita et perfecte obligante* 1, *conc.* ; ita ut semper lege positiva seu libera constituatur, *nego*.

Obj. 2^a. Quod supponit creationem pendet a libera voluntate Dei. Atqui discrimen inter bonum malumque morale supponit creationem sine qua nulla est actio moralis. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* :... pendet a libera voluntate Dei, in ordine in quo supponit creationem, *conc.* ; in alio ordine, *nego*. — *Contradist. min.* : Creatio supponitur ut *constituens* discrimen *in se essentialiter, nego* ; ut ponens *conditiones exsistentiæ* boni vel mali moralis, *conc.* — Non enim pendet a creatione talem modum agendi, v. g. servare temperantiam, de se convenire, talem alium modum disconvenire naturæ hominis ; pendet a creatione hanc naturam exsistere, et elementa proportionata, quibus si homo utitur accomodate ad exigentias sui organismi, temperantiam servat et ideo bene moraliter agit.

Obj. 3^a. Quod Deus mutare potest, pendet a divina libertate. Atqui

---

(1) Instantia. — « Cette position nous semble très inconsistante : la nature des essences, quelles qu'elles soient, est fondement de relations de convenances intrinsèques physiques ; mais il n'y a pas d'ordre vraiment moral sans obligation absolue pour la liberté et de l'avis à peu près unanime et pour nous absolument certain, l'obligation, unique fondement de toutes les autres, c'est celle de Dieu, fin dernière », (Richard, *Dict. de theol. Vacant*, art. « fin dernière », col. 2488, b).

Resp. In thesi 21^a præsertim, difficultas solvetur collatis supra dictis. Cum præclaro auctore, absolutam obligationem in Deo fundari admittimus. Sed ibi petimus quomodo distingui possint præcepta et consilia, si præter obligationem ordo moralis non datur. Non spectata obligatione, bonum morale non reducitur ad « convenientiam physicam », nisi ista extenditur usque ad humanam dignitatem ; a nobilitate rationalis naturæ virtus ipsa nobilitatem et decus habet (cf. I^a II^ae, q. 19, a. 1, ad 3^um ; — nostrum opusc., *Probl. fond...*, ch. II, art. 5 ; — et de vera distinctione inter præcepta et consilia, ea quæ opponimus P. Hugueny in *Archives de phil.*, 1924, bibliog. crit., p. 86 sq. — Vide etiam infra, p. 73, 3^o cum N. B.).

discrimen inter bonum et malum morale Deus mutare potest (v. g. occisio proximi evadit bona ex praecepto quod Abraham accepit). Ergo...

Resp. *Conc. maj.* — *Dist. min.* :... mutatione proprie dicta seu formali, *nego* ; mutatione materiæ, *conc.* — Occisio proximi non est intrinsece mala ex se. Generatim opponitur dominio Dei in vitam hominis, sed Deus aliquando (tamquam proprietarius supremus) potest concedere ut quis alium occidat, et de facto hoc concedit, v. g. publicæ auctoritati. Cf. th. 26, de legis naturalis immutabilitate.

Obj. 4°. Quod pendet a circumstantiis non est naturale. Atqui discrimen inter bonum malumque morale pendet a circumstantiis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* : Quod pendet in se a circumstantiis non est naturale, *conc.* ; quod ab iis pendet quoad applicationem materialem, *nego.* — *Contradist. min.* : pendet a circumstantiis aliquam speciem actionum, v. g. temperantiam, convenire vel disconvenire homini, *nego* ; pendet a circumstantiis talem actum pertinere aut non ad temperantiam, *conc.*

Obj. 5ª. Contra secundum argumentum, ex testimoniis oppositis.

Resp. (cf. Janet, *La morale*, p. 391, sq. : de l'universalité des jugements moraux : sat bene, attamen quæ dicit de progressu, non sunt sine cautela accipienda ; — Cathrein introductionem op. cit. : *De unitate conscientiæ* apud homines).

Breviter : non sunt asserta sine crisi concedenda. Præsertim vide infra, th. 25. Nec propugnamus judicia moralia esse identica de omnibus apud omnes : cf. th. seq.

ARTICULUS III

DE CRITERIO BONI MORALIS

Saint Thomas, C. G., l. III, c. 129 ; I ª II ªe, q. 94, a. 2 ; q. 54, a. 3. — Suarez., *De bonitate actuum humanorum*, d. 2, s. 2, n. 19 sq.

Quæstio implicite solvitur in articulo 1°.

Quid directe a nobis quæritur circa bonum morale [1] ?

1. — Non *ratio ontologica*, scil. fundamentum *realitatis*, quod in thesi præcedenti fuit ostensum, sed norma *logica*, seu fundamentum *dignoscibilitatis*.

2. — Non norma *subjectiva*, quæ, ut patet, est judicium morale aut facultas judicandi, sed *objectiva*, scil. *motivum judicii seu criterium proprie dictum*.

3. — Non criterium *universale* et *intrinsecum* omnis veritatis, quod est evidentia, sed criterium *specificum*, quod est fons alicujus evidentiæ, scil. bonitatis moralis.

---

(1) De « norma » boni moralis, etsi quoad verba idem quærunt, multi tamen quoad rem diversa spectant problemata : cf. art. R. P. Claverie, O. P. (*Rev. thomiste*, mars 1913, p. 210). Hinc thesis est delimitanda.

4. — Non fons totalis etiam immediatus istius evidentiæ, qui includit tum actum moralem (aut ejus objectum) dijudicandum, tum aliquem *terminum generalem comparationis*, sed quæritur solum iste terminus.

5. — Non criterium *materiale* tantum, ex quo discernitur quocumque modo utrum volitio sit bona vel mala moraliter (v. g. catalogus quidam), sed *formale* ex quo etiam *intelligitur cur* moralitas sit talis, seu ex quo ista dignoscitur *secundum rationem formalem* boni vel mali moralis.

6. — Tandem agitur tum de *jure*, tum de *facto*, scil. de *criterio* tum *adhibendo*, tum de facto ab hominibus spontanee *adhibito*.

Non oportet confundere præsens problema cum thesi XXI[a] *ubi statuetur quomodo homines se cognoscant stricte obligatos. Alia enim est bonitas moralis, alia obligatio, seu practica et categorica necessitas bene agendi.*

THESIS XI. — Criterium formale, — et in praxi communiter adhibitum, — boni malique moralis pro homine est ejusdem natura rationalis adæquate sumpta.

STATUS QUÆSTIONIS

A) ***De natura adæquata.*** — 1. *Intelligitur natura hominis tota, qualis est non tantum in abstracto, sed etiam in concreto, cum ordine interno facultatum, speciatim cum subordinatione ad rationem debita, simulque cum externis relationibus ad* DEUM *diversaque entia.* (Respicimus directe moralitatem in homine ; posset thesis extendi ad alia agentia intellectualia, imo per analogiam aliquatenus ad Ipsum Deum).

Igitur *non spectatur proprie natura aliqua « idealis », perfecta, sed realis*, ex qua cæterum perfectio idealis detegi potest. Natura perfecta non est criterium quæsitum, cum non facilius cognoscatur ac bonum morale, nec sit necessario consideranda, ut mera « *decentia* » *moralis* detegatur[1] (cf. obj. 2, infra).

Neque sumimus præcise ut criterium adspectus « morales » naturæ. Non enim ista, sed ipsa *volitio libera, prius* est « mora-

(1) Quidam non videntur satis distinguere criterium ab ipsa bonitate morali sed ideali ; et item qui loquuntur de ordine objectivo, aliquando spectant ipsum ordinem moralem sed idealem. Isti omnes implicite redeunt ad regulam proximam subjectivam moralitatis quæ est judicium morale. Nos quærimus *criterium bonitatis moralis, sive realis, sive idealis (non typum).*

lis ». *Agens non dicitur « morale » nisi ex eo quod est capax moralitatis in suis volitionibus*[1].

2. — *Si natura sumitur in abstracto, secundum notas essentiales,* non excludendo notas individuantes, sed tantum ab eis præscindendo, *statuuntur regulæ universales boni malique moralis pro hominibus,* v. g. justitia est servanda.

Si sumitur in concreto, cognoscuntur applicationes particulares, v. g. quomodo sit servanda justitia? (S. Thomas, *De virt. in comm.,* art. 6).

3. — *Sed natura adæquata non est necessario natura adæquate cognita*[2]; *sufficit eam totam cognoscere partim positive, partim negative,* seu scire relationes convenientiæ vel disconvenientiæ volitionis cum natura adæquata esse necessario quales apparent ex adspectibus istius positive cognitis, independenter ab aliis. Et hoc sæpissime accidit, — *dato ordine stricte determinato naturæ etiam partim consideratæ,* — cum volitio tunc considerata manifestetur clare vel ut *absolute* opposita *alicui* tendentiæ aut hierarchiæ naturali (sic blasphemia fini primario, mendacium fini locutionis, furtum indoli sociali hominis), vel ut *necessaria ordini* qui ex *aliqua* parte naturæ exsurgit (sic temperantia).

Addamus naturam perfecte cognitam esse criterium *de jure absoluto,* ex quo *moralitas objectiva semper perfecte cognosceretur.* Quando agitur de moralitate subjectiva, seu de modo reali et concreto quo homo libere se determinat circa decentia, criterium *de jure relativo,* seu pro praxi solum possibile et sufficiens, non est natura perfecte cognita, sed *id quod de se ipso agens potest cum diligentia convenienti cognoscere.*

Jam sunt *tres casus* circa judicium morale sic efformatum : vel *certitudinis veræ,* vel *certitudinis erroneæ,* vel *dubii.*

De primo fuit modo dictum eum sæpissime accidere. Secundum provenit ex insufficienti consideratione naturæ adæquatæ; at non errat qui, sequens conscientiam certam sed falsam, judicat (*judicio reflexo*) suam volitionem concrete convenire suæ naturæ adæquatæ : i. e. in qua includitur dictamen *directum* conscientiæ.

In tertio casu ope probabilismi obtinetur certitudo *reflexa* de convenientia concreta volitionis cum natura adæquate sumpta,

---

(1) *Hoc non impedit quominus moralitas resultet ex duabus causis : ex voluntate libera ut causa efficienti, et ex objecto volitionis ut causa finali, objecto nempe spectato in sua relatione ontologica conformitatis aut difformitatis cum natura adæquata* (cf. Schol. I, infra).

(2) Designatio totalis non est enim cognitio perfecta, v. g. si dixerim : « mundus totus creatus est », designatur totus et incomplete cognoscitur. Item ibi designo naturam totam ut terminum comparationis, cui actus bonus cognoscendus est consonare, etsi illa non cognoscitur adæquate.

i. e. in qua includitur *dubium speculativum* (cf. cap. *de conscientia*).

B) ***De adversariis***. — Jam noti sunt ex articulo 1° : inter scholasticos sunt qui assignunt tanquam criterium *ordinem objectivum*. Vix eorum sententia a nostra differt. Ordo objectivus est complexus relationum quæ vigent inter entia.

Magis a nobis differunt qui sumunt tanquam criterium *finem ultimum determinatum*.

Inter non scholasticos sunt qui nullam normam proprie dictam admittunt, sic Durkheim, Belot... (siquidem ipsam propriam notionem boni moralis e medio tollunt),

vel nullam normam objectivam, sic Kant ;

vel objectivam quidem, sed omnino falsam, sic Utilitaristæ (cf. append. Ethicæ generalis).

C) ***Divisio theseos***. — Distinguere possumus duas partes : in *prima*, spectatur criterium *formale*, seu *de jure* ; in *altera*, criterium *de facto*. Prior est mera consequentia notionis supra datæ de bono morali in art. 1°. Posterior probabitur dupliciter : 1°, ex eadem notione ; 2 , independenter ab ea, quæ sic confirmabitur indirecte.

Nota theseos : *quasi certa*, sicut ipsa *formalis notio* boni moralis. Theoriæ quas propugnant adversarii non scholastici sunt omnino erroneæ, ut in appendice Ethicæ generalis fusius ostendetur.

DEMONSTRATIO

PARS I^a^. — Criterium formale est natura adæquata.

PROB. — Generalis terminus cui comparanda est volitio humana ut cognoscatur *utrum et cur* (seu *ex ratione formali*) sit bona vel mala moraliter, non est nisi natura rationalis adæquate sumpta. Ergo... (cf. definitionem criterii).

Antecedens patet *ex notione formali* boni malique moralis in art. 1° exposita, nempe convenientia aut disconvenientia liberæ volitionis cum natura adæquata. Nam ex sola terminorum comparatione convenientia aut disconvenientia directe et in se dignoscitur.

N. B. — 1° Hoc sensu dicimus : *leges entis sunt leges boni moralis, seu voluntatis.* Etenim *ex ipso ente quod est agens rationale* dignoscitur quænam libera volitio ei conveniat.

2° Ex scholio infra posito, comparatio *volitionis* cum natura reducitur ad comparationem *objecti* cum eodem termino.

PARS II[a]. — Criterium in praxi communiter adhibitum est natura adæquata.

PROB. 1°, — *ut merum corollarium art. I[i] et partis præcedentis.*

His enim admissis quærere utrum libera determinatio sit moraliter bona est quærere utrum deceat subjectum rationale. Porro omnes hanc convenientiam cognoscunt comparando, conscie aut non [1], volitionem cum natura subjecti.

Patet *de doctis* qui rationem formalem curant [2]; patet etiam *de indoctis*, qui se sinunt ab aliis instrui et duci : nam ita, saltem recte et sincere, non agerent, nisi *per seipsos* agnoscerent *talem practicam docilitatem se indoctos decere. Per seipsos* autem hoc animadvertere nequeunt nisi *directa comparatione hujus docilitatis cum sua natura concreta.*

PROB. 2°, — *independenter a notione formali boni moralis et ad eam indirecte confirmandam.*

Illud solum est criterium in praxi communiter adhibitum, ex cujus notis explicatur *modus quo, de facto, feruntur judicia moralia*, speciatim : 1° cur judicia moralia sint de facto universalia et immutabilia circa essentialia quædam et variabilia circa applicationes ; — 2° cur ab omnibus circa multa tam facile efformentur, circa alia difficilius.

Atqui tantum ex notis naturæ adæquatæ hoc explicatur :

A) ***Ex notis naturæ adæquatæ explicatio datur.*** — Etenim 1° *natura est communis quoad essentialia, diversa in concreto*, ideo uti hoc criterio ducit *ad regulas universales et immutabiles*, necnon ad *applicationes concretas variabiles* [3] ;

2° *immediate aliquo modo dignoscitur, mediate modo plus-minusve perfecto, inde explicatur facilitas aut difficultas judiciorum secundum casus.*

B) ***Si præscinditur a concreta natura, explicatio non datur.*** — Nam *ordo objectivus* et *finis ultimus*, nisi respicitur determinate subjectum cum relationibus ad ista, non explicant *variabilitatem* judiciorum moralium *pro diversis conditionibus* individuis vel socialibus cujusque.

Insuper multi, finem ultimum determinatum non curantes,

---

(1) Tamen explicite : attendunt etsi non attendunt se attendere.

(2) Recte aut non recte, sed etiam qui errant, v. g. Utilitaristæ, spectare *intendun* naturam qualis ab eis concipitur.

(3) Vide SERTILLANGES, *La Philosophie morale de saint Thomas*, p. 158, 159 ; optime contra Lévy-Brühl.

se tamen censent et censentur agere bene vel male moraliter, adhibetur ergo aliud criterium (vide art. seq.).

Utilitarismus non explicat constantiam judiciorum.

Sensismus et *autonomia Kantiana* ne valorem quidem eorum salvant (cf. in fine Ethicæ generalis).

SCHOLION I. — De modo utendi criterio, data specificatione actus ex objecto.

Agimus ibi :

a) *de objecto formali*, seu quatenus præsentatur a ratione, sic Deus qua possidendus ;

b) *de termino* actus moralis (vg. Deus possidendus), non de objecto adæquato volitionis, qua includit et terminum et ipsum voluntarium (volitum per reflexionem), imo et circumstantias in quantum sunt ipsæ volitæ (Deus et amor Dei et intensitas, difficultas, etc.) ;

c) tandem terminus potest sumi plusminusve proxime, vg. tamquam actio externa : dare eleemosynam, oratio vocalis,... aut terminus hujus actionis externæ : bonum proximi, honor Dei...

Actio externa ipsa non videtur umquam specificare ex se volitionem liberam ; sed objectum ex se specificans est id ad quod ista actio externa, si adest, aut immediate actus internus intelligitur tendere.

Probatur objectum sic delimitatum specificare actus moralitatem (Iª IIæ, q. 1, a. 3, — cf. alios textus apud Cathrein, th. XII, prænot.). Etenim :

1° cum non tendamus mere ad tendendum, semper invenitur tale objectum volitionis ;

2° imo ista non ponitur, nec cognoscitur, nisi ut tendentia ad hunc terminum ;

3° volitio convenit aut disconvenit naturae adæquatæ, prout ipse terminus est isti bonus aut malus, seu congruit aut non cum naturali tendentia ad perfectionem et verum bonum agentis (cf. notam sequentem).

Hinc ad dignoscendam moralitatem essentialem determinationis, sufficit comparare objectum formale cum natura adæquata. Et revera, implicite saltem, comparatio volitionis cum ista necessario ad hoc reducitur [1].

---

(1) Sine nimia difficultate quisque perspiciet quamlibet virtutem tendere ad bonum *ontologicum* agentis, sive intrinsecum, sive extrinsecum, individuale, sociale, vel etiam divinum. Ut enim sæpe notat S. Thomas, bonum partis est bonum totius et vice versa ; hinc quærere bonum proximi vel societatis, vel ipsius Dei, principii nos-

N. B. — Quod modo diximus est particularis casus *specificationis actus humani ex objecto.* S. Thomas istam ostendit modo generali, considerando actum ut motum voluntatis, et objectum, seu finem, tum ut terminum, tum ut principium seu causam finalem istius motus.

Sub duplici adspectu objectum seu finis actus istum determinat et quasi ei communicat propriam suam speciem.

Motus enim est ad terminum, sicut potentia (actus inchoatus, actus entis in potentia...) ad actum ; et potentia (actus inchoatus) specificatur ab actu ad quem tendit.

Et pariter motus assimilatur causæ suæ (ibi finali).

SCHOLION II. — De bonitate morali objectiva et formali. Ob relationem ad moralem actum, objectum etiam denominatur bonum, vel malum, vel indifferens moraliter. *Bonitas moralis in actibus* dicitur *subjectiva* seu *formalis, in objectis* dicitur *objectiva* seu *materialis ;* et hæc ultima denominatio etiam actibus applicatur, quando isti in abstracto sumuntur ut *objecta voluntatis* (ut enim jam notavimus, quando aliquis vult, vult etiam suum velle).

SCHOLION III. — De extensione usus criterii. Criterium quo dignoscitur bonitas aut malitia moralis, etiam inserviet ad discernendas species diversas bonitatis aut malitiæ, i. e. diversas species convenientiæ aut disconvenientiæ inter volitionem et naturam.

Et eodem modo cognoscuntur modificationes accidentales moralitatis. Sufficiet comparare cum natura adæquata volitionem adæquatam, i. e. sumptam cum omnibus circumstantiis. Cf. infra : art. VI.

Principia ad solvendas difficultates.

I. — *Ratio humana est criterium honestatis dupliciter :*

1° *subjectivum, seu facultas judicans ;*

2° *objectivum, saltem partiale,* nam est pars præcipua naturæ humanæ et cui aliæ debent subjici. Igitur, per reflexionem in seipsam, dijudicare potest hanc actionem liberam esse inhonestam quam non regulat, v. g. malum esse manducare aut ludere abstrahendo ab ejus directione. Sed hic reditus explicitus et formalis rationis in seipsam non est semper necessarius. Et ideo non diximus criterium formale esse naturam rationalem « qua rationalem ». Hæc ultima verba inutilem

---

tri et finis, (scil. intendere quod Eum condecet, Ei placet), est adhuc nostrum bonum quærere. Sufficiat unum exemplum magis forsan arduum quam alia. Obedientia tendit ad reverentiam practicam auctoritatis jubentis. Porro societas est bonum individui. Isti igitur sicut illi convenit auctoritas ducens societatem ad finem suum ; ideoque etiam subdito convenit reverentia practica auctoritatis. Vide II^{am} II^{ae}, q. 81, a. 7 : « quælibet enim res perficitur per hoc quod subditur suo superiori... »

complexitatem addere videntur[1]. Cæterum, qui se determinat conscie ut decet naturam suam adæquatam, eo ipso aliquo modo conscie reveretur supremationem rationis, cum volitionem suam cognitam judicio suo cognito accomodet; nihil aliud requirit bonitas moralis.

II. — Regulatio quæ ex parte rationis requiritur ut actio aliqua sit bona, non attingit actiones, saltem naturales v. g. actionem comedendi, quoad primam et substantialem determinationem, sed quoad modum tantum, v. g. tempus, quantitatem cibi, etc. Dummodo modus attingatur, parvi refert actionem externam esse natura sua communem aut non homini et brutis. Hæc communitas indicat tantum substantiam actionis non posse regulari a ratione : non enim regulatur actio nisi prout est libera.

III. — Regulatio debet fieri non spectato fine particulari tantum etsi proprio homini, sed in ordine ad perfectionem hominis adæquate sumpti (sic ratiocinari, etiam recte, non est semper honestum).

IV. — Circa specificationem actus ex objecto. Objectum *materialiter*, seu ut est in se, conveniens per se homini, qua tali, (v. g. vita ex ordinatione naturali ad finem ultimum consequendum), non habet necessario *formaliter* (seu qua apprehenditur et proponitur a ratione) bonitatem moralem objectivam, cum ratione non necessario proponatur secundum suam naturalem convenientiam, v. g. si vita spectatur tantum in ordine ad voluptatem sensualem.

N. B. — Objectum materialiter sumptum potest per se convenire homini qua tali (sic vita), vel per se disconvenire (ut esse in inferno) vel per se nec convenire nec disconvenire homini qua tali et abstracte sumpto (ut esse in tali regione, habere tales amicos). Species moralitatis poterit non esse correspondens in objecto *formaliter* sumpto et in ordine ad hominem in concreto, ut apparet ex quarto principio.

Porro objectum specificans est objectum formale, ut dictum est.

Hæc principia applicanda sunt ad solvendas objectiones quas habet Cathrein (th. XII).

Aliæ objectiones.

Obj. 1[a]. Quod non est homogeneum bono morali non est ejus regula. **Atqui natura non est homogenea bono morali. Ergo...**

Resp. *Dist. maj.* : Quod non homogeneum etiam imperfecte, *conc.*; secus, *nego.* — *Contradist. min.* Nam bonum morale est quid etiam physicum, etsi sui generis, i. e. cum relatione ad naturam adæquatam.

---

(1) Hinc quoad verba relinquimus Cathrein (th. XII, prænot.). Sed idem re exponimus, scil. judicium de bono morali necessario involvere comparationem aliquo modo consciam volitionis cum ratione regulante.

Instantia. — Saltem natura mere physica agentis non refert.

Resp. *Nego :* 1° leges entis sunt leges voluntatis ; 2° bonum partis est bonum totius. Igitur quod convenit parti etiam inferiori convenit superiori nisi adjungitur deordinatio.

Obj. 2ª. Quod potest fieri perversum nequit esse regula boni moralis. Atqui natura adæquata potest fieri perversa. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : Si perversio est essentialis, *conc. ;* si est accidentalis, ita ut remaneat essentia, *nego ;* nam consideratio essentiæ rectæ nonnisi ducit ad condemnandam perversitatem accidentalem, v. g. fur, recte considerans suam naturam adæquatam seu concretam, nequit duci ad judicium practicum falsum, v. g. de bonitate furti, sed tantum ad deponendam suam inclinationem perversam quæ contradicit suæ naturali tendentiæ ad verum bonum naturæ adæquatæ. Imo oportet quemque ad proprios defectus aut suas culpas attendere ut sciat quid se vitiosum, aut reum, aut imperfectum deceat agere ut seipsum emendet vel damna reparet.

Obj. 3ª. Convenientia cum natura adæquata subordinatur bono compositi humani, nam natura identica est cum isto composito. Atqui bonitas moralis non semper subordinatur bono compositi, cujus exsistentiam ipsam aliquando decet periculo exponere. Ergo bonitas moralis non est convenientia cum natura adæquata.

Resp. Natura adæquata excedit compositum ratione animæ spiritualis, et bonum istius præstat bono compositi.

Obj. 4ª. Terminus cui comparandus est actus ad dignoscendam moralitatem est criterium moralitatis. Atqui comparandus est cum fine ultimo. Et probo : actus sunt boni vel mali moraliter prout sunt utiles necne ad finem ultimum prosequendum. Ergo...

Resp. *Dist. maj. :* aliquod criterium, *conc. ;* formale, *subdisl. :* si comparatione dignoscitur moralitas ex notione formali, *conc. ;* secus, *nego.*

Ad min. : Nego comparationem fieri semper cum fine ultimo ; et quando fit, ex ea sola dignosci moralitatem ut ex ratione formali.

Ad rationem allatam, concedo ; sed *nego consequens,* nam utilitas est tantum proprietas, non ipsa ratio boni moralis. Ergo ad cognoscendum actum esse bonum requiritur quidem non apparere inutilitatem ; non requiritur utilitatem apparere.

Vide alias difficultates in thesi de universalitate legis naturalis (th. 25ª).

ARTICULUS IV

QUOMODO FINIS ULTIMUS, SIT « PRIMUM PRINCIPIUM IN OPERATIVIS »[1].

Ex præcedentibus (art. I, parte 2ª, n. 3 præsertim, et art. III) sequitur bonum morale non *formaliter* consistere in tendentia ad finem ultimum *determinatum*, nec dignosci ex eo ut *for-*

(1) Ista ibi ponimus ad solvendas aut præcavendas objectiones ; sed melius essent post alias theses ethicæ generalis, ut sunt in nostro opusculo gallice scripto, cum explicent totam synthesim doctrinæ et ex diversis partibus ipsa illustrentur.

mali criterio, sed tum de jure, tum communiter de facto ex alia regula.

Eadem fere probatio ac supra exponi potest modo indirecto ex consequentiis theseos adversæ :

1° Ex hac theoria sequeretur permultos homines non posse elicere ullum actum subjective honestum (subjective, i. e. concrete secundum conscientiam agentis).

Atqui hoc videtur, nimius rigorismus (saltem in modo loquendi, quem præcise impugnamus).

Ergo...

Prob. maj. : Ut actus sit subjective honestus requiritur intentio actualis vel virtualis (i. e. virtute actus imperantis) in objectum honestum qua tale cognitum (cf. th. 13 et 14).

Atqui innumeri homines qui non curant relationem ad Deum nequeunt intendere prædicto modo objectum honestum, si honestas seu bonitas moralis est formaliter ad Deum tendentia [1].

Ergo...

2° Quamvis ethicæ quæ « *independentes* » vocantur, de vitio essentiali objurgandæ sint, quis auderet dicere philosophos quorum, in multis, Scholastici vestigia sequuntur, imprimis Aristotelem cujus doctrinam quasi totam S. Thomas fecit suam, ne ullum quidem verbum scripsisse de *formali et proprio objecto philosophiæ moralis* ? Porro hoc esset dicendum, si *formalis* ratio boni in ordinatione actuum ad Deum consisteret.

Insuper :

3° ut in 1ª thesi notavimus, Deus se constituit finem ultimum *voluntate sua* (p. 9, N. B. 2). Hoc non est vere intelligibile nisi ratione attributorum *moralium* Summæ Bonitatis. Nempe voluntas divina non *necessario* conformis est exigentiis ontologicis Infinitæ Excellentiæ, nisi propter *necessariam* perfectionem *sapientiæ* et *sanctitatis* quæ Eidem Excellentiæ competunt. Hæc autem attributa moralia, Sapientia, Sanctitas, nequeunt a nobis concipi et affirmari, nisi ascendamus ab ordine moralitatis, virtutis humanæ ad ipsas Dei perfectiones. Igitur, antequam intelligamus Deum se constituere finem ultimum, oportet bonitatem moralem a nobis jam intelligi et ex alio criterio dignosci (cf. th. 1ª, arg. 1æ partis).

N. B. — Idem responderi potest iis qui asserunt bonum morale non cognosci antequam ipsa perfecta obligatio agnoscatur, nam

(1) Nec sufficit, ut patet, eos vocare « *honestatem* » id quod formaliter non esset honestas. Nec uti possunt criterio mere materiali, v. g. ordine objectivo (cf. Eymieu, *Etudes*, 1904, t. I, p. 50 in nota), si valorem istius regulæ agnoscere nequeunt, quippe qui formaliter attendere non possunt aut nolunt ad id quod putandum esset ab ea commonstrari.

Deum nos obligare, eadem via intelligimus, ac Ipsum se constituere finem ultimum. Cf. th. 21ª 2ª pars.

Vide alia apud CATHREIN, th. 13 ; FRINS, *De actibus humanis*, t. II, p. 90.

Sed tunc apparet magna antinomia :

« *Primum... principium in operativis*, ait S. THOMAS, *est finis ultimus*... Firmiter nihil constat per rationem practicam, nisi per ordinationem ad finem ultimum. » (cf. Iª IIæ, q. 90, a, 2, in corp. et ad 3um : agitur quidem de legislatore, sed regula ponitur modo absoluto ; cf. etiam multa alia loca et vide conclusionem nostri opusculi gallice scripti).

Videtur contradicere nostræ sententiæ de criterio moralitatis.

Resp. — Laudata formula de fine ultimo est quidem a Doctore Angelico centies probata et videtur quasi summa Ethicæ generalis, cujus præcipuis thesibus sive jam expositis, sive infra videndis, declaratur...

Sensus sunt plures sed connexi. Etenim *finis ultimus est in operativis principium primum :*

1° *ontologicum*, ut prima causa omnis naturæ creatæ et ejus activitatis (Iª IIæ, q. 1, a. 2) ;

2° *psychologicum*, ut primum movens voluntatem creatam, tum absolute et in omni actu sub ratione indeterminata boni (Iª IIæ, q. 1, a. 6), tum relative ex libero arbitrio sub ratione recte aut non recte determinata : « unusquisque naturaliter habet desiderium ultimi finis... ; sed quod hoc vel illud sub ratione beatitudinis, et ultimi finis desideret, ex aliqua speciali dispositione naturæ contingit... » (C. G., l. IV, c. 95) ; attamen « illud bonum oportet esse completissimum quod tanquam ultimum finem appetit habens affectum bene dispositum » (Iª IIæ, q. 1, a. 7) ;

3° *morale*. Ibi autem distinguendi sunt duo adspectus problematis ethici : — 1° *Quæstio legis perfecte obligantis ;* — 2° *quæstio boni moralis.*

Circa *primam* quæstionem infra ostendemus hominem non se cognoscere perfectæ obligationi subjectum, nisi finem ultimum sibi assignatum consideraverit (cf. Th. 21, arg. II). Similis etiam probabitur conditio requiri ad cognoscendam perfectam sanctionem (cf. Th. 22).

Circa *secundam* quæstionem, iterum distinguere oportet *comprehensionem* boni moralis (conceptum, rationem formalem) et ejusdem *extensionem* (applicationes ejus diversas). De comprehensione et formali criterio ei respondente fuit dictum

supra. Ad extensionem vero quod attinet, adhuc distinguas : a) *Bonam ordinationem totius vitæ*, et — b) *actus moraliter bonos, sumptos singillatim.*

a) *Homo honestam vitam, perfecte non gerit, nisi in primis, aliquoties saltem omnes suas actiones Deo fini ultimo offerat per actum amoris super omnia.* Hoc est jam evidens ex thesibus de fine ultimo (cf. etiam th. 37).

Absque tali conditione, actiones quidem possunt esse in se *vere honestæ* : sic eleemosyna athei ; carent autem *conditione extrinseca* quæ ad *perfectam honestatem* exindeque etiam ad *meritum* requiritur, sc. *debita ordinatione agentis ad Deum* (cf. I[a] II[æ], q. 89, a. 6 ; I[a] II[æ], q. 23, a. 7 ; — et infra : quæst. de Merito)[1].

Nota hanc ordinationem non esse necessario iterandam in omnibus actibus, imo, secundum probabiliorem sententiam, non semper requiri ad modum intentionis virtualis, scil. influentis in positionem actuum ; sufficit intentio habitualis, scil. antecedenter habita, nec revocata. Igitur non est necessarium eam perseverare nisi ut dispositionem ex parte agentis (statum amicitiæ cum Deo), aut proprie gaudere efficientia in naturam aut exsistentiam sequentium actuum, dummodo eis conferat extrinsecam directionem ad Deum [2] (comme l'orien-

---

(1) Sic intelligenda sunt in multis locis *verba* S. Thomæ « *ordo ad finem* » ; designant *a*) ordinem moralem *in tota sua extensione*, et ideo *b*) id sine quo nec vita *tota* honesta est nec ulla actio gaudet conditione *extrinsece* requisita ut sit *perfecte* honesta et *meritoria*. — Vel « ordo in finem » sumitur *ontologice*, et est sane proprietas boni moralis. — Vel tandem ipse *finis ultimus* spectatur cum aliqua indeterminatione, ut *perfectio humana*, *bonum secundum rationem* (II[a] II[æ], q. 145, a. 3, ad 3[um]) ; sed tunc nil additur conceptui, *comprehensioni* boni moralis, qualem explicavimus, nec magis determinatur criterium objectivum unde ratio judicat actus esse bonos moraliter seu naturam humanam decere. Hoc ultimum bene explanatur a D. Lottin, *Annales de l'Institut superieur de philosophie*, Université de Louvain, 1924, p. 363-365 : « Cette fin vers laquelle doit s'orienter l'activité morale est le bien en général ou, si l'on veut, la fin dernière conçue *in abstracto*. En d'autres termes, le but que doit poursuivre toute action est la perfection même de la nature humaine. On reconnaît le premier principe de l'ordre moral : agir en homme, agir selon la raison, n'est-ce pas là le terme recherché en tout acte de vertu ? » — Idem exprimit Sertillanges, *La Phil. mor. de saint Thomas d'Aquin*, p. 160-161. — Manifestum est enim naturam non differre ab appetitu finis naturalis.

P. Eymieu (*Etudes*, loc. cit.) vocat æternam beatitudinem : « Finem ultimum *psychologicum* ». Sed nonnisi bonum sub ratione boni est objectum necessario volitum volitione formali et est stricte finis psychologicus. Perfectio autem humana, beatitudo sensu antiquorum (cf. th. 4[a]), sive consummata cum satietate plena consequente, sive quocumque gradu et ut inclusa in totali « bono secundum rationem », est tantum id ad quod voluntas inclinatur, non id quod vult necessario et semper volitione formali. Hinc beatitudo, *in hoc gradu determinationis*, potius dicenda est finis sensu *morali*, id quod *decet* intendere, bonum ipsum morale aut terminus ejus secundarius (terminus simul *ontologicus* ad quem *inconscie* tendit appetitus naturalis, cf. th. 2).

(2) Hæc directio et actus boni sequentes pertinent ad eamdem seriem quæ, si continuatur, constituit vitam vere humanam ; attamen sunt momenta psychologice distincta, et hoc sensu unus actus dici potest aliis extrinsecus.

tation d'un navire est extrinsèque par rapport à tout le fonctionnement intérieur : vide quæstionem laudatam).

Ex dictis apparet quonam sensu finis ultimus sit « primum principium, in operativis » :

1° in ordine cognoscitivo, non tantum ontologico, præbet fundamentum necessarium et ultimum obligationis ;

2° nonnisi ejus adeptio aut amissio recte apparet perfecta sanctio vitæ honestæ ;

3° *sine agentis ad eum ordinatione, aliquoties habita,* nulla est actio *perfecte honesta,* nullum *meritum.*

b) *Ex alia parte, nec actualis, nec virtualis intentio ad finem ultimum determinatum requiritur ut actus singillatim sumpti sint vere (non perfecte) honesti, i. e. in se vere convenientes naturæ adæquatæ (etsi extrinsece habitualis ordinatio agentis non conveniat eidem naturæ adæquatæ).*

Ista vera honestas sine consideratione finis ultimi omnino recte agnosci potest : v. g. honestas temperantiæ.

Tamen dicendum est præcipuas actiones morales pertinere ad ordinem religiosum et involvere formalem respectum ad finem ultimum.

Insuper vera ipsa honestas aliorum actuum, vera eorum convenientia cum natura adæquata multo clarius et splendidius apparet cum cognoscuntur ducere ad primarium finem et ad summum bonum ejusdem naturæ.

Imo finis ultimus dicendus est prima regula perfectionis. Quo enim magis actus ducunt ad gloriam Deo præbendam et ad Ejus possessionem, eo magis etiam conveniunt naturæ adæquatæ. Sed nota nihil dignosci ex fine quin ista simul consideretur. Ad determinandam rectam tendentiam activitatis humanæ, supremus scopus est quasi unum punctum, *terminus ad quem* ; considerandum est aliud extremum, *terminus a quo* libera volitio procedit, i. e. ipsa natura agentis.

Ad vincendas objectiones breviter nota :

1. Non dicimus : actiones naturæ adæquatæ convenientes esse honestas qua ducunt ad finem ultimum ; sed e contra actiones ad finem ultimum ducentes esse honestas qua ita conveniunt naturæ adæquatæ [1] (cf. IIª IIæ, q. 81, a. 2 ; — C. G., l. III, c. 129 in fine).

(Circa obligationem, ordo erit inversus : actiones convenien-

(1) Non est finem ultimum agenti rationali subordinare : quod esset contradictorium. Terminus enim cui actus conveniunt ut moraliter boni non est Ens ad quod ab agente sunt ultimo dirigendi, actuali vel prævia intentione ut dictum est. Ordinare *totam vitam suam* ut seipsum decet exigit se Deo subordinare. Vide finem notæ, p. 69.

tes naturæ sub obligatione cadunt in quantum requiruntur ad finem ultimum prosequendum).

2. Non excludimus finem ultimum a criterio boni moralis : ultima enim destinatio naturæ essentialiter pertinet ad naturam adæquatam. Sed consideratio finis ultimi non essentialiter pertinet ad omnem usum rectum criterii, v. g. ad dignoscendum utrum temperantia conveniat naturæ adæquatæ. Distinguas igitur criterium et usum criterii.

3. Non dicimus ordinationem totius vitæ et ordinationem actuum sumptorum singillatim exigere diversa criteria.

4. Asserimus dari unicum criterium, sc. naturam adæquatam ; sed multi sunt ejus adspectus, quos non requiritur semper omnes considerare (v. g. quoad mendacium, eleemosynam...).

Cf. alia apud FRINS, *De actibus humanis*, t. II, p. 90 sq.

ARTICULUS V

DE MORALITATE IN GENERE

Quamvis hæc quæstio generatim ponatur initio capitis de bono maloque morali, et nobis videatur immediate dirimi ex notione boni moralis, eam ibi remisimus ob subtilitatem saltem apparentem controversiæ, ne videantur theses præcedentes fundari in solutione nimis disputata. Interest autem problema solvere, sin minus ob utilitatem practicam, at saltem ad theoriam plenius illustrandam cum agatur de proprio et formali objecto philosophiæ moralis in sua generalitate sumpto.

THESIS XII. — Moralitas generice spectata, seu quatenus communis est ratio actus boni, mali indifferentisque moralis, probabiliter consistit in libera determinatione agentis rationalis circa ea quæ decent naturam suam adæquate sumptam (dans une attitude proprement humaine par rapport à ce qui convient simplement à l'homme).

SUAREZ, *De bonitate et malitia morali*, disp. I (éd. Vivès, t. IV, p. 277). — FRINS, *De actibus humanis*, t. II, initio.

STATUS QUÆSTIONIS

1. ***Quid præcise quæratur.*** — Vox « *moralis* » de multis prædicatur, v. g. de scientia, de virtutibus, de lege, etc. in diverso sensu, ut patet, sed cum relatione ad moralitatem quæ in actibus liberis invenitur : de istis proprie, de aliis analogice dicitur.

Aliquando apponuntur gallice voces « moral » et « immoral ». Nos autem respicimus « *moralitatem genericam* » quæ frequenter in sermone ponitur ut attributum commune actibus sive bonis sive malis, sive forsan indifferentibus.

Insuper, ut jam notavimus, *liberi actus vocantur « morales » ex eo quod ab iis mores procedunt* (cf. introd. II in fine).

Exinde nondum « definitio rei » conficitur ; adhuc enim nescimus quid lateat in adæquata significatione vocis « mores ». — Item nec conceptus vere scientificus inest hac obvia notione etsi magis præcisa : moralitas est « valor actus liberi respectu regulæ honestatis ». Remanet quærendum quid constituat hunc valorem spectatum secundum suam rationem communem bono, malo indifferentique morali.

Porro in hac ratione duplex includitur elementum « scilicet substantia ipsius actus (voluntarium physice et absolute spectatum) quæ est veluti quid materiale, et formalis ipsa denominatio seu forma illa a qua actus denominatur moralis ». (Suarez., l. c., sect. II, n. 1).

Jam de formali ratione moralitatis quærimus ; quod « valde obscurum est » ait Suarez (ibid.).

2. ***Opiniones.*** — Cf. Frins, l. c., p. 3 sq.

Ista formalis ratio ponenda esset :

1° In *entitate actus* intrinsece considerata : sic sæpe intelligitur Greg. de Valentia (d. 2, q. 13, p. 1 ad. 3) ;

2° in *libertate* actus : sic intelliguntur Durandus, Scotus (in II, d. 40, § « De secundo ») ;

3° in *dependentia a ratione advertente ad honestatem objecti* (hinc actus beatificus, etsi non liber, esset moralis) : sic Sylv. Maurus (II, l. 5, q. 22, n. 7), Scheeben, *Dogm.* trad. Bélet, t. I, l. 2, n. 594 sq.) ;

4° in *modo realiter superaddito physicæ entitati, scil. in habitudine transcendentali actus ad objectum ut est præcise constitutum sub regulis morum :* sic fere *Thomistæ :* Curiel, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses, Gonet, Billuart.

Thomistæ præsertim in eo a nobis differunt quod spectant *libertatem* ut quid *materialiter præsuppositum moralitati :* cf. Salmanticenses, tr. 11, disp. 1 d. 2, éd. Palmé, p. 14 sq.

5° In *regulabilitate per rationem :* ita Vasquezius.

6° In *dependentia tum a libertate, tum a ratione advertente ad honestatem vel turpitudinem objecti :* sic Suarez., l. c., Arriaga, Esparza, Platel, etc... quos Cathrein sequitur ;

7° Tandem in *relatione actus ad regulam morum seu honestatis* : ita multi recentiores, quos Cathrein in sua thesi X impugnat. Diversimode hæc relatio determinari potest, sive quoad terminum, sive quoad modum quo actus ad terminum refertur ; hinc merito notatur formulam præcisione indigere.

Insuper augetur numerus opinionum si spectatur diversitas in *determinatione regulæ honestatis.* Hæc norma est secundum multos natura adæquata agentis, secundum alios finis ultimus vel ordo objectivus (cf. supra, th. XI).

3. ***Sententia nostra declaratur.*** — *Re non differt a sententia Suarezii.* Verba autem videntur magis directe et complete exprimere communem conceptum [1], simulque sat ostendunt quonam sensu ultima opinio (7°) explicari possit secundum mentem Doctoris Eximii.

Vidimus enim apud istum « regulam honestatis » esse naturam rationalem.

« *Determinatio circa ea quæ naturam decent* » potest esse vel *ad ea conversio*, vel *ab eis aversio*, vel *omissio de eis curandi*. De casibus istis diversis tractabimus in articulo sequenti, ubi inter alia statuemus utrum tertia hypothesis in concreto sit a duabus primis distinguenda (cf. th. XVI). Præscindimus autem num advertentia ad ea quæ naturam adæquatam decent inveniatur necessario in omni deliberatione (cf. eadem th. XVI et Suarez, ed. Vivès, t. IV, p. 279, n. 9-10; p. 223, n. 32), sed requiritur ad moralitatem.

4. ***Nota theseos*** : *certa*, ut ponitur.

PROB. 1° directe : Id quo bonum morale formaliter distinguitur a cæteris bonis est formaliter moralitas.

Atqui bonum morale formaliter distinguitur a cæteris bonis ex eo quod sit libera determinatio agentis rationalis circa ea quæ decent naturam suam adæquate sumptam.

Ergo...

Minor probatur ex articulo primo. Nempe notio boni moralis obtinetur jungendo notæ convenientiæ, quæ est communis ratio boni, specificam notam quam formula thesis exprimit. Sic specifice designantur fundamentum et terminus boni moralis. Fundamentum est ipsa determinatio agentis rationalis ; terminus est id cui hæc determinatio convenit, nempe natura adæquata agentis, mediantibus tum advertentia rationis, tum libertate voluntatis, a quibus pendet determinatio.

N. B. — In enuntiato thesis, determinatio spectatur, non entitative ut est ipsum voluntarium physice, sed ut est relatio circa ea quæ decent...

PROB. 2° indirecte, excludendo alias opiniones aut eas reducendo ad nostram.

a) Opinio Greg. de Valentia ex contextu ad nostram fere reducitur nisi circa boni moralis criterium (vide totum textum, t. II, p. 237-240 ; et Frins, t. II, p. 91). Ut autem sæpe intelligitur (cf. supra stat. quæst.), hic auctor confundit substratum moralitatis cum ejus essentia, ut patet ex actibus voluntariis in somno positis, qui non vocantur morales.

---

(1) Dicimus « magis directe », nam conceptus communis videtur directe respicere aliquo modo ipsam determinationem agentis (son attitude) ; « magis complete », nam loco conceptus honestatis statim ponimus aliquid magis præcisum, scil. respectum convenientiæ ad naturam agentis.

b) Vix quæstionem videtur Durandus spectare.
Scotus ex aliis ipsius locis reducitur ad nostram sententiam (Vide *Frins* circa utrumque l. c.).

c) Sylv. Maurus et Scheeben debuissent distinguere *ordinem naturæ* et *ordinem moris* qui est pars alterius et requirit libertatem secundum notionem communem.

d) *Thomistæ* non probare videntur moralitatem *re* differre a suo fundamento physico, aut libertatem esse tantum substratum materiale. Vide infra : Objectiones et Scholion III.

e) Vasquezius non satis directe spectat formalem rationem moralitatis, ut cadit sub communi vocis significatione, scil. ut est modus subjectivus se habendi in ipso agente (une attitude réelle de l'agent) ; potius considerat proprietatem abstractam istius modi.

SCHOL. I. — **Nostram sententiam confirmat doctrina completa.** S. Thomæ. Colligendo textus ejus diversos, duplicem notam invenimus in moralitate :

1° dominium voluntatis quod includit advertentiam (in II sent., d. 24, q. 3, a. 2 ; — Iª IIæ, q. 18, a. 9 ; q. 21, a. 2 ; — Iª IIæ, q. 1, a. 1 et 3).

2° respectum ad ordinem rationis (Iª IIæ, q. 18. a. 8, in corp. et ad. 2) : hunc ordinem alibi Sanctus Doctor describit : ratio dijudicat eas actiones esse rectas quæ conveniunt naturæ humanæ (C. G., l. III, c. 129 totum ; — Iª IIæ, q. 94, a. 2 ; — vide supra art. I).

SCHOL. II. — *De notione imputabilitatis*. Est moralitatis proprietas : illud proprie imputatur quod attribuitur causæ liberæ et valorem seu æstimabilitatem (bonam vel malam) habet respectu moralitatis, seu respectu perfectionis humanæ qua talis (cf. Cathrein, th. X, schol. II).

SCHOL. III. — *Moralitas est relatio*. — 1° realis, nam non pendet a fictione mentis ; — 2° transcendentalis : et enim relatio quæ sequitur ex specifica determinatione subjecti est transcendentalis ; porro talis est moralitas ; ergo.

Prob. min. relatio quæ voluntario inest aut non secundum speciem objecti formalis, sequitur ex specifica determinatione voluntarii ; porro secundum speciem objecti formalis, inest aut non voluntario moralitas : nempe.

a) prout objectum est aut non bonum infinitum perfecte cognitum, deest aut adest libertas (datis debitis conditionibus v. g. statu vigiliae).

b) pro modo quo objectum proponitur, voluntarium est aut non determinatio circa ea quæ decent naturam adæquatam agentis. Ergo.

3° ratione tantum distincta a suo fundamento, ut omnis relatio.

Obj. Thomistarum. I° **De libertate.**

Opponuntur ordo physicus et ordo moralis. Atqui libera determinatio est quid physicum. Ergo non quid morale.

Resp. *Dist. maj.* : opponuntur adæquate, *nego* ; ut totum et pars, *conc.* — *Conc. minorem.* — *Dist. cons.* : libera determinatio præscindendo ab objecto, *conc.* ; circa ea quæ decent natura adæquatam, *nego.*

II° **De distinctione moralitatis a fundamento** (*Salmanticenses*, tr. 11, disp. 1, dub. 2, ed. Palmé, p. 11).

Obj. 1[a]. Volitio secundum *esse physicum* determinatur ex objecto physice considerato, secundum *esse morale*, ex subjectione seu comparatione objecti regulis morum. Atqui istæ determinationes realiter distinguuntur. Ergo (agitur de distinctione reali lato sensu, scil. « formali ex natura rei ». Ibid., p. 13, n. 20 sq.).

Resp. *Dist. Maj. quoad 1*[am] *partem* : sumendo objectum adæquate seu formaliter, scil. ut *re* proponitur a ratione et intenditur a voluntate, *conc.* ; inadæquate..., *nego*, — *conc. 2*[am] *partem.* — *Contra dist. min.* — Negatur suppositum adversariorum, scil. distinctio adæquata ordinis physici et moralis ; voluntas physice tendit ad objectum quale proponitur a ratione, igitur ut comparatum regulis morum, si agens ad eas advertit. Nec dicant hanc comparationem esse quid accidentale relate ad objectum physicum actus interni ; non enim v. g. convenientia respectu naturæ adæquatæ minus principaliter terminat motum physicum voluntatis, quam aliæ notæ objecti.

Obj. 2[a]. « Potest variari et amitti moralitas volitionis, invariata specie physica : ergo distinguuntur 1. » *Prob. ant.* exemplis : v. g. si quis « hora licita vescens carnibus perseveret in hac actione et volitione tempore prohibito... » ; aut si actus incipitur sine deliberatione et continuatur cum deliberatione, aut incipitur cum libertate et continuatur idem numero sine libertate, sicut actus caritatis B[æ] Virginis, quando mortua est.

Resp. *Transeat Antecedens. Dist. cons.* : distinguuntur *ratione*, sicut relatio et fundamentum, *conc.* ; re, *nego.* — *Ad exempla* : in 1° exemplo mutatur etiam species physica ex dictis ad 1[am] objectionem ; in 2° et 3° conceditur identitas speciei physicæ actus absolute sumpti : *fundamentum* igitur moralitatis non mutatur saltem essentialiter, sed ipsa moralitas quæ est relatio determinatur tum a fundamento, tum a conditionibus externis : supponit libertatem quæ est proprietas *facultatis*, non stricte ipsius *actus* (est dominium voluntatis in suum actum) ; hinc actus B[æ] Virginis morientis, intrinsece et essentialiter remanens idem, desinit esse moralis ex mutatione quæ est extrinseca ipsi actui ; nihil igitur impedit« esse morale » *re* identificari cum actu physico, supposita *extrinseca conditione libertatis* (simul cum advertentia ad decentia). — [De ipsa thesi circa distinctionem inter relationem et fundamentum, cf. Metaph. v. g. Delmas, *Ontol.*, p. 585 sq., qui forsan intelligit Thomistas sensu nimis materiali. Secundum istos, relativum ut tale non est res physica, sed realitas metaphysica. Cf. *Complutenses*, t. I, p. 236, initio, — et p. 238, dextera, — et vide p. 231...]

(1) Mirum est Suarezianos arguere ex simili antecendenti ad rejiciendam distinctionem realem inter relationem prædicamentalem et fundamentum. Nempe dicunt : « invariato fundamento, relatio accedit subjecto, ex sola additione termini. Ergo relatio accedit subjecto, ex sola additione termini. Ergo relatio non est *nova* realitas superaddita fundamento »... Aut : « dato fundamento et termino, jam intelligitur subjectum referri ad terminum, ergo »... Cf. infra, in fine responsi ad hanc obj. et ad sequentem.

Obj. 3ª. Esse morale et esse physicum habent sub se series diversas specierum. Ergo... *Prob. Ant.* : esse morale distinguitur in bonitatem, malitiam,... et v. g. bonitas in diversas species actuum virtutum ; esse physicum distinguitur in simplicem volitionem, intentionem, consensum, electionem, etc. (cf. cap. 2, art. 2).

Resp. Hæc divisio voluntarii physice sumpti non videtur esse in species proprie dictas, sed in actus partiales. Distinctio igitur esse moralis et esse physici non videtur necessario realis. Nec forsan magis esset concedenda distinctio stricte realis, antecedenti transmisso.

Instantia. — *Salmanticenses* (l. c., n. 20 sq.) dicunt esse physicum et esse morale distingui « formaliter ex natura rei » (vide n. 21, init.) — sicut actionem et passionem — igitur magis ac animal et rationale (ibid.) quia animal et rationale constituunt *unam* essentiam, e contra esse morale et esse physicum sunt *duæ* essentiæ.

Resp. Quidquid est de actione et passione, non videtur rejicienda unitas essentialis esse moralis cum esse physico : id quo voluntarium est « une attitude proprement humaine relativement à ce qui convient à l'homme simplement » *re* identificatur cum voluntario physice sumpto.

N. B. — Forsan difficultates evanescerent, si problema bene poneretur. Adversarii non propugnant distinctionem in ordine physico seu rei a re, sed in ordine essentiæ tantum. Porro hæc distinctio quae non viget inter *exsistentia*, sed inter *intelligibilia*, ita ut tamen imponatur menti ex natura rei et exigatur a fundamento, nonne pertinet ad distinctionem quam Suareziani vocant « virtualem, seu rationis, cum fundamento in re »?

ARTICULUS VI

DE MORALITATE ACTUUM INTERIORUM

In tribus articulis sequentibus, instituimus analysim magis adæquatam boni malique moralis in actibus ; cæterum, sat breviter, cum in theologia sit complenda.

Agemus primum de actibus interioribus, seu ab ipsa voluntate elicitis, postea de exterioribus, qui scil. ab aliis facultatibus sub imperio voluntatis exercentur. Aliquid addemus de extensione voluntatis ex voluntario indirecto (seu in alio).

Circa actus interiores, successive loquemur de eorum bonitate, malitia, indifferentia.

§ I. — De bonitate actuum interiorum.

Iª IIæ, q. 19, a. 1 ; — Suarez, *De bonitate et malitia actuum humanorum*, disp. 4 sq.

Determinatio adæquata hujus bonitatis, sive essentialis, sive accidentalis pendet ab objecto et a circumstantiis. Criterium autem proprie dictum, seu terminus cui etiam circumstantiæ sunt comparandæ semper est natura adæquata agentis.

A) *DE BONITATIS FORMALIS DETERMINATIONE ESSENTIALI EX OBJECTO*

Bonitas moralis per definitionem est bonitas ipsius actus humani ; cf. th. 11 de criterio, Schol II.

THESIS XIII. — Bonitas moralis actus interioris ratione tantum differt ab ipsa tendentia physica voluntatis in objectum honestum ut tale cognitum : — nec exigit istud intendi formaliter et exclusive quia honestum : et ex eodem unam tantum determinationem essentialem et intrinsecam accipit.

Nota theseos : probabilior.

PARS PRIMA. — Bonitas moralis actus interioris ratione tantum differt a tendentia physica...

Declaratur. — Sequitur immediate ex dictis de bono morali in art. 1°[1].

Etenim bonitas formaliter consistit in relatione convenientiæ (*bonum est ens quatenus convenit*) ; et, sicut omnis relatio, ratione tantum differt a suo fundamento (*ens et bonum convertuntur*). Porro, fundamentum boni moralis, ut patet ex toto articulo 1°, nequit esse nisi perfectio intrinseca voluntariæ determinationis, i. e. ipsa tendentia physica[2] voluntatis in objectum honestum ut tale cognitum, seu in objectum cujus cognoscitur vera et simplex convenientia homini qua tali[3]. (Cf. th. de criterio, schol. I). Ergo...

Terminus autem relationis est ibi natura adæquata agentis cui talis determinatio convenit. — Cf. Suarez, l. c., s. 2, n. 20 : ed. Vivès, p. 329 ; — Cathrein, th. 16, coroll. et schol. I ; — Lehu (*Ethica generalis*, p. 84 sq.) videtur intellexisse nos distinctionem etiam rationis rejicere.

PARS SECUNDA. — Bonitas moralis actus interioris... non exigit istud intendi formaliter et exclusive quia honestum.

Cf. de la Barre, p. 53 sq. et auctores quos citat : speciatim Gury-Ballerini, t. II, n. 908, longam notam ; — Costa-Rossetti, p. 90, notam ; — Schiffini, n. 19, 69, 80 sq. ; — vide etiam Noldin, *De principiis theologiæ moralis* (1912), p. 104 sq ; — Sertillanges, *La philosophie morale de saint Thomas*, chap. 4, p. 90 sq., præsertim p. 99 sq. ; — Roure, *Doctrines et problèmes* ; de Kantio.

---

(1) Vide etiam art. V, de *moralite* in genere, schol. III.

(2) « Physicum » non ibi significat « materiale », sed « pertinens ad ordinem entis exsistentis ». Iste autem includit perfectionem hominis in suo proprio agere.

(3) Libertas determinationis, inclusa in notione boni moralis, habet fundamentum realiter idem (cf. art. V, schol. III).

PROB. 1° (*Ex specificatione actus ex objecto,* in thesi de criterio, schol. I, seu etiam ex parte præcedenti). Ex objecto formali honesto specificatur actus ut bonus moraliter.

Atqui ut objectum formale sit honestum, sufficit objectum cognosci ut honestum ab appetente, nec obstat aliam rationem, non malam, involvi in intentione (v. g. jucunditatem). Ergo...

PROB. 2° (*Ex consequentiis*). Ex tali exigentia sequeretur velle libere minus perfectum nunquam esse honestum, cum videatur inintelligibile velle libere minus perfectum, formaliter et exclusive quia honestum[1]. Immo talis electio esset positive mala, si datur præceptum semper agendi positive honeste, seu si non datur actus humanus concrete indifferens ut probabitur in thesi 16ª.

Atqui talis rigorismus rejiciendus est[2]. Ergo...

Minor confirmatur ex auctoritate S. THOMÆ (IIª IIæ, q. 35, a. 3, ad 2; q. 80, art. unic.) et indirecte patet ex consideratione Dei, qui in operationibus ad extra perfectionem semper et necessario finitam communicat, relicta igitur meliori possibili.

Ipsa conclusio cum nostra Iª probatione fere explicite traditur a Doctore angelico (in II, d. 40, q. 1, a. 5), ubi, actus humanos in concreto spectans, requirit, ad eorum bonitatem, honestatem objecti non abstractam et seorsim intentam, sed concretam. *Vide totum locum*, præsertim in fine corp. et ad 3: « Omnis actus in aliquod bonum tendens, nisi inordinate ad illud tendat, habet pro fine bonum alicujus virtutis ». Unde ejus benigna doctrina de merito (ibid., cf. infra de hac quæstione).

COROLL. — De moralitate delectationis. — Ergo honestum est etiam delectationem intendere, dummodo non deordinate. Nedum enim honesto opponatur, est ipsa aliquod bonum, et, si non est conjuncta deordinationi, simpliciter bonum. Et hoc verum videtur non tantum de delectatione *spirituali* (contra KANTIUM, cf. infra; vide *Roure*, l. c.), sed de *sensibili* (contra BILLUART, *tr. de actibus humanis,* disp. 4, de actu indifferenti; ed. Palmé, t. II, p. 309), imo de *animali*, seu communi cum brutis (contra VIVA, th. damnat., Trutina theolog., ad prop. 8, 9, ab Inn. XI damn., n° 6, 9, 13).

Obj. 1ª. « Ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni, i. e. quod velit bonum propter bonum » (Iª IIæ, q. 19, a. 7, ad 3).

---

(1) Vide obj. 4 infra.

(2) Cf. quæ scripsimus de theoria R. P. HUGUENY, O. P., in *Archives de philosophie*, 1924, fascicule bibliographique, *Autour du Probabilisme*, p. 86 sq.

Resp. S. Thomas in hoc loco exigit tantum finem concretum esse bonum, non autem motivum exclusivum esse formaliter honestatem qua talem : cf. totus contextus.

Obj. 2[a]. Ex propositione 8[a], condemnata ab Inn. XI : « comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. » Hæc objectio et sequens sunt contra corollarium.

Resp. Dummodo, præter intemperantiam valetudini nocentem, aliæ deordinationes vitentur et finis naturalis delectationis non positive excludatur, voluptas non dicenda est sola intendi. Cf. S. Alphonsus, *Th. mor.*, l. 5, de actibus humanis, art. ult., n. 44, ed. Gaudé, t. II, p. 703 : « Quamvis aliquis accedens ad mensam non cogitat de conservatione vitæ, sed solum de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat ; quia tamen delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitæ, sicque non inordinate illam appetit. » Et ex contextu, actus ille est positive honestus (et meritorius, si homo est in statu amicitiæ cum Deo[1]). — Vide optimum complementum explicationis apud Costa-Rossetti, p. 90, in nota. — Lege etiam S. Augustinum, serm. 2, in ps. 34, n. 16, cit. a Ferretti : *de essentia boni et mali moralis*, p. 195. — Salmanticenses, cit. a Gury-Ballerini, loc. cit., p. 85 ; et cætera multa, ibid.

Obj. 3[a]. Delectatio sicut dolor est quid indifferens. Non igitur sufficit eam intendere ut actus sit positive honestus.

Resp. Ex ipso argumento. — Delectatio est bona ubi non est deordinatio connexa (Sertillanges, p. 99 sq.) « Le plaisir est un bien, à condition de demeurer dans son ordre, c'est-à-dire de demeurer lié à l'objet que lui donne sa raison d'être ». De hac unione cum bono principali, vide objectionem præcedentem[2].

E contra, dolor est per se disconveniens, convenit ex suppositione, scil. ex malo ob quod bonum est dolere (Sertillanges, p. 121 sq.) : sic ob peccatum (præsertim in unione cum Christo dolente), ob privationem boni nondum obtenti et quod subjectum precibus obtinere intendit, ob deordinationes reprobandas, peccatum originale consequentes, imo forsan ante peccatum istud ob periculum remotum et ad manifestandum Deo amorem super omnia, convenit animam dolere et etiam corpus per participationem ; unde mortificatio bona est (S. Th., I[a] II[æ], q. 39 : de doloris et tristitiæ moralitate ; — II[a] II[æ], q. 85 : de sacrificio (speciatim a. 1 : supponitur defectus in quo homo eget adjuvari a Deo ; vide art. 3, in corp. et ad 2, de applicationibus) et q. 147, de jejunio (art. 1, 3, 5, et alia, cit. a Sertillanges). — S. Augustinus (vide « *mortificatio* » in tabula ed. *Migne*), *De Genesi in 7 dies*, 3[a] *dies* ; — *De doctrina christiana*, l. I, c. 24 : agit de liberatione animæ a corpore. — *Dict. apol.*, Aug. Hamon, art. « Ascétisme chrétien ».

Obj. 4[a] (contra secundum argumentum). — Libertas physica se exercere potest in minus bonum, etsi bonum est unicum motivum voluntatis. Ergo a pari intendi potest minus honestum, etsi honestas formaliter et exclusive movet.

---

(1) De difficultatibus terminologiæ, cf. quæstio de merito.

(2) Ergo rejiciendæ sunt sententiæ tum Billuart, secundum quem non licet delectationes sensibiles intendere, tum Viva secundum quem delectationes animales (i. e. omnino communes cum brutis, v. g. tactus et gustus) non sunt ex se dignæ homini rationali. Etenim, si non est deordinatio, bonum partis inferioris est bonum totius et partis superioris, i. e. hominis qua talis. Nota hominem, si agit humano modo, se cognoscere ut hominem et ut unum et percipere bonum intentum ut suum ; igitur, si nullam deordinationem detegit, bonum etiam partis inferioris cognoscit ut suum bonum simpliciter.

Resp. Motivum concretum voluntatis est tale aut tale bonum : honestum vel delectabile, spirituale vel sensibile, etc. Hinc propter talem aut talem indolem, bonum minus potest intendi, imo formaliter eligi, cæteris anteponi 1. Sed si quis non intendit nisi honestatem abstractam, unicitas notæ impedit possibilitatem eligendi minus honestum.

Circa applicationes, cf. innumeri textus S. Thomæ : IIª IIæ q. 141, a. 6, ad 2 ; q. 186, a. 2 et 4, etc. ; multi colliguntur apud Ballerini-Palmieri, *Theol. mor.*, th. 1, p. 93 sq.

PARS TERTIA. — Bonitas moralis actus interioris... unam tantum determinationem accipit.

PROB. : Actus ex objecto formali speciem seu essentialem et intrinsecam determinationem accipit, ut supra *modo prorsus generali* probatum est (th. II, *de criterio*).

Atqui talis species est una tantum. Ergo.

Prob. minorem. Objectum enim formale seu quale proponitur a ratione in actu directo et intenditur a voluntate est unum (Suarez, *Be bonitate actuum humanorum*, d. 4, s. 3, n. 3 sq.).

N. B. — 1° Etsi aliquando plures bonitates videntur distingui in eodem actu, v. g. servare virginitatem in ordine religioso, hoc fit ex reflexione rationis et per conceptus inadæquatos objecti formalis aut volitionis realiter unius.

2° Ex alia parte asserimus unum actum exteriorem aut unum actum malum etiam interiorem posse plures habere species morales (cf. Iª IIæ, q. 18, a. 10, ad 3 et alibi). Sed relate ad actus exteriores nequit agi de specie intrinseca (cf. th. 17) : et in actibus magis species morales proveniunt proxime ex privationibus quæ possunt esse plures simul (cf. th. 15). Imo, distinguendo inter actum malum concretum qui est una realitas et malitias abstractas, quæ secundum mentem tantum (ex natura fundamenti) sunt plures, paritatem invenies inter bonitatem et malitiam (cf. th. 15, ad obj.).

Item, actus interior potest habere præter bonitatem intrinsecam plures extrinsecas (th. 14).

B) *DE BONITATIS FORMALIS DETERMINATIONE ACCIDENTALI EX CIRCUMSTANTIIS*

THESIS XIV. — Bonitas moralis actus interioris accipere potest ex circumstantiis determinationem accidentalem et intrinsecam. — ex fine autem extrinseco extrinsecam tantum.

Suarez, *De bonitate et malitia actuum humanorum*, disp. 5 et 6.

STATUS QUÆSTIONIS

Voce « *circumstantiarum moralium* » designamus « *ea adjuncta quæ actum in aliqua specie morali jam constitutum*

(1) Determinatio libera ad aliquid inter plura, non est forsan semper formalis electio ; sed ista etiam dari potest : possum velle præferre.

supponunt eumque intra illam modificant » (I^{a} II^{æ}, q. 7, a. 3, ad 3^{um}).

Modificatio est *intrinseca* aut *extrinseca* secundum quod afficit realiter et absolute ipsum actum aut ei tantum attribuitur ratione realis dependentiæ ab alio actu (imperante). Prima autem non adest nisi circumstantiæ mutent objectum volitum adæquate sumptum (quatenus involvit ipsum velle) ; hinc eo sensu circumstantiæ modificantes intrinsece actum sunt omnes *objectivæ* (ipsa intensitas volitionis pertinet ad objectum volitum adæquate sumptum ; nam agens vult hanc intensitatem).

Si tamen, secundum *directam* considerationem, se tenent ex parte *termini* actus, dicuntur *objectivæ stricto sensu* (sic quantitas eleemosinæ) ; si ex parte agentis, vocantur subjectivæ (sic intensitas actus).

Non omnia adjuncta modificant respectum convenientiæ actus ad naturam adæquatam. Dicuntur tunc meræ circumstantiæ physicæ, non morales. Ex alia parte quod esset merum adjunctum actus saltem externi physice considerati (v. g. rem quæ aufertur esse alienam) addere potest objecto formali volitionis respectum specificum convenientiæ aut disconvenientiæ ad naturam, et tunc in ordine morali non est circumstantia, sed nota essentialis, etsi vocari possit circumstantia physica actus externi (cf. th. 17, Coroll.).

Post Ciceronem, S. Thomas enumerat *septem circumstantias*. Exprimuntur versiculo :

« *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando* ».

« Quis, quid » designant conditiones *accidentales* subjecti et objecti.

« Cur » significat finem *extrinsecum* seu *objectum actus imperantis* : v. g. Deus glorificandus est objectum actus amoris et est finis extrinsecus relate ad actum misericordiæ amore Dei imperatum.

Nota theseos : metaphysice certa.

PARS I^{a}.

PROB. — 1° Modificari intrinsece intra eamdem speciem, v. g. unice secundum gradum, est accipere determinationem accidentalem et intrinsecam.

Atqui, ex quibusdam circumstantiis, v. g. intensitate amoris, quantitate eleemosinæ, ita modificatur bonitas moralis actus interioris. Ergo.

PROB. — 2° Confirmatur analogia cum rebus naturalibus quæ præter substantiam admittunt perfectiones accidentales (I^{a} II^{æ}, q. 18, a. 3).

PARS II^{a}.

PROB. — Actus interior, in se moraliter bonus, accidentaliter et extrinsece tantum modificatur ex eo quod tendit in aliquod bonum non natura sua sed vi actus qui accidentaliter et extrinsece eum determinat.

Atqui actus imperatus ita tendit ad objectum actus imperantis. Ergo.

Cf. I^{a} II^{æ}, q. 19, a. 2, ad 1^{um}; et II^{a} II^{æ}, q. 32, a. 1, ad 2^{um}, cit. a CATHREIN in fine prob.

N. B. — Possunt actus imperantes esse plures ; hinc plures etiam bonitates extrinsecæ.

SCHOLION. — Dicimus tantum in hac thesi actibus essentialiter bonis posse accidere bonitatem extrinsecam. Actus autem mali nullam accipiunt bonitatem ex fine, nam « bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu » (vide ceterum in *Dict. Apol. d'Alès*, ad vocem « Fin », art. Domini GOYAU de aphorismo Jesuitis attributo : « Finis sanctificat media »).

Ad solvendas objectiones. — Sæpe dicitur bonitatem moralem *primario* pendere ab intentione seu fine ; et hoc verum est si intelligitur finis totalis intrinsece aut extrinsece intentus ab agente. Nos autem in thesi spectamus finem extrinsecum qui est accidentalis relate ad actum ex fine extrinseco bonum.

§ II. — DE MALITIA FORMALI ACTUUM INTERIORUM.

THESIS XV. — Malitia formalis non est ens in quantum ens, — sed privatio convenientiæ quam in agendo natura rationalis sibi debet [1] ; — ideoque specificatur proxime abonitate quam negat, remote ab objecto, quatenus istud caret convenientia debita naturæ rationali.

STATUS QUÆSTIONIS

Malitia formalis est malitia ipsius actus proprie et ex se humani, i. e. ipsi voluntati liberæ immanentis.

---

(1) Sicut generatim malum est « *privatio boni* » seu « carentia boni *debiti* ». Ibi simplicius dici potest : « *privatio convenientiæ seu conformitatis cum natura rationali.* » Quando dicitur : « *homo hæc sibi debet* », aut « *ordo naturæ exigit hæc agi vel omitti* », duplex potest esse sensus : vel tantum « *ordo naturæ non servatur quin hæc agas* » (en sensus *relativus ibi spectatus*) vel « *ordo est titulus exigens reverentiam, unde hæc agi...* » (en sensus *absolutus*, cujus crisim instituimus in thesi de obligatione).

Nota theseos. — 1ª pars metaphysice certa ; aliæ saltem probabiliores contra multos Thomistas (cf. Lehu, *Phil. mor.*, t. I, p. 92).

PARS Iª. — **Malitia formalis non est ens in quantum ens.**

PROB. — 1° Ens in quantum ens cuilibet subjecto convenit seu est bonum. Ergo.

PROB. — 2° Ens in quantum ens cuilibet a Deo Perfecta Bonitate.

Atqui effectus boni nequit esse malus. Ergo.

Cf. C. G., l. III, c. 7 ; Iª IIªᵉ, q. 18, a. 1 ; q. 79, a. 2, ad 3ᵘᵐ.

PARS IIª. — **Malitia... est privatio...**

Haec pars statuitur contra Thomistas opponentes :

1° actum esse malum quatenus caret convenientia *ipsi actui* debita ;

2° in actu positivo voluntatis, rationem formaliter constitutivam mali moralis non consistere in sola privatione sed in aliquo positivo (Non tamen omnes Thomistæ hoc secundum punctum tenent).

PROB. — Quod (*a*) est mera carentia, et (*b*) opponitur convenientiæ quam natura rationalis in agendo sibi debet, est privatio istius convenientiæ.

Atqui malitia formalis (*a*) est mera carentia nam quodcumque positivum est ens et in quantum hujusmodi bonum (cf. pars Iª) ; hinc ratio formaliter constitutiva malitiæ moralis nequit involvere aliquod positivum ;

(*b*) opponitur praedictæ convenientiæ, ex sua ipsa notione. Nec obstat assertio Thomistarum, scil. in actu malo deesse convenientiam ipsi actui debitam. Etenim nihil deest ipsi actui concrete sumpto ut sit perfecte id quod est. Si autem sumitur actus abstracte ut est actus humanus (cf. Lehu, p. 93), jam nescio quodnam sit discrimen inter sententias. S. Thomas modo unam, modo alteram formulam adhibet (Iª IIªᵉ, q. 18, a. 1 ; q. 94, a. 2 ; — C. G. III, c. 129).

PARS IIIª. — **Ideoque specificatur...**

Ista pars intime connectitur cum præcedente.

PROB. — *a*). Privatio proxime specificatur ex bono quo privat. Ergo malitia specificatur ex bonitate morali qua privat.

b) Hæc vero bonitas specificatur ab objecto. Ergo etiam malitia remote specificatur ab objecto quatenus istud caret convenientia debita naturæ rationali.

COROLL. — Cum tendentia in aliquod objectum disconveniens possit privari simul pluribus bonitatibus, et istæ proxime specificent malitias oppositas, actus potest habere simul plures species malitiæ. Nec valet ratio supra allata de actu bono (th. XVI, coroll.), scil. objectum actus esse unum ; nam objectum non specificat malitiam actus nisi remote.

Obj. apud *Cathrein* et instantiæ apud *Lehu*, p. 95, *Frins*, II, p. 406, sq.

Principia solutionis. — Distinguas actum malum seu malum concretum, et ejus malitiam seu malum abstractum.

Actus malus est positivum quid et ut talis specificatur immediate ex objecto ; malitia vero est privatio et specificatur immediate ex bonitate opposita[1].

Bonum et malum concrete sumpta opponuntur contrarie : bonitas autem et malitia privative (circa opposita privative, cf. ARIST., *de praedic.*, c. 10 ; et URRABURU, *Logica*, p. 155).

Bonum et malum concreta non contrarie opponerentur si non essent positiva ; sed recte dicit Cathrein oppositionem contrarietatis non dari ex sola ratione malitiæ quæ est privatio ; subjectum privationis est etiam considerandum (obj. 1, resp.).

Bonum et malum etiam in abstracto sunt species, sed non requiritur differentiam specificam esse formaliter quid positivum, si agitur de specificatione secundum rationem ; et sic specificantur bonum et malum sumpta in abstracto.

§ III. — DE INDIFFERENTIA ACTUUM HUMANORUM.

I^a II^ae, q. 18, a. 8 et 9 ; — De malo, q. 2, a. 5 ; — BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. mor.*, t. 1, n. 169 sq. ; — COSTA-ROSSETTI, p. 90, in nota ; — DE LA BARRE, p. 16 ; FERRETTI, *De essentia boni...* p. 184 sq.

Remissa fuit quæstio num saltem concrete actus humani possint esse indifferentes (cf. Th. XII, St. Q. in fine). Nunc eam spectamus.

THESIS XVI. — **Nullus actus deliberatus concrete sumptus est indifferens.**

STATUS QUÆSTIONIS

Actus humanus potest spectari : *a*) Vel *abstracte* seu *in specie*, v. g. velle exire a domo, abstrahendo a fine operantis et

(1) Actus est tendentia ad positivum, non ad ipsas privationes quæ sunt in objecto. Consequenter ad istas sunt privationes seu malitiæ morales in ipso actu. Actus non est malus ex sua realitate *positiva* sive absolute, sive relative sumpta, sed ex defectu convenientiæ quæ naturæ rationali debetur.

ab aliis circumstantiis ; *b*) vel *concrete* seu *in individuo*, i. e. includendo omnes circumstantias etiam subjectivas.

Omnes admittunt actum abstracte sumptum esse quandoque indifferentem, i. e. nec positive decere, nec positive dedecere naturam rationalem (cf. exemplum præcedens) [1].

De actibus prorsus indeliberatis, ne quæri quidem potest, cum non sint morales. Ita sunt multi actus qui a physiologis vocantur « reflexi ».

Controvertitur autem de actibus deliberatis in concreto. S. Bonaventura (In II, dist. 41. a. 1. q. 3), Scotus, et alii asserunt dari actus indifferentes (cf. Ballerini-Palmieri, l. c.). Negat S. Thomas (l. c. a. 9).

Non agitur ibi de merito.

Nota theseos : communior et multo probabilior.

PROB. — 1° Omne volitum concretum adæquate sumptum vel *positive* decet, vel *positive* dedecet agentem. Ergo nullus actus deliberatus in concreto est indifferens.

Prob. antecedens (*ex natura voluntatis*). — Omne volitum concretum habet aliquam rationem *boni agenti proprii : voluntas enim nihil intendit nisi sub ratione boni agenti proprii.*

Atqui *quod habet aliquam rationem boni agenti prorrii, vei est admixtum quadam indecentia et tunc positive dedecet agentem, vel nullam habet admixtam indecentiam et tunc positive decet agentem.* Ergo...

Cf. in II, dist. 40, q. 1, a. 5, in corp. et vide ad 3 um, ad 5 um ; I a II ae, q. 18 a. 9, ad 3 um ; *De malb*, q. 2, a. 5 ; sed *praesertim priorem locum omnino legendum.*

N. B. — 1° *Volitum concretum adæquate sumptum* involvit objectum, finem, circumstantias et ipsum actum voluntatis, prout hæc omnia cognoscuntur ab agente.

2° *Volitum in abstracto sumptum*, cum præscindat a quibusdam determinationibus et aliquando non habeat nisi rationem medii (ut est exire a domo [2]), etiam aliquando nec positive decet nec positive dedecet agentem et igitur totaliter præscindit a bonitate vel malitia morali. Medium ut tale est bonum vel malum secundum indolem finis ; nullam convenientiam aut disconvenientiam exhibet, in quantum est medium, si abstrahitur a determinato fine.

SCHOLION. — Alii sic arguunt : omnes actus deliberati tendere debent in finem ultimum determinate sumptum, cum

(1) Opposita sententia tribuitur Scoto (in II, dist. 7) ; sed « a suis explicatur pro communi sententia » (*Salmanticenses*, tr. 11, d. 7, dub. 1, § II).

(2) Nemo enim vult *exire a domo*, tantum ut *exeat a domo*. In hoc nulla apparet *ratio boni agenti proprii, ideoque nullum appetibile.*

tota vita ad istum sit ordinata ; porro soli actus positive honesti tendunt in finem ultimum determinate sumptum ; ergo omnes actus deliberati debent esse positive honesti, sive intrinsece, sive saltem ex fine intrinseco, seu ex motivo actus imperantis. Si autem privantur positiva honestate, ex carentia rectitudinis *debitæ* sunt positive mali, et non dantur actus indifferentes.

Hæc argumentatio non præcavet omnes difficultates.

Etenim, objectio *Scotistarum*, ex debilitate hominis desumpta, videtur vim servare contra obligationem sic directe propositam intendendi semper finem ultimum determinatum. Sed præsertim homines possunt hanc obligationem ignorare, vel saltem ad eam non attendere. Imo, primo adspectu non apparet omnino chimericum hominem deliberate agere quin ullo modo attendat ad ordinem moralem. In istis casibus possent dari actus indifferentes, saltem subjective, propter statum conscientiæ (cf. *Salmanticenses*, tr. 11, disp. 7, dub. 2, § 4 : ed. Palmé, p. 177).

E contra, argumentum quod proposuimus, ex natura actus voluntatis, excludere videtur has difficultates et exceptiones. Probamus enim statum concretum conscientiæ, actui deliberato conjunctum, necessario talem esse ut, *si nulla positiva deordinatio seu malitia percipitur, actus ponatur tanquam positive et simpliciter conveniens agenti* [1]. Distinguas igitur doctrinam speculativam quam forsan quis tenet de possibilitate actus indifferentis et dictamen practicum conscientiæ quod necessario habet quando deliberate agit.

Obj. 1ª. Omnes admittunt et nos ipsi censemus dari actus indifferentes *ex objecto*. Atqui ex nostro argumento excluderentur. Ergo nobis contradicimus. — Prob. min. : omne objectum habet necessario aliquam bonitatem seu appetibilitatem. Jamvero vel ista conjungitur malo et objectum dedecet, vel non conjungitur malo et objectum decet.

Resp. : *nego minorem ; rationem allatam distinguo :* si pro objecto sumitur totum volitum *concretum*, habet aliquam appetibilitatem, *conc. ;* si spectatur objectum *in abstracto*, v. g. exire a domo, necessario id habet *ex se* unde possit appeti *ut finis, nego ;* et ideo, nisi finis concretus spectetur, nec decere, neque dedecere aliquando æstimandum est.

Obj. 2ª. Omnis species in individuo quodam invenitur. Atqui sunt actus indifferentes in specie. Ergo etiam in individuo.

Resp. *Dist. maj. :* species proprie dicta, *conc. ;* improprie dicta, *nego*. Indifferentia moralis non est differentia specifica proprie sed mera indeterminatio, quæ nullo modo excludit determinationem ulteriorem ex diversis adjunctis (cf. Salmanticenses tr. 11, disp. 7, dub. 1 : éd. Palmé, p. 169).

N. B. — Ne dicas ad solvendam difficultatem actus in concreto posse remanere *intrinsece* indifferentes et tantum ex fine *extrinseco* evadere bo-

(1) Vide quæ explicavimus supra, in thesi 13ª, contra eos qui contenderent talem actum non esse necessario bonum in ordine morali (cf. loc. cit. : de moralitate delectationis, obj. 3ª, in nota).

nos vel malos. Etenim qui vult deliberate aliquod medium, v. g. exire a domo, *actu* etiam vult aliud, *saltem confuse, unde medium evadit appetibile*, v. g. finem quem antea intendebat explicite ; et ex hoc fine, *actu intento, etsi confuse*, ejus actus est *intrinsece* bonus vel malus. Non est indifferens *nisi secundum rationem*, seu abstrahendo a statu subjectivo agentis.

Obj. 3^a. Dantur habitus indifferentes in concreto, v. g. artes, habitus studendi. Ergo dantur actus indifferentes in concreto, unde gignuntur.

Resp. Nego consequentiam : actus successivi possunt habere rationem communem ex qua moralitas non specificatur et unde gignitur habitus ; ex alia parte isti actus possunt modificari diversis modis ex motivo aut aliis circumstantiis.

Obj. 4^a. Saltem omissio boni non præcepti est indifferens.

Resp. Ut omissio, *conc.* ; si spectatur motivum concretum, *nego*.

Obj. 5^a. « Agendum est honeste » est præceptum affirmativum. Ergo non obligat pro semper.

Resp. Objectio non procedit contra nostram argumentationem, sed nec valet contra probationem quam in scholio retulimus. Agitur enim ibi de principio *universali* quod est *tota lex indeterminate sumpta*. Porro, ratio cur præcepta affirmativa generatim non obligant pro semper, est *particularis* indoles actus præcepti, qui propterea non semper ponendus est : v. g. nequis omni momento cultum externum et positivum exhibere, aut positive honorare parentes. Tota lex indeterminate sumpta non præbet hanc difficultatem.

ARTICULUS VII

DE BONITATE ET MALITIA FORMALI ACTUUM EXTERIORUM

THESIS XVII. — De actu exteriore non prædicanda est bonitas aut malitia formalis nisi extrinseca ex actu interiore : idcirco per se nulla bonitas aut malitia formalis additur ex positione actus exterioris.

I^a II^ae, q. 20 ; *In II*, d. 40, q. 1, a. 3 ; — cf. *Revue Néo-scolastique*, février 1923, p. 32 sq., exegesim comparatam S. Thomæ a Dom Lottin.

Actus dicitur interior aut exterior secundum quod est ipsius voluntatis aut facultatis alius sub imperio voluntatis.

Nota theseos : Certa metaphysice, data nostra terminologia.

Declaratur thesis. — Ex definitione (cf. th. 11, Schol. II) bonitas aut malitia formalis est bonitas aut malitia moralis ipsius actus humani. Porro actus exterior non est ipse actus humanus sed ab eo imperatur. Ergo...

Hinc plura corollaria (Cathrein, th. 21, coroll).

1° Actus interior et actus exterior, etsi realiter distincti, sunt quasi unus actus in genere moris (I^a II^æ, q. 20, a. 3, *sed contra*).

2° Dum « specie dividuntur interiores actus voluntatis per bonum et malum, sicut per differentias essentiales... », actus vero exteriores « pertinent ad genus moris per accidens, sc. secundum quod sunt a voluntate imperati ; et ideo actus illi secundum substantiam non distinguuntur secundum speciem per bonum et malum, sed per accidens, secundum quod ad genus moris pertinent. » (In II, dist. 40, q. 1, a. 1).

3° Non datur actus exterior indifferens in concreto.

SCHOL. — (Ad solvendas difficultates).

1) Expecta quæ dicenda sunt in theologia de satisfactione pro peccatis.

2) Contra P. Lehu (p. 152 sq.), attendas ad nostram terminologiam de bonitate aut malitia objectiva et formali (th. 11, Schol. II) ; et Sertillanges (*La phil. mor. de S. Th.*, p. 52) : optime. Aliis verbis distinguas ordines : *in ordine intentionis*, actus exterior cum suo termino specificat *objective* actum interiorem ; *in ordine exsecutionis* actus interior specificat *formaliter* actum interiorem.

3) Nota voluntatem non esse perfectam nisi, data opportunitate, operetur (I^a II^æ, q. 20, a. 4), i. e. imperet actum exteriorem.

4) Ob intimam connexionem facultatum, ex positione actus exterioris, generatim sed indirecte actus interior multiplicatur, diuturnior fit et intensior (ibid.), moderantur passiones et acquiruntur habitus.

ARTICULUS VIII

DE EXTENSIONE MORALITATIS EX VOLUNTARIO INDIRECTO (SEU IN ALIO)

Noldin, *S. th. mor.*, 1912 : *De princip.*, p. 98 sq. ; — Bulot, *C. th. mor.*, 1908, I, p. 5 sq. ; — Meyer, *op. cit.*, I^a, p. 176 sq. ; — Frins, 1908, I, p. 218 sq. ; — I^a II^æ, q. 64, a. 7 et alia apud *Meyer*, p. 164.

Voluntarium ibi sumitur ut « *id quod voluntati imputatur* » (cap. II, a 1, § 1, b ; vid ibid. quid intelligatur voce « *imputa-*

bilitatis » ; — item : cap. III, art. 5, de mor. in genere, sch. II).

Voluntarium « *directum* », seu « *in se* » est « *illud quod in seipso intenditur sive ut finis, sive ut medium* ».

Voluntarium « *indirectum* » seu « *in alio* » est « *illud quod non intenditur in se, sed imputatur voluntati ratione cujusdam connexionis cum voluntario directo* », v. g. vulnus inflictum ex lapidis projectione quæ sola intenditur directe, sed cum prævisione, saltem confusa, effectus.

Jam quæritur, data connexione cum voluntario directo, 1° utrum semper et 2° si non semper, quandonam aliquis effectus[1] *voluntati imputetur, i. e. : utrum semper aut quandonam vi connexionis cum effectu, actus humanus evadat bonus vel malus moraliter ?*

Ad primam quæstionem *negative respondemus, saltem ex considerationibus indirectis* (Meyer, I, p. 166) :

a) *Ex communi hominum persuasione.* Nemo recte ratione utens dicet omnes effectus malos imputandos esse agenti, quomodocumque sint connexi cum ejus actione aut omissione, v. g. omnia furta quæ iste impedisset, si per totam noctem vigilans, secluso speciali munere, inspexisset omnes vias civitatis.

b) *ex exemplo Dei.* Multa peccata hominum non impediuntur a Deo, cum posset eos aut non creare aut ex hoc mundo tollere ; imo Ipse concurrit ad materialem actum peccati. Non tamen dicendus est auctor peccati. Apud omnes, « imputabile » et « auctor », si de morali agitur, sunt termini correlativi.

c) *ex consequentiis.* Si omnes effectus quomodolibet connexi cum actione aut omissione nostra nobis imputarentur, impossibile esset aliquid agere aut aliquando quiescere sine quadam culpa.

Quoad secundam quæstionem. — 1° Si agitur *de effectibus bonis*, asserimus nullum esse imputandum agenti qui istos bonos non intenderit, nam bonitas moralis re idem est ac excellentia *tendentiæ* voluntatis (cf. th. 13).

« Scribenti bonum librum lucri faciendi causa, boni effectus libri, etsi prævisi, non imputantur nisi eos intendat », ait *Noldin* (loc. cit.) et addit rationem : « voluntas enim nequit esse et dici bona, nisi a bonitate objecti quod intendit. » E contra malum ex quocumque defectu (hinc effectus malus etiam non in-

(1) In tota disputatione, spectamus effectuum bonitatem et malitiam, sive *formaliter* moralem, sive non, i. e. effectuum convenientiam et disconvenientiam respectu naturæ adæquatæ (individualis, socialis, etc.), sed sive effectus sit aliqua *determinatio libera*, sive sit aliud, v. g. destructio boni alteri debiti.

tentus aliquando imputabilis est, prout jam explicandum est)[1].

2° si *de effectibus malis* agitur, imputabilitas requirit :

a) *ut sit moraliter possibile et insuper licitum causam non ponere aut positam tollere.* Sic non mihi imputatur scandalum ex actione quam non possum aut non mihi licet non ponere.

b) *ut effectus saltem in confuso fuerit prævisus.*
Istae duæ condiciones sunt evidenter necessariæ.

c) *Effectus præter intentionem ex omissione sequens non est imputandus, nisi ob specialem naturam rei et circumstantiarum adsit obligatio actionem omissam ponendi ne præcise effectus iste sequatur.* Hoc saltem evidens est ex rationibus indirectis supra enuntiatis circa primam quæstionem. Insuper juvat notare omissionem non esse causam per se physicam ; itaque videtur requiri gravior ratio ut effectus sit imputabilis, quam si ageretur de actione ex qua effectus malus physice et per se sequeretur[2]. Consequenter obligatio nulla est practice, nisi probetur (cf. th. 31, *de probabilismo*).

Inter specialia adjuncta ex quibus obligatio sequitur sunt contractus, munera naturalia aut commissa : v. g. contractus vi cujus servi debent invigilare ne latrones ingrediantur domum heri ; munus parentum curandi ne pueri frequentent malos socios, etc... Generatim teneri quis potest, ait *Bulot* (l. c., p. 7) « vel ex officio, v. g. magister,... vel ex justitia, v. g. tutor... vel ex caritate, quæ postulat, v. g. ut alii opem feras, saltem si commode possis ».

d) *Effectus malus præter intentionem ex actione sequens non est imputandus dummodo :* 1° *Actio non præcise prohibeatur ne effectus iste sequatur ;* 2° *adsit aliquod bonum sive actioni intrinsecum sive eam æque immediate*[3] *consequens ;* 3° *unde habeatur causa proportionate gravis permittendi effectum malum.* Tunc imputabilitatem tolli est evidens[4],

---

(1) Aliter : effectus bonus non intentus non afficit determinationem, nec igitur moralitatem ; e contra effectus malus immerito permissus.

(2) Ex actione quæ non est bona *nisi malo supposito*, malum *etiam per se* consequi potest : v. g. ex membri putridi excisione privatio, dolor, etc...

(3) i. e. practice : non mediante effectu malo. Ita Cathrein (cap II, a. 1, § 2), Noldin, Lehmkuhl, Meyer (p. 177). *Immediate* « dicitur non ex intervallo temporis, sed ex modo quo producitur, qui non est *trans* vel *per* effectum malum » (Vermeersch, *Theologiæ moralis principia*, 1922, t. I, p. 118). Hæc conditio est necessaria, nam mala non sunt optanda ut eveniant bona. — At 3ª conditio, sc. « causa proportionate gravis » magis exigit, nam cum effectus non imputentur nisi ratione connexionis cum actione, plusminusve afficiunt moralitatem secundum gradum connexionis. Hinc effectus bonus qui per accidens tantum sequitur actionem non compensat effectum malum qui per se eam sequitur (cf., v. g., th. *de duello*).

(4) Cf. explicatio P. Meyer (p. 177, 178) et P. Vermeersch (loc. cit., in nota præcedenti).

sed difficultas adest in determinanda proportione quae tertio loco requiritur. Vide Noldin (p. 101) :

1. Eo major debet esse ratio excusans, quo gravior est effectus malus (sic non licet occidere invasorem ad minuta conservanda) ;

2... Quo malus effectus magis proxime sequitur causam, v. g. ludus periculosus, solius recreationis gratia, admitti potest dummodo periculum sit remotum.

3. Minor ratio requiritur si malus effectus non potest impediri : v. g. aliquando et in debitis conditionibus, magistratus poterit declarare legalitatem divortii (non liceitatem), data necessitate muneris ad sustentandam familiam, dum essent alii qui idem declarent (cf. Bulot, op. cit.[2], t. II, n. 760 sq.).

ARTICULUS IX

DE BONO MALOQUE MORALI IN HABITIBUS SEU DE VIRTUTIBUS ET VITIIS

I[a] II[ae], q. 49 sq. ; — Gardair, *Vertus naturelles.* — Alia multa citat *de la Barre*, p. 36. Item *Sortais*, op. cit.

Habitus naturales quos hic spectamus sunt effectus et quasi continuationes actuum, simulque adnumerandi sunt ut eorum principia. Hinc in fine quæstionis de moralitate, locus est tractandi de virtutibus et vitiis qui sunt habitus operativi ad bonum aut malum praesertim morale ordinati.

§ I. — De habitibus in genere.

I[a] II[ae], q. 49 sq. ; — Suarez, *Disp. met.*, 44.

1° ***Definitio***. — *Habitus* pertinet ad prædicamentum qualitatis et definiri potest « *dispositio difficile mobilis secundum quam subjectum bene vel male se habet in seipso vel ad aliud* » (« difficile mobilis », i. e. ex se stabilis).

Vel inest immediate substantiæ (gratia sanctificans) vel facultatibus, et tunc ex suo fine dicitur *operativus.*

Habitus operativus de quo solo hic agimus est « *qualitas difficile mobilis potentiæ superaddita et ad eamdem adjuvandam per se primo ordinata* » (Suarez, l. c., sect. I : édit. Vivès, t. 26, p. 664).

2° ***Subjectum habitus operativi***. Est necessario :

a) *Potentia immanenter agens*. Oportet enim ut sit simul passiva exindeque capax habitum recipiendi, et activa, unde capax actum eliciendi (SUAREZ, l. c. p. 666 ; indirecte S. THOMAS, q. 51, a. 2).

b) *Aliquomodo rationalis*, i. e. saltem sub imperio partis rationalis, quæ sola non determinatur ad unum ex se, et sic apta est accipere dispositionem (I^{a} II^{æ}, q. 50, a. 3 sq ; cf. q. 49, a. 4 ; — GARDAIR, op. cit., p. 194 sq.)

3° ***Divisio*** (*Suarez*, l. c., p. 723, sq.) :

1) *Ratione originis*, habitus sunt *acquisiti seu naturales* et *infusi seu supernaturales*. Isti a Deo infunduntur et tribuunt « τὸ posse simpliciter » in ordine ad actus supernaturales, alii gignuntur repetitione actuum et conferunt tantum uniformitatem, promptitudinem et delectationem in similibus actibus producendis (*de Virt.*, q. 1, a. 1).

2) *Ratione subjecti*, sunt : (a) *cognoscitivi* et *appetitivi*, (b) aut *in parte spirituali* : *intellectuales* et *morales*.

3) *Ratione effectus* : (*a*) dividuntur in *virtutes*, *vitia* et *habitus indifferentes*, secundum quod inclinant ad bonum et malum potentiæ aut ab utroque præscindunt ; (*b*) respectu boni malique moralis, distinguuntur in *physicos* (*moraliter indifferentes*) et morales. Isti sunt vel *virtutes sensu stricto* (cf. § 2) vel *vitia moralia*.

§ II. — De virtutibus in communi.

ARIST., *Ethic.* l. 2, c. 6 ; — I^{a} II^{æ}, q. 53 sq. ; — SERTILLANGES, *Rev. du clergé*, 1912, t. 71, p. 27 ; *La phil. mor. de S. Th.*, ch. VI, p. 160 sq. ; — alii ut supra.

1° ***Notio virtutis***. *Virtus* est « *habitus operativus bonus* », i. e. ordinatus ad bonum potentiæ (non necessario morale).

Idem significant *Aristotelis* descriptiones :

a) virtus est « *ultimum potentiæ* »[1]. (*De cælo et mundo*, l. 1, c. 11 ; — I^{a} II^{æ}, q. 55, a. 1 ad 1^{um}) : nota autem proprie hoc dici de objecto virtutis, non de ipsa ;

b) « *virtus bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum* » (*Eth.*, l. II, c. 6).

c) virtus est « *dispositio perfecti ad ultimum* »[2] (VII *Phys.*, c. 3, text. 17).

---

(1) i. e. ultima perfectio potentiæ.

(2) i. e. dispositio perfecti secundum naturam ad suam ultimam perfectionem, i. e. operationem (vide I^{am} II^{æ}, q. 55, a. 3).

2° ***Dividitur virtus*** :

a) *secundum originem*, in *naturalem seu acquisitam*, et *supernaturalem seu infusam* ;

b) *secundum effectum*, in *virtutem simpliciter* et *virtutem secundum quid*. *Virtus simpliciter* inclinat ad bonum morale : est *ea qua homo fit bonus simpliciter*.

Virtus secundum quid reddit hominem secundum quid bonum, inclinando potentiam ad bonum istius, v. g. scientiam.

Virtus simpliciter est dispositio ad actum cujus terminus est bonum naturæ adæquatæ *ut tale* ; debet igitur esse in potentia quæ tendit ad bonum *sub ratione boni*, vel ex se ut est sola voluntas, vel saltem sub dependentia voluntatis et ad istam adjuvandam. Virtus secundum quid perficit potentiam ad actum cujus terminus est bonum aliquod, v. g. principia alicujus scientiæ, sed non sub ratione boni ; igitur non est in voluntate (in III, dist. 23, q. 1, a. 4, solut. 1).

Insuper virtus simpliciter non dat tantum facultatem bene operandi, sed etiam usum ; secus non redderet hominem simpliciter bonum. Ob hanc etiam rationem est necessario in voluntate aut in potentia mota a voluntate ; ad istam enim pertinet applicare ad actum omnes facultates aliquomodo rationales (cf. Arist., *Ethic.*, l. I. c. 4, § 3 ; c. 6, § 15 ; — I^a II^æ, q. 56, a. 5 ; — Gardair, p. 299-302).

c) *Secundum subjectum*, virtutes sunt *intellectuales* aut *morales*, prout sunt in intellectu aut in voluntate.

Sunt quinque virtutes intellectuales : sapientia, scientia, intellectus, ars et prudentia, quarum tres priores sunt speculativæ, aliæ practicæ (I^a II^æ, q. 57).

Sæpe divisio virtutum in intellectuales et morales desumitur *ex objecto* quod est aut verum aut bonum morale ; tunc redit ad divisionem in virtutes secundum quid et virtutes simpliciter. Prudentia medium tenet inter virtutes intellectuales et morales, cum ordinetur immediate ad verum, mediate ad bonum morale, et a voluntate mediate procedat ad eamdem adjuvandam.

§ III. — De virtutibus moralibus seu simpliciter.

1° ***Notio*** (Vide præsertim § præc).

Virtus moralis vocatur a *S. Augustino* « *ordo amoris* » (De mor. Eccl., c. 15), vel *bonus usus liberi arbitrii* » (De lib. arb., c. 19). Et alibi habet : « *ordinatio quæ virtus vocatur est fruendis frui et utendis uti* » (L. 83 Quæstionum, q. 30). Non sunt

nisi descriptiones, et quidem non ipsius virtutis sed ejus exercitii.

Ubi tandem *ordinem supernaturalem* spectat, dicit : « *virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur* » (i. e. quam Ipse in nobis infundit) [SERTILLANGES, *La phil. mor. de S. Th.*, p. 165]. Omisso ultimo, definitio etiam applicatur in ordine naturali. « *Qua nullus male utitur* » significat virtutem non disponere nisi ad bonum usum.

2° ***De medio in quo stat virtus.*** — De sola virtute morali valet celeberrima *Aristotelis* theoria quæ sic resumitur : « *Virtus est habitus electivus in mediocritate quoad nos consistens, quæ quidem mediocritas ratione sit definita, atque ita ut prudens determinaret* » (Eth., l. II, c. 6).

Dicitur *a*) *electivus*, i. e. inclinans ad actum liberum ; *b*) *in mediocritate seu in medio*, i. e. removens *circa aliquam materiam* ab excessu et defectu per conformitatem cum regula [1] ; *c*) *quoad nos*, quo criterium objectivum significatur, i. e. natura concreta agentis cui objectum convenire debet [2] ; *d*) *quæ quidem...*, quo indicatur norma subjectiva medium proponens, i. e. verum judicium (GARDAIR, p. 443 sq.).

N. B. — Non agitur de virtutibus theologicis (cf. Iª IIæ, q. 64, a. 4. Attamen vide ibid. in fine c. et ad 3um).

3° ***De origine et amissione virtutum*** (Iª IIæ, q. 63, a. 1 et 2 ; q. 53, a. 3, — cf. etiam q. 51 ; q. 71, a. 4). Etsi quædam sint naturales dispositiones ad virtutem, ista proprie generatur actibus bonis repetitis, corrumpitur actibus bonis neglectis aut malis admissis (SERTILLANGES, *La phil. mor. de S. Th.*, p. 177 sq.).

4° ***De virtutum moralium divisione*** (Iª IIæ, q. 61, a. 2 ; — De virt. card., a. 1. — *Suarez*, De virt. in gen., sect. 4). Virtutum moralium celebris est divisio in *quatuor cardinales : prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam.*

Desumitur ex parte subjecti et objecti.

Prudentia sedet in ratione, et ejus objectum est recte considerare morale bonum istudque voluntati ut normam proponere.

Justitia residet in voluntate et proprios actus hujus facultatis circa externas relationes cum hominibus recte exsequitur (Cf.

(1) Non agitur necessario de medio inter duo vitia, v. g. quando spectatur justitia. Vide Iam IIae, q. 64, a. 1 et commentarium CAJETANI.

(2) Q. 64, a. 2, fin. c. — SERTILLANGES : « Le bien trouvera ses exigences, dans un rapport de l'objet avec le sujet » (*La phil. mor. de S. Th.*, p. 204, cf.p. 160) : sic redimus ad criterium boni moralis.

GARDAIR, p. 311, sq. ; — SERTILLANGES, *La phil. mor. de S. Th.*, p. 170, n. 3).[1]

Temperantia est in appetitu concupiscibili, cujus passiones bono morali contrarias reprimit.

Fortitudo est in irascibili, cujus motus a bono morali arduo retrahentes cohibet.

De nomine virtutis cardinalis : Cardinales virtutes vel sumuntur *lato sensu* et tunc sunt *quasi generales conditiones omnis virtutis* (I ª II æ, q. 61, a. 4) : vel *stricto sensu* et sic sunt *præcipuæ virtutes ob excellentiam et necessitatem sui objecti simulque quasi cardines in quibus aliæ firmantur.*

Ex hac secunda consideratione melius explicatur nomen virtutis cardinalis (I ª II æ, q. 61, a. 3 et 4). Videndum est autem quomodo unaquæque virtus cardinalis lato aut stricto sensu intelligatur.

Prudentia lato sensu est omnis virtus quæ disponit ad « discretionem » in agendo ; stricto sensu est virtus actum honestum *præcipiens.*

Justitia lato sensu est virtus inclinans ad rectitudinem ; stricto sensu versatur circa *aliis debitum, secundum æqualitatem rei ad rem* (cf. infra, § 5).

Stricto sensu temperantia reprimit concupiscentiam delectationum tactus, fortitudo firmat contra pericula mortis ; lato sensu sunt moderatio et firmitas.

Partes virtutum cardinalium. — Distinguuntur partes :

a) *Subjectivæ*, quæ sunt species inferiores virtutis cardinalis.

b) *Integrales*, i. e. speciales functiones requisitæ ad perfectum actum virtutis cardinalis.

c) *Potentiales*, i. e. virtutes annexae, ad actus secundarios ordinatæ et imperfecte participantes vim virtutis principalis (II ª II æ, q. 48, 49).

5° ***De virtutum connexione.***

THESIS XVIII. — **Virtutes morales quæ ad bonos actus communiter debitos inclinant, ita cohærent inter se, ut una sine aliis perfecte haberi nequeat.**

I ª II æ, q. 65, a. 1 ; *De vit. card.*, a. 2.

Declaratur thesis. — Imperfecta inclinatio ad quod-

(1) *Sola* justitia r:sidet in ipsa voluntate. Voluntas enim *naturaliter* inclinatur ad bonum secundum rationem. Circa *ipsum individuum* sufficiet ut regulet passiones, i. e. *motus appetitivos sensibilitatis* (mediante *intellectu*). Sed non ita *immediate* inclinatur ad bonum *sociale*, et ideo ibi indiget virtute scil. *justitia* (I ª II æ, q. 56, a. 6 ; *de Ver.*, q. 24, a. 4 ad 9 ; q. unic. *de virt. in comm.*, a. 5, a. 12, ad 10 ; in III, d. 23, q. 1, a. 4).

dam bonum morale habetur quandoque, quin sit virtus circa alia honesta. Sed nulla virtus moralis *perfecte* possidetur circa *bonum aliquod communiter necessarium*, quin judicium practicum habitualiter sit rectum, i. e. *prudentia* sit ipsa perfecta; porro ob connexionem inter diversa, prudentia perfecta esse nequit, etiam circa unum objectum morale, quamdiu affectus non est recte dispositus circa alia objecta *generatim contingentia*. Sic imprudenter aliquando in materia obedientiæ judicas, quamdiu superbiæ aut sensualitati indulges.

Aliud argumentum proponit S. Thomas (l. c.) ex eo quod conditiones generales eædem requiruntur ab omni virtute, scil. discretio, firmitas... quæ sunt virtutes cardinales lato sensu.

§ IV. — De vitiis moralibus.

I^{a} II^{ae}, q. 84.

Vitium est « *habitus operativus malus* », opponitur virtuti et quasi continuat actum malum. Unde multa quæ dicta sunt de virtute aut de actuum humanorum malitia facile ibi applicabuntur.

Cum virtus sit in medio inter excessum et defectum, *plura sunt vitia quam virtutes*[1].

Septem distinguuntur vitia capitalia, quorum objecta præcipue movent appetitum, et ex quibus propterea alia oriuntur vitia.

Vitium enim oritur ex *inordinata prosecutione boni aut ex inordinata fuga boni ardui.*

Bona autem appetitum præcipue moventia sunt (a) *bonum* aliquod *animæ*, sc. *excellentia laudis et honoris*, quod inordinate appetit *inanis gloria* ; (b) *bonum corporis*, pertinens ad *conservationem individui*, quod inordinate appetit *gula* ; (c) *bonum corporis*, pertinens ad *conservationem speciei*, quod inordinate quærit *luxuria* ; (d) *bonum exterius*, sc. *divitiæ* quod inordinate appetit *avaritia* (I^{a} II^{æ}, q. 84, a. 4).

Bonum proprium potest esse *arduum ratione laboris necessarii* et sic *inordinate fugitur* : est *acedia* (si agitur de bono spirituali).

Bonum alienum quandoque *censetur impedire propriam excellentiam* et sic *inordinate fugitur* : est *invidia* aut *ira* prout fit *sine aut cum desiderio vindictæ.*

Præter vitia capitalia, superbia seu *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ* est *vitium quasi universale* et « *regina*

(1) Quanquam non omnis excessus aut defectus arguit vitium (v. g. æs alienum solvere excedendo debitum), de se tamen non est secundum rectam rationem, et ideo nisi intercedit motivum rationabile extrinsecum, est præter regulam morum.

quædam omnium vitiorum. » (S. Greg. Magn., Moral., l. 31, c. 45).

Est eorum initium in ordine intentionis, sicut avaritia in ordine exsecutionis (I^{a} II^{æ}, q. 84, a. 2 ; II^{a} II^{æ}, q. 162, a. 8).

§ V. — De justitia.

Arist., *Eth.*, l. 5, c. 7 sq. ; — II^{a} II^{æ}, q. 57 sq. ; — D. Soto, *De Justitia et Jure* ; — Lessius, *De Justitia et Jure* ; — de Lugo, *De Justitia et Jure* ; — Vermeersch, *Quæst. de just.* ; — Antoine, *Cours d'écon. soc.*, c. 5.

Inter virtutes cardinales, justitia ad solvendas quæstiones multas speciatim est consideranda. De aliis poteris videre *S. Thomam* et *Cathrein*.

1° ***Notio.*** — *Justitia improprie* idem significat ac *sanctitas* seu *collectio omnium virtutum.* Proprie est « *constans voluntas jus suum cuique semper tribuendi.* » *Juris* nomine intelligitur id *quod debetur alteri.*

2° ***Justitia et theoria Aristotelis de medio rationis et rei*** (I^{a} II^{æ}, q. 64, a. 2; II^{a} II^{æ}, q. 58. a. 10). Sicut omnis virtus moralis, justitia servat « *medium rationis* », i. e. convenientiam cum natura adæquata, secundum rectam æstimationem rationis (cf. supra, § 3, n. 2) ; sed insuper servat « *medium rei* », i. e. *proportionem rei præstitæ cum jure alterius seu debito. Utrumque obtinetur per modum unius :* ratio enim dijudicat convenire homini ut membro societatis « *ea... sine quibus societas humana conservari non potest... Hujusmodi autem sunt : unicuique, quod suum est, conservare et ab injuriis abstinere* ». (C. G., l. 3, c. 129).

3° ***Divisio justitiæ.***

Justitia est *generalis* aut *particularis*, prout inclinat ad jus tribuendum *communitati* aut *singulari personæ.*

Justitia generalis sic vocatur, quatenus actus omnium virtutum in bonum commune ordinare potest : est igitur « *generalis in causando* ». Dicitur etiam *legalis*, quia ad legem pertinet in bonum commune ordinare ; ob eamdem rationem est principaliter et « *architectonice* » in *principe*, in *subditis* secundario et « *quasi administrative* » (II^{a} II^{æ}, q. 58, a. 5 et 6).

Justitia particularis est *commutativa*, si inclinat *ad jus strictum reddendum unicuique privato secundum æqualitatem rei ad rem, i. e. rei redditæ ad rem debitam.* Est *distributiva*, si *membris societatis distribuit bona vel onera communia secundum proportionem meritorum vel facultatum :* servat

tunc *æqualitatem non rei ad rem* (*arithmeticam*) *sed duarum proportionum* (*geometricam*) (II[a] II[æ], q. 61, a. 2).

4° ***Num justitia tum particularis, tum generalis sit justitia arctiori sensu ?***

Omnis virtus « jus suum cuique tribuens » (cf. supra : 1°) est justitia sensu latiori. *Arctiori sensu* justitia dat *alteri* quod *suum* est *ad æqualitatem.* « *Ista adæquatio tria complectitur... ut sit ordinatum ad alterum ; ut sit ei debitum, alias superexcederet actio eum, ad quem fit; et ut tantum reddatur, quantum debetur, alias deficeret in minus.* » (In III, dist. 33, q. 3, a. 4, sol. 1). Hæc tria (*alteritas, debitum, æqualitas*) complete non inveniuntur nisi in *justitia particulari.*

Definitio justitiæ sensu latiori univoce convenit justitiæ tum particulari, tum legali, tum etiam æquitati, religioni...

Definitio autem justitiæ sensu strictiori analogice tantum convenit justitiæ legali, æquitati...

5° ***De justitia commutativa.***

a) Dicitur justitia *rigorosa*, quia perfectius est ad alterum et strictius æqualitatem spectat quam justitia etiam distributiva :

b) *Sola ad restitutionem obligat* post læsionem. Ratio est quia post læsionem, finis justitiæ commutativæ remanet idem obtinendus ac antea, i. e. efficere ut quisque rem suam habeat ; dum non ita est de aliis speciebus justitiæ. V. g. quoad justitiam distributivam, qui male distribuit bona publica, jam nihil reparare potest : nec sumendo de suis propriis bonis, cum distributio facienda sit de publicis, nec auferendo de bonis communibus ab eo qui nimis accipit, cum iste jus strictum in bona sibi collata jam acquisierit (De Lugo, *de jure et just.*, disp. 1, n. 53)[1].

c) Justitia commutativa inter parentes et pueros qua tales non intercedit nisi secundum quid, quia ob naturalem eorum conjunctionem deest perfecta personarum distinctio seu « alteritas » (Eth. l. V, c. 6 ; — II[a] II[æ], q. 97, a. 4)[2]. Si autem spectantur isti secundum alias relationes quam familiæ, justitia commutativa inter eos esse potest, et v. g. prohibet ne pater

(1) Aliter : sola justitia commutativa respicit jus strictum, nam istud supponit independentiam personarum, alteritatem perfectam. Læsio igitur justitiæ distributivæ non fuit læsio juris stricti, sed fuit contra bonum commune quod restitutionem prædictam non exigit (Lehmkuhl, *Th. mor.*, 1910, n. 910).

Sed nota justitiam commutativam sæpe lædi simul : v. g. si magistratus, injuste puniendo, damnum tulit (De Lugo, l. c.).

(2) Ut dicit S. Thomas, « filius est aliquid patris, quia quodammodo est pars ejus » (loc. cit.).

pueros occidat (*S. Thomas*, ibid., ad 2^um^ ; — *De Lugo*, l. c., n. 31).

De virtutibus annexis justitiæ, legi potest *S. Thomas* et *Cathrein*. Quoad *æquitatem* vide *Vermeersch*, op. cit. : sensus multi sunt ; sæpe hodie intelligitur æquitas ut *virtus inclinans ad usum juris, humano modo temperatum (seu secundum exigentias consociationis humanæ)*.

6° ***Hæc in tabula sequenti resumuntur :***

- ***Justitia***
  - *improprie :* Collectio omnium virtutum, quatenus adæquant actiones cum rationis regula : *(medium rationis)*.
  - proprie : virtus jus suum cuique tribuens : *(medium rei)*
    - *sensu lato :* non respiciens æqualitatem proprie dictam aut alteritatem strictam.
      - *æquitas, religio,* etc...
      - *justitia generalis seu legalis.*
    - *sensu stricto :* jus tribuens alteri ad æqualitatem : justitia particularis.
      - 1° *justitia distributiva* (æqualitatem tantum geometricam respiciens, minus strictam alteritatem supponens).
      - 2° *justitia commutativa* seu rigorosa (ibi jus, alteritas stricte inveniuntur, æqualitas est arithmetica).

CAPUT IV

DE LEGE DEI PERFECTE OBLIGANTE

Circa Bibl. præter sequentes, cf. DE LA BARRE, p. 64 sq.

Bene moraliter agere est libere agere ut decet naturam adæquate sumptam. *De necessitate et quidem absoluta sic agendi* est nunc disserendum. Hæc necessitas lege æterna in Deo existente et naturaliter rationali creaturæ manifestata imponitur. Inde : 1° *de lege generatim*, 2° *de lege æterna*, 3° *de lege naturali*, 4° *de prædicta necessitate* seu *de perfecta obligatione* agemus. Deïnde addenda sunt quæstionis *complementa* : 5° *de sanctione legis naturalis*, 6° *de summo ejus præcepto*, 7° *de ejus proprietatibus*, 8° *de lege positiva, ut fundata in lege naturali.*

ARTICULUS I

DE LEGE GENERATIM

I ª II ªᵉ, q. 90 ; — SUAREZ, de leg., l. 1.

1) ***Notio***. — *Lex generatim* est *norma agendi*, cujus proprius effectus est *ligare* seu *necessitatem imponere*.

Ligamen potest esse aut *physicum*, aut *morale* (scil. *sese imponens voluntati physice liberæ per cognitionem*) : hinc *leges physicæ* et *leges morales*.

Sola autem dicitur *lex moralis sensu proprio*, secundum communem modum loquendi, ea quam ita definit S. *Thomas* : « *ordinatio rationis ad bonum commune et ab eo qui curam communitatis habet promulgata* » (S. TH., l. c., a. 4).

Est (*a*) « *ordinatio* », i. e. *tum dispositio in finem, tum imperium perfectam obligationem imponens*. Vocatur *perfecta obligatio* : « *necessitas stricta, libertati per cognitionem impo-*

sita alicujus boni moralis agendi aut mali moralis omittendi » (cf. th. 21ª, St. Q.).

b) « *rationis* », nam ordinare pertinet ad rationem ; debet esse simul *a ratione* et *secundum rectam rationem*. Insuper, sicut omne imperium (cf. cap. II, a. III) *præsupponit actum voluntatis unde efficaciam habet ;*

c) « *Ad bonum commune* ». Lex enim semper spectat aliquam *communitatem* (imo *perfectam* : cf. in Eth. spec. : De societ. universim) et eam ordinat in suum *finem* qui est *bonum commune. Omne igitur præceptum non est lex.*

d) « *Ab eo qui curam communitatis habet* : » nam ad eum pertinet communitatem ordinare in finem.

e) « *Promulgata* » : lex enim de qua hic sermo, imponitur *per cognitionem*. Promulgatio est saltem conditio sine qua non efficaciæ legis. Probabilius etiam promulgatio *activa* seu *ex parte legislatoris*, est *ipsum imperium* et est *de legis essentia*.

N. B. — 1° Lex *complete* sumpta est *simul activa et passiva*, i. e. tum in mente legislatoris existens, tum subditorum menti manifestata. Si promulgatio existit tantum ex parte legislatoris, quatenus nihil deest ex ejus parte ut lex manifestetur, ista est activa, non passiva.

2° Ne confundas legem moralem proprio sensu, de qua nunc dictum est, cum lege morali improprie dicta, quæ non est nisi modus quidam constans agendi, ex natura voluntatis necessario sequens : v. g. matres suos filios amant.

2) ***Dividitur lex :***

a) *ratione effectus* : in *præcipientem* (affirmativam), *prohibentem* (negativam), *permittentem*, *punientem*.

Lex affirmativa obligat semper sed non pro semper ; lex negativa obligat semper et pro semper : i. e. etsi utraque ordinatio sit ex se stabilis, objectum prioris consistit in *determinatis* actibus *ponendis, non igitur omni momento* : objectum posterioris in quibusdam actibus *absolute*, *igitur omni tempore*, *omittendis*.

b) *ratione durationis* : in legem *æternam* et leges *temporales*.

c) *ratione auctoris immediati* : in legem *divinam* et *humanam*.

d) *ratione fundamenti et modi promulgationis* : in legem *naturalem* et *positivam* (i. e. *libere positam*). Lex positiva est vel *divina* vel *humana*, et humana subdividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*.

ARTICULUS II

DE LEGE ÆTERNA

THESIS XIX. — Exsistit lex æterna in Deo.

I^{a} II^{ae}, q. 91, a. 1 et q. 93 ; — SUAREZ, *De leg.*, l. 2, c. 1-4.

Nota theseos : metaphysice certa.

PROB. — Lex est ordinatio imperativa rationis ad bonum commune et ab eo qui curam communitatis habet promulgata. Atqui ab æterno talis ordinatio in Deo exsistit. Ergo.

Declaratur minor. 1) Ut constat ex prima thesi Ethicæ, *omnia creata ordinantur a Sapientia Supremi Domini* ad participandam et glorificandam Summam Bonitatem quæ *vi ipsius ordinationis* est *bonum universi.* Et *hæc ordinatio est imperativa*, nam :

2) Summa Sapientia sibi debet ut *efficaciter et congrue*, secundum unamquamque naturam, *creaturæ irrationales in hunc finem moveantur necessitate physica, creaturæ intellectuales qua tales necessitate morali seu perfecta obligatione*[1] .

3) Ideoque ut, *absque Dei ulla mutatione* (cf. in theod. th. de Dei immutabilitate), *creaturæ intellectuales ad perfectum usum rationis pervenientes necessario cognoscant ejus ordinationem : hinc ab æterno ista ordinatio exsistit et ex parte Dei promulgatur.*

SCHOL I. — *Lex æterna quatenus attingit creaturas rationales est lex moralis proprio sensu et definitur ad mentem S. Augustini* (Contra Faust. l. XXII, c. 27) : *ratio et voluntas divina ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Etenim motio *efficax* et *conveniens* in ultimum finem est motio imponens unicuique creaturæ ordinem qui ex natura ejus, a Deo et propter Deum condita, exsurgit[2].

SCHOL II. — *Igitur a priori cognoscuntur legis*

a) *exsistentia ;*

---

(1) Exigere omnia sibi subordinari est perfectio simplex, competens igitur Summæ Bonitati (th. 1) ; ideo etiam exigere omnia entia moralia sibi categorice subjici seu ad Ipsam ultimo prosequendam secundum naturales tendentias perfecte obligari.

(2) seu : *lex attingens creaturam rationalem non est nisi istius ordinatio in finem qua imperativa. Porro ordinatio dicit non tantum finem determinatum, sed modum determinatum quo natura creata disponitur et dirigitur ad finem intendendum i. e. dicit ordinem qui ex ista natura exsurgit.*

b) *efficacitas*, i. e. *necessitas stricta*, sed *moralis* seu *imperativa* ;

c) *objectum* : i. e. tenemur *omittere* quæ, datis circumstantiis concretis, adversantur divino operi, tenemur *agere* quæ exigit destinatio hujus, seu quorum omissio positive disconvenit naturæ adæquatæ, et ideo moraliter mala est ; seu breviter : *objectum legis est tendere ad id propter quod natura nostra condita est*[1] :

d) et tandem *ratio ontologica obligationis* : i. e. independenter a modo quo homines perveniunt ad cognitionem legis, 1° *altissima causa* (*necessario finalis*) *obligationis* : *Deus glorificandus propter exigentias ontologicas Summæ Bonitatis*, — 2° *proxima causa* (*efficiens*) : *voluntas Dei quæ simul creat, ordinat, imperat* (videbimus in thesi 21ª quomodo obligatio cognoscatur).

SCHOL. III. — Nexus inter *legem æternam* et *bonum morale* invenitur in notione *ordinis*. Nam agere bene moraliter est servare *ordinem naturæ suæ*, quod est objectum legis.

Hinc schema sequens :

Bonum morale seu *intra ordinem*	perfectius et non ordini necessarium :	objectum *consilii*.
	necessarium ordini :	objectum *præcepti*.
	minus perfectum, non ordini necessarium :	objectum *permissionis*.
Malum seu *contra ordinem* :		objectum *prohibitionis*.

De gravitate autem præcepti aut prohibitionis, vide caput VI de peccato.

Obj. 1ª. Nulla relatio inter Deum et creaturas potest esse æterna. Atqui lex creaturis a Deo imposita est relatio. Ergo...

Resp. *Conc. maj.* — *Dist. min.* : lex passiva, *conc.* ; activa, *nego* ; — *Major* conceditur quia relatio, ut includens dependentiam, non est realis nisi ex parte creaturarum.

Instantia : Etiam lex activa seu in Deo est relatio. *Prob.* : lex etiam activa est ordinatio. Atqui ordinatio est relatio ordinatorum ad principium ordinis (ibi dispositio creaturæ ad finem ultimum consequendum). Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : ordinatio activa, *conc.* ; passiva, *nego* ; — *Contradist. min.* : ordinatio passiva est relatio, *conc.* ; ordinatio activa ex parte divinæ Sapientiæ, *nego* : *efficit* quidem relationem realem, *non est ea formaliter*.

Obj. 2ª. Jurisdictio Dei (sicut Ejus dominium) non est æterna. Atqui lex est actus jurisdictionis. Ergo...

---

(1) Possunt etiam distingui : *objectum materiale* : *agere libere ut decet hominem* ; — *objectum formale* seu *motivum præscriptum, ad quod omne bonum morale est referendum* : *gloria Dei*.

Resp. *Conc. maj.* (cf. supra resp. ad 1^am obj. et S. Thomam : I^a, q. 13, a. 7 ad 6^um). — *Dist. min.* : ubi jurisdictio est intrinseca legislatori, *conc.* ; ubi est extrinseca, *nego* ; lex Dei est *actus immanens* divinæ sapientiæ *ex quo sequitur relatio juridica* mere externa creaturæ ad Deum.

Instantia. Sine subditis non est lex.

Resp. : sine subditis saltem in futuro exsistentibus, *conc.* ; si eorum exsistentia simul ac ordinatio ab æterno efficaciter decernitur, *nego*.

Obj. 3^a. Lex non promulgata non est lex. Atqui promulgatio non est æterna. Ergo... *Prob. min.* : Actus mere internus non est promulgatio, etiam ex parte legislatoris seu in causa.

Resp. ad prob. min. — *Dist.* : in legislatore humano qui debet insuper actum externum ponere ut ordinatio sit cognoscibilis, *conc.* ; in Legislatore divino qui, ab æterno immanenter agens, omnia ponit quæ ex sua parte requiruntur ut ordinatio in tempore cognoscatur, *nego*.

Obj. 4^a. Ordinatio Dei, cum pendeat a creatione, est contingens. Atqui quod est contingens non est æternum. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* : contingens quoad actum in se sumptum, *nego (est ipse Deus)* ; quoad respectum ad terminum, *conc.* ; sed *nego minorem* : respectus libertatis Dei ad suos effectus est contingens et tamen æternus (cf. theod.).

ARTICULUS III

DE LEGE NATURALI

THESIS XX. — Exsistit in homine lex naturalis.

I^a II^ae, q. 91, a. 2 et q. 94 ; — Suarez, *De leg.*, l. 2, c. 5 sq.

STATUS QUÆSTIONIS

Lex sumitur sensu *legis moralis proprie dictæ*, i. e. ordinationis rationis... ut supra. Ideoque intelligitur tanquam *perfecte obligans* (art. I, 1, a) ; — de notione magis adæquata obligationis, cf. thesim sequentem.

Naturalis dicitur, quatenus *necessario consequitur naturam hominis, saltem rite evolutam, et positis conditionibus quæ isti conveniunt* (vide th. de legis universalitate).

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — (*Ex thes præc.*). Lex æterna apud Deum exsistens est lex moralis proprie dicta, i. e. perfecte obligans (active sumpta).

Atqui Summa Sapientia sibi debet ut homo ad perfectum usum rationis perveniens necessario ideoque naturaliter cognoscat hanc legem, ut dictum est.

Ergo, via hujus cognitionis, naturaliter existit in homine lex moralis proprie dicta, perfecte obligans.

SCHOL. I. Lex naturalis definitur a *S. Thoma* (I^a II^æ, q. 91, a. 2) « *participatio legis æternæ in rationali creatura.* » « *Participatio* », generatim intelligitur inadæquata communicatio, seu communicatio et effectus. Ibi effectus est manifestatio. Est « *lumen intellectus* »[1] i. e. *complexus propositionum quibus ratio dictat certas actiones præcipi, alias prohiberi, alias tandem licere.*

Ista dictamina « *constituuntur per rationem* »; non exsistunt in infantibus nisi in actu primo. Lex naturalis *non est proprie habitus* (I^a II^æ, q. 94, a. 1)[2].

Nondum in hac thesi affirmamus cognosci ab unoquoque homine vi legis naturalis præcepta aut prohibitiones oriri ex voluntate Dei (qua de re agitur in th. sq.).

Etsi lex æterna et lex naturalis sint realiter distinctæ, quatenus una apud Deum et altera apud creaturam exsistentes, sunt tamen eadem divina ordinatio in diversis statibus considerata.

SCHOL. II. — De cognitione divinæ ordinationis pro diversis statibus naturæ humanæ (*Meyer*, I^3, p. 238, n. 269).

1° *In statu pure naturali*, providisset Deus ut homo cum aliqua facilitate posset bene naturaliter operari. Videtur Deum hoc sibi ipsi debuisse; in hunc scopum adhibuisset aliquod genus naturale providentiæ, ad tollenda impedimenta notitiæ præceptorum naturalium moraliter et practice sufficientis.

2° « Melius autem Deus homini providit et omnes difficultates abstulit, *gratiam et supernaturalia dona* illi conferendo » (*Suarez*, de fine hom., d. 15, s. 2, n° 11).

3 *Peccato originali* humanitas perdidit et hæc dona et quamdam facilitatem etiam naturalem cognoscendæ servandæque legis.

4 Hominis hæc insufficientia non physica sed moralis non fuisset practice superata nisi *natura reparata fuisset.*

SCHOL. III. — Applicatio considerationis præcedentis ad crisim quorumdam argumentorum.

---

(1) *Opusc. 3 in duo præcepta caritatis.*

(2) Ita cum S. THOMA multi auctores circa hunc locum. Vide infra : th. de universalitate legis, ultimum scholion.

Duo proponuntur ad probandam legis naturalis existentiam :
1) *Directum testimonium conscientiæ individualis ;*
2) *Consensus generis humani.*

Datis autem facto revelationis et transmissione naturali cognitionum, asserere non possumus plerosque homines pervenire *de facto* ad cognitionem divinæ ordinationis, saltem primum per solam vim rationis individualis. Recipiunt enim *educationem speciatim religiosam* et forsan sæpe *admittunt* (*recte aut non recte*) *principia moralia propter motiva omnino indirecta,* similia motivis credibilitatis in quibus fides religiosa fundatur.

Unde apparet quomodo sit difficile arguere stricte *ex judicio saltem individuali* ad exsistentiam legis naturalis probandam. Nam oporteret ostendere istud judicium esse (a) *rectum*, non ex falso ratiocinio vel aliqua impressione ortum (b) *cognitionem naturalem,* non ex revelatione procedentem : secus non constat legem esse naturalem [1].

Quoad secundum argumentum, admittimus non esse nisi duas explicationes *vere probabiles* consensus generis humani : aut rationem humanam naturaliter percipere veritates morales, inclusa etiam obligatione perfecta ; aut Deum eas revelasse supernaturaliter. Utraque via, *ad Deum legislatorem pervenimus saltem indirecte.* Sed iterum oporteret ostendere legem (*a*) esse *naturalem* quoad suum *objectum* et (*b*) etiam *independenter a revelatione naturaliter cognoscibilem esse.*

Argumentum igitur probat quidem sat probabiliter *objectivitatem obligationis* sed non *obligationis naturalis, sine respectu ad revelationem.*

N. B. — *Ad hominem videtur optimus esse processus saltem aliquando, si proficiscendo a consensu generis humani et provocando ad intimam persuasionem auditoris, mentem ejus disponas ut postea audiat argumentum magis ex se probans.*

Obj. 1ª. Quod libertatem tollit non est naturale. Atqui lex tollit libertatem. Ergo. [2]

Resp. *Dist. maj. :* quod libertatem physicam, seu τὸ posse, tollit, *conc. ;* moralem, seu τὸ licere, *subdist. :* quod eam tollit ad bonum naturæ, *nego ;* contra istud, *conc. — Contradist. min.*

Obj. 2ª. Quod naturale est non deficit. Atqui lex deficit in infantibus et perpetuo amentibus. Ergo.

Resp. *Dist. maj. :* ubi adsunt debitæ conditiones, *conc. ;* ubi desunt, *nego.*

---

(1) Aliis verbis : non licet arguere *ex sola exsistentia* testimonii individualis. Utrum autem niti possimus in ejusdem *natura*, seu melius in *evidentia ipsius obligationis*, in thesi sequenti disputabimus.

(2) Objectiones fere eædem sunt apud *Cathrein* in hac thesi.

— *Contradist. min.* : Nota legem etiam in infantibus et amentibus exsistere in actu primo remoto, seu in natura intellectus, qui ex se aptus est ad judicia moralia efformanda. Deficit tum actus secundus, scil. complexus dictaminum rationis ad quæ natura inclinat, tum actus primus proximus, scil. habitus acquisitus circa eadem. Actu primo remanente, non licet infantes et amentes provocare ad ea quæ disconveniunt eorum naturæ rationali (DE LUGO, *De pœnitentia*, disp. 16, n. 206 sq.).

Obj. 3[um]. Necessitas ferendi legem naturalem est restrictio divinæ libertatis. Atqui hoc repugnat, nam Deus est omnino liber in operationibus ad extra.

Resp. *Dist. maj.* : est imperfectio, *nego* ; perfectio, *conc.* — *Contradist. min.* et *dist. rationem allatam* : Deus libere creat, *conc.* ; data Ejus voluntate creandi, potest non imponere legem quam Ejus Bonitas et Sapientia exigit, *nego* (cf. C. G., l. I, c. 83).

ARTICULUS IV

DE PROXIMO FONTE UNDE OBLIGATIO PERFECTA LEGIS NATURALIS MERITO AGNOSCITUR

S. THOMAS, *de Ver.*, q. 17, a. 3 sq. ; — SUAREZ, *de Leg.*, c. 5 sq. ; — LUGO, *de Incarn.*, disp. 5, sect. 5 et 6 ; — VASQUEZ, Comm. in I[am] II[ae], d. 150, a. 3 ; — LACROIX, *Th. mor.* (Venet., 1740, t. II), l. 5, c. 1, n. 25 sq. n. 48, q. 12 tota ; — CHOSSAT, *Dict. de théol. Vacant*, art. « Dieu », col. 914-918 ; — RICHARD, *ibid.*, art. « Fin dernière », col. 2489 ; — DUQUESNOY, *Congrès scientif. intern. des cath., Paris*, 1891, sect. III, p. 18-32 ; — *Ami du Clergé*, 1904, p. 598 sq. ; — HALLEUX, *Rev. Néo-scol.*, 1907, p. 28-36 ; — BALTHASAR, *ibid.*, 1908, p. 96-99 ; — (*ampla bibliogr. apud Lacroix, Chossat, Richard*, l. c.) — CARD. BILLOT, *de Deo Uno*[5], th. 3, § 3, p. 48 (attende ad editionem) ; ejusdem, *Etudes*, 20 août 1920, cum art. seq ; — HARENT, *Dict. de Théol.*, art. « *Infidèles* (*salut des*) », speciatim col. 1756, 1872 sq., 1892, 1907 sq., 1928 ; cf. etiam col. 1863-1893 ; — *Ami du Clergé*, 10 mai 1923, p. 295 ; 19 juillet 1923, p. 453 ; 31 janvier 1924, p. 73 sq. [1].

Jam exsistentia obligationis fuit probata in thesibus præcedentibus, nam lex et obligatio sunt correlativæ: cf. cæterum argumenta ibid. Nunc quæritur quanam via, ex quonam fonte homines se obligatos agnoscere possint.

THESIS XXI. — Obligatio perfecta legis naturalis neque ex dictamine rationis practicæ autonomæ, neque ex sola convenientia vel disconvenientia actionis cum natura hominis rationalis vel cum essentiali rerum ordine, neque ex solis naturæ profundis inclinationibus merito agnoscitur, sed unice ex manifestatione naturali divinæ voluntatis ut talis cognitæ.

---

(1) In hoc loco bene resumitur recens controversia cui sententia CARD. BILLOT occasionem dedit. Non autem nostram facimus theoriam quæ ibi approbatur, illam sc. quam egregie quidem exposuit R. P. BOUUAERT, in *Nouvelle Revue théologique*, avril 1921. Vide infra, obj. 3[am] cum instantia.

STATUS QUÆSTIONIS

Antequam diversæ opiniones exponantur, imprimis notandum est nos agere *de cognitione* **perfectæ** *obligationis*. Porro, etsi præcipuus, hic effectus legis naturalis unicus non est : cum eo alii consonant et aliquatenus possunt locum ejus nonnumquam tenere. Homo, ratione præditus, naturaliter æstimat « *ordinem valorum* », propriam sui naturam cum hierarchia facultatum et tendentiarum, excellentiam maximam societatis cujus est pars, quæ tanta ei præbet et ex qua tam profunde pendet. Naturaliter inclinatur ad reverendum et prosequendum quidquid vere bonum est respectu tum sui, tum societatis, seu ad servandum ordinem moralem, ad se gerendum bene moraliter. Et, si judicia suæ rationis atque profundas suæ voluntatis inclinationes non sequitur, jam in seipso conflictus sentit acerbos et remorsus.

Naturalis iste cognitionum et tendentiarum complexus constituit *aliquam* necessitatem plusminusve strictam et quæ plusminusve immediate ordinem actionis spectet. Sed *in thesi præsenti id unice spectatur quod se exhibet, — agenti cujus mens est recta, — ut « necessitatem objectivam et categoricam ordinis moralis servandi »*. Talis est obligatio quam *perfectam* vocamus, et quam Kantius certe [1], Vasquez probabiliter et cum eo plerique de quæstione disputantes, ante nos spectaverunt.

Dicimus : a) « *Necessitatem objectivam* », scil. non physice inhærentem ipsi voluntati ut destruat libertatem, sed sese imponentem per modum *objecti intellectu cogniti*, et sic moraliter tantum influentem in actum voluntatis ;

b) « *categoricam* », scil. non hypotheticam, sed absolutam et strictam omnino, ita ut potius mortem subire debeamus quam illam transgredi ;

c) « *ordinem moralem servandi* », ad designandum objectum *specificum* obligationis : non se gerere nisi bene moraliter, omne malum morale vitare, seu *semper se libere determinare ut naturam rationalem decet*.

Ut patet ex initio capitis III[1], omnes æquivalenter admittunt eamdem notionem boni moralis, etsi modis diversissimis intelligunt convenientiam determinationis cum natura rationali (v. g. Kantius derivat bonum morale ab obligatione).

---

(1) Nemo tam explicite ante ipsum locutus est de obligatione « categorica ». Timemus ne aliqui cum ea confundant necessitatem plusminusve strictam agendi, et quam obligationem imperfectam vocamus.

Etiam secundum adversarios omnes (si præscindimus a quadam prioritate quam Kantius intervertit), ea quæ *ex natura rationali* indicantur ei convenire, jam *vi obligationis* sunt *absolute facienda*.

N. B. — Quidam (cf. Costa-Rossetti, p. 137; — Ferretti, *De essentia boni*, p. 174-175 et antea, p. 18 sq.) ponunt dependentiam a voluntate extrinseca in definitione prima obligationis, et illis videtur favere modus quo homines generatim hanc intelligunt. Hoc statim admisso probatio thesecos esset facillima et conclusio certa.

Quærimus explicationem non tantum *realitatis*, sed *cognitionis* obligationis perfectæ, i. e. non solum ejus causam, sed id unde merito ab intellectu accipiatur. Hoc est valde notandum, hodie præsertim. Multi enim auctores, præsertim antiqui, spectant directe ordinem ontologicum, sæpe solventes simul, saltem implicite, idem problema ac nos. Ex hodiernis controversiis momentum istius jam multo majus est ac olim. *Quæstio enim est num exordium ethicæ desumi possit ex facto obligationis immediate evidente ita ut totus processus in schola acceptus invertatur.*

Cæterum in thesibus præcedentibus problema ontologicum solutum est, siquidem ostendimus obligationem oriri a divino Legislatore; et ex præsenti disputatione magis hoc declarabitur, cum explicabitur proximam divinæ voluntatis efficaciam in voluntatem nostram, *in manifestatione præcepti ut talis* consistere.

De opinionibus.

1. — Secundum Kantium, *affirmare obligationem* est « *factum primum rationis* » (*Crit. de la raison prat.* trad. Picavet, p. 50-51), « *judicium syntheticum a priori* » (Ibid. et *Fond. de la Mét. des Mœurs*, trad. Delbos, p. 135). *Lex a nostra ratione edicta sese imponit proprio titulo ut reverenda*, independenter a valore objectorum quæ nobis prosequenda injungit, et omne aliud motivum humanæ actionis excluditur ut amorale. Ipsa dignitas personæ, dein a Kantio spectata ut « finis in se » et ut fundans absolutum valorem imperativi categorici, tota ex eo derivatur quod humana ratio *legem* manifestat.

Nec obligatio jam proponitur ut objectiva; de hac objectivitate philosophus quærit et tandem declarat problema solvi non posse. Nihil enim probari censet, si nescimus utrum ratio humana sit « legislatrix, autonoma, libera »; porro, hoc cognosci nequit, sed tantum postulatur.

Mirum est modernos, — cum apud Kantium, ut videtur,

desumpsissent ideam philosophiæ quæ in « facto primigenio obligationis » niteretur [1], — asserere, ut immediate evidentem, objectivitatem istam, ad quam ipse ne pervenire quidem poterat.

2. — Secundum Vasquez, *agnoscitur obligatio ex ratione objectiva, scil. ex cognitione nostræ naturæ, quatenus præscindendo a voluntate, imo a judicio Dei, intelligimus quasdam actiones omnino præcipi, alias prohiberi, secundum et propter tantum earum convenientiam cum hac natura* (Comm. in I^am II^æ, disp. 150, c. 3, n. 22 sq.). Inde peccatum mortale committi potest ab eo qui Majestatem divinam ignorat (disp. 107, n. 14).

3. — Secundum Gerdil, *cognitio ordinis idealis actionum humanarum etiam atheos obligat* (Op. omn., ed. Rom., t. VII, p. 182 ; cf. ibid. paululum antea ; coll. Migne, col. 1380). Cæterum diversas aliorum sententias auctor aliquatenus conjungit. Dicit enim : « *Duplex veræ ac proprie dictæ obligationis fundamentum erui potest : unum petitum ex actionis convenientia cum propria perfectione, quam cum homo consequitur, seipsum intime approbat, sibi ipse placet, seque laude dignum ducit ; alterum petitum ex actionis convenientia cum ea cumulata felicitate quæ omnem dolorem, molestiam, tædiumque excludit.* » (*Inst. phil. mor.*, disp. 3, c. 3 ; ed. Rom., t. VI, p. 227 ; — cf. *M. B. Inst. de droit naturel*, t. I, p. 579). Imo, in eodem loco, obligatio describitur ut necessitas potius *de facto* quam *de jure*, ut resultans ex profundis inclinationibus, sese imponentibus, quia ex natura ortis, potiusquam ut jus supremum jam *ex se solo* reverentiam exigens. « *Oritur ex necessaria connexione cum fine quem non possumus non velle* ».

4. — Similis conceptus apud quosdam recentiores invenitur. Spectant vero ut finem « *quem non possumus non velle* », vel perfectionem nostram humanam (sic P. Janet, *La morale*, p. 218 sq.), vel beatitudinem (sic Taparelli, *Dr. nat.*, t. I, n. 94 sq.), vel ipsam gloriam Dei [2].

---

(1) Sic DD. d'Hulst, *Conf. de N.-D.*, 1892, p. 48 sq. ; vide de Broglie, *La morale sans Dieu*. — Vers la même époque, on commence à déclarer que cet argument de l'existence de Dieu par l'obligation est le plus populaire de tous, alors qu'il semble avoir été à peu près ignoré jusque-là. Voir cependant Bañez, cité plus bas. Sans doute la profondeur de sentiment et l'éloquence de l'éminent converti Newman ont largement contribué à accréditer cette nouvelle méthode apologétique (cf. plusieurs de ses écrits, spéc. *La grammaire de l'assentiment*, le *tract* 85^e, etc.)

(2) Cf. Valensin, *Dict. apol. d'Alès*, art. « *Criticisme Kantien* » in refutatione Ethicæ Kantii, c. 757 ; conceptus obligationis ut necessitatis de facto clare proponitur. Vide etiam Descoqs, *Revue de phil.*, janvier-février 1920, p. 86 sq.

5. — Inter præcedentes sententias et nostram, SCHIFFINI viam mediam defendit, nempe *expressam divinitatis cognitionem esse moraliter necessariam ad obligationem ut par est, concipiendam...* » ; *attamen, sine tali cognitione, plura præcepta legis naturalis, præsertim illud :* « *Bonum est faciendum, malumque vitandum* » *esse immediate evidentia.* « *Atqui in conceptu obligationis (ideo in hoc dictamine) formaliter involutus invenitur conceptus occultæ protestatis voluntatem humanam obligantis, quæ potestas objective et in se non aliud est nisi Deus... Ergo concedendum est... conceptum confusum et indistinctum ejusdem Dei Legislatoris suppeditari humanæ menti per naturale dictamen synderesis, i. e. prædictum præceptum* » (*Eth. gen.*, n. 141, p. 238). Cf. ejusdem *Met. spec.*, n. 397-398 : *Deo ignorato,* « *omnis morum regula extirpatur* » ; cognitio confusa Dei esset igitur simul posterior et prior dictamine synderesis aliquo modo (?)

Cæterum non explicatur undenam judicium morale homines obligans et præbens cognitionem confusam Legislatoris sit immediate evidens[1]. E contra, in 2ª parte disputationis, dicemus quomodo mens humana procedat.

6. — *Thesis nostra* omnino videtur a S. THOMA proponi : « *Conscientia obligat, non virtute propria, sed virtute præcepti divini : non enim conscientia dictat aliquid esse faciendum quia sibi videtur, sed hac ratione quia a Deo præceptum est* » (In II, d. 39, q. 3, a. 3, ad 3um). Evolvitur ample : *de Ver.*, q. 17, a. 3 : « *Num conscientia liget.* » Distinctio inter *obligationem perfectam* et *imperfectam* (aut ipsa nostra thesis) clare innuitur, vel obiter (ut speciatim Iª IIæ, q. 100, a. 5, ad 1um[2], cf. totum articulum), vel per totam doctrinam et textus comparatos, speciatim de Summo præcepto (cf. infra : th. 24 et 25, schol. II).

Favent etiam huic propositioni S. BONAVENTURA (In II, d. 39, a. 1, q. 3)[3] ; — SUAREZ, præsertim *de Leg.*, l. 2, c. 6, n. 7 et ea quæ habet de atheo [4] : *de Peccato,* disp. 2, s. 2, n. 7 (ed. Vivès, t. IV, p. 223) ; — LUGO, *de Incarnatione*, d. 5, s. 6,

(1) Cf. quæ ipsi dicemus de indole plusminusve distincta cognitionis Dei secundum nos *præsupositæ* (in fine arg. I[1]).

(2) Valde notandum et cum q. 94, a. 2 comparandum sedulo !

(3) Qui cæterum admittit aliquam cognitionem immediatam *exsistentiæ* Dei (*ibid.* a. 1, q. 2 et *De mysterio Trinitatis*, q. 1, a. 1, cf. GILSON, *La philosophie de S. Bonaventure*, p. 119 sq.). En ejus textus de obligatione : « Conscientia est sicut præco Dei et nuntius et quod dicit non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut præco cum divulgat edictum regis ; et hinc est quod conscientia habet virtutem ligandi ». Idem habet S. THOMAS (*de Ver.*, q. 17, a. 4, ad 2um).

(4) Quæcumque theoria propugnatur, quæstio practica est præsertim de atheo, et imprimis utrum, seclusa *omni cognitione Dei explicita*, possit committi peccatum mortale, merens pœnam æternam.

n. 106 sq. (ed. Vivès, t. II, p. 351) ; — Lacroix, *Theol. mor.* (Venet, 1740), t. II, l. 5, c. 1, n. 25 sq., n. 48, q. 12 tota ; — et multi scholastici. Inter recentiores eminet Card. Billot, *De Deo Uno*[5], th. 3, § 3, p. 48 ; *Etudes*, 20 août 1920 et art. seq.[1]

Attamen non negamus Schiffini posse opinionis suæ patronos inter auctores secundi ordinis invocare (cf. *Harent*, art. cit., col. 1872 sq.).

Nostra sententia declaratur.

Obligatio perfecta legis naturalis immerito agnoscitur ante manifestationem, — naturalem quidem, — voluntatis Dei.

In summa, duo dicemus :

1° Ut nos perfecte ligatos agnoscamus, oportet aliquod objectum *manifestari*, quod proprio titulo se imponat ut a nobis absolute reverendum et maxime amandum, et nequit esse aliud ac *Excellentia Dei* ;

2° Oportet exercitium reverentiæ et amoris erga Deum *nobis apparere* ut exigens categorice quasdam determinationes, cæterum physice liberas ex nostra parte, quosdam actus aut quasdam omissiones, et hoc esse nequit nisi ex eo quod negligere actus aliquos aut ponere, *cognoscitur disciplicere* Summæ Excellentiæ, i. e. *Ejus voluntati opponi.*

Excellentia divina constituit *exigentiam ontologicam, titulum remotum sed formalem, ratione cujus ipsa divina Voluntas reverenda est.*

Voluntas divina, seu *Dei complacentia vel displicentia proxime determinat quosnam actus aut quasnam omissiones reverentia erga divinam Excellentiam a nobis exigit* [2].

Voluntas Ejus qui est Summa Excellentia, en *adæquatum obligationis perfectæ fundamentum, cujus manifestationem cognitio ipsius obligationis supponit.*

Primum excludemus alios modos ligamen morale merito agnoscendi : hæc erit *pars negativa* theseos. Dein ostendemus hunc modum esse optimum : hæc erit *pars positiva*. In utraque, duos conceptus spectabimus : ideam *dependentiæ* et ideam *finis necessarii.*

Postea *casus athei* speciatim considerabitur.

---

(1) Vide : 5 mai 1921, de impossibilitate peccati mortalis ex parte athei (optime contra Viva).

(2) Non dicimus hanc voluntatem esse liberam. Revera, voluntas efficax quam Deus habet creandi talia entia intellectualia et libera propter Seipsum est identice Voluntas (Creatoris, Ordinatoris, Legislatoris cf. th. 19).

In conclusione, directam crisim opinionum aliarum breviter instituemus, remittentes ampliorem opinionis Kantii analysim ad finem Ethicæ generalis.

N. B. — Non negamus hominem posse, *per falsum ratiocinium, existimare* se perfecte obligari. Attendimus tantum ad existimationem fundatam in motivis sufficientibus[1].

Nota theseos : *probabilior*, quoad primam partem ; *certa* quoad secundam.

DEMONSTRATIO

PARS PRIMA *seu* **NEGATIVA.** — Antecedenter ad cognitionem voluntatis Dei, perfecta obligatio immerito agnoscitur.

PROB. — 1° *Ex principio dualitatis et dependentiæ ab extrinseco* (*Suarez*, de Leg., c. 6, n. 6 in fine et n. 7).

Hoc principium sine apparenti discursu videtur generatim ab hominibus admitti. *Intendimus* autem *illud probare.*

Breviter enuntiatur, saltem secundum suum adspectum negativum : « *Nemo seipsum ligat* ». Asserimus hoc esse intelligendum etiam in ordine *cognoscitivo*, i. e. : non tantum obligatio supponit exsistere causam superiorem ligato, sed iste nequit recte se percipere ligatum antecedenter ad cognitionem voluntatis superioris, ut ex sequentibus apparebit.

Argumentum. — Obligatio perfecta legis naturalis nequit *concrete*[2] percipi nisi ut relatio dependentiæ moralis absolutæ (moralis, i. e. se imponens ut objectum cognitum voluntati physice liberæ).

Atqui, relatio dependentiæ moralis absolutæ circa ordinem

---

(1) Hoc non impedit quominus in tota thesi spectemus *ordinem psychologicum*, dummodo sit *ordo*, non autem sensus deordinatus, contra naturam entis rationalis.

(2) Dans la majeure, il s'agit non de l'*idée abstraite* de l'obligation, mais de la *connaissance concrète* par laquelle l'agent s'estime *de fait* obligé. Nous n'examinons pas si l'on peut avoir le *concept* d'obligation sans avoir explicitement celui de dépendance. Nous affirmons seulement que l'agent moral ne peut se *connaître concrètement obligé sans se reconnaître explicitement dépendant.* Il ne peut, en effet, y avoir aucune priorité logique de cette connaissance : « Il est nécessaire pour moi *objectivement* et catégoriquement d'agir ainsi » sur celle-ci : « Je suis moralement dépendant ». L'une et l'autre ne font qu'exprimer *les exigences, la domination du devoir.*

De même on ne peut percevoir concrètement une montagne sans percevoir un certain éclairement, encore qu'on puisse penser à l'une sans penser à l'autre.

Nous prévenons ainsi une objection : « La connaissance *parfaite* de l'obligation, nous dit-on, suppose Dieu connu, mais non la connaissance *imparfaite* ». — Nous répondons : La première connaissance concrète nous révèle notre devoir comme une absolue dépendance, quel que soit d'ailleurs le terme dont nous nous reconnaissons dépendre. *Au premier aspect, le devoir s'impose avec une autorité souveraine ou n'est pas le véritable devoir.*

moralem nequit percipi antecedenter ad cognitionem Voluntatis Dei[1]. Ergo.

Prob. maj. — Nam talis obligatio se præbet ut necessitatem objectivam, simul distinctam a voluntate, et absolute se imponentem. — Se autem cognoscere *sub* tali necessitate est se cognoscere moraliter et absolute dependentem.

Prob. min. — Solus terminus sufficiens relationis dependentiæ moralis absolutæ est voluntas Dei.

Atqui ista relatio (dependentiæ moralis absolutæ) non recte percipitur antecedenter ad cognitionem termini sufficientis. Ergo.

Prob. ult. maj. — *a*) Dependentia enim moralis supponit superiorem;

b) dependentia moralis absoluta supponit superiorem supremum qui ita ligat voluntate sua ut nemo solvere queat, seu qui ex se sit *absolute reverendus, cui propter se parendum sit* ;

c) iste superior supremus non potest esse nisi *Deus, cujus Excellentia infinita ex suo conceptu exigit absolutam subordinationem* (cf. th. 1) ;

d) quod etiam apparet ex natura ordinis moralis, qui totus pendet a Deo, ultimo ejus principio et fine.

Prob. ult. min. — 1° Nulla relatio recte percipitur antecedenter ad cognitionem termini sufficientis[2].

2° Dependentia moralis non est sicut dependentia physica aliquid prius constitutum, dein cognitum, sed constituitur in actu secundo, seu valorem practicum habet ex ipsa cognitione.

Unde sic :

Dependentia moralis non prius recte agnoscitur quam ex ipsa recta existimatione valorem practicum acquirat.

---

(1) La *majeure* énonce seulement une *condition de fait* de la connaissance concrète du devoir, à savoir le fait de la dépendance aperçue. La *mineure* par contre énonce une *condition de droit :* à quel titre l'intelligence peut-elle correctement reconnaître cette dépendance, s'incliner devant l'autorité souveraine du devoir ?

(2) Nous affirmons l'impossibilité absolue de percevoir l'existence d'une relation, sans percevoir explicitement un rapport avec une autre chose, et donc sans percevoir explicitement l'existence d'un terme plus ou moins déterminé. Avec quel caractère, quelle détermination, le terme doit-il ici nécessairement apparaître, pour que surgisse le jugement d'existence concernant l'obligation : nous le déterminons d'après la nature de la dépendance morale et catégorique. D'après l'argument, celle-ci ne peut être *prudemment* admise qu'en tant que corrélatif et effet de la volonté suprême de Dieu, seul titre exigeant de soi l'absolue subordination du vouloir humain.

Quelque subtilité qu'on puisse nous opposer sur ce point délicat, nos réponses se réduisent à ceci : *la connaissance de la relation, en tant que relation, ou en tant que telle relation, dépend de la connaissance du terme, et est mesurée par celle-ci.*

Atqui valorem practicum ex recta existimatione acquirere nequit nisi appareat ejus terminus sufficiens, vera ratio ligaminis, motivum plenum se submittendi (*de Ver.*, q. 17, a. 3, in fine corp. ; — *de la Barre*, p. 108)[1].

N. B. — 1° Ligamen physicum cum jam constitutum sit independenter a cognitione, agnosci potest antequam ejus causa detegatur. Non autem percipitur necessario distincte, etsi se imponat ; potest non apparere ut relatio, saltem ad terminum perfecte apprehensum.

2° Cognitio termini dependentiæ moralis, postquam fuit explicita, non remanet necessario perfecte conscia.

Une connaissance peut être parfaitement suffisante pour que des conclusions s'en dégagent en toute rigueur, sans pourtant laisser dans l'esprit une empreinte dont il ait constamment pleinement conscience. Telle une suite de déductions mathématiques, tel un long discours, tel l'enseignement autrefois reçu. La conclusion, ici l'obligation, apparaîtra peut-être plus clairement que les prémisses, tout au moins si, demeurant à l'état de connaissance habituelle, elle se réveille dans la conscience, alors que le premier raisonnement est lointain (Cf. HARENT, art. cit., col. 1877 : optime[2].)

PROB. 2 — *Ex principio connexionis cum fine.*

Obligatio perfecta ordinis moralis servandi merito admitti nequit nisi recte agnoscatur :

1. finis absolute ratione sui prosequendus,

2. necessitas se determinandi bene moraliter, ad hunc finem prosequendum.

Atqui, antecedenter ad cognitionem voluntatis Dei, neutrum recte agnoscitur. Ergo.

Ad majorem. — Obligatio perfecta est necessitas bene se determinandi, *objective* (seu ex parte objecti) imposita. — Atqui, cum *in omni volitione*[3] tota ratio *objectiva* (seu ex parte objecti) se determinandi sit finis, talis necessitas merito admitti nequit, nisi ob finem 1° absolute ratione sui prosequendum et 2° qui talem determinationem exigat. Ergo.

Ad minorem. — 1° *De fine ipso.* Finis absolute ratione sui

---

(1) *Tout l'argument peut se résumer ainsi : au premier aspect le devoir apparait en souverain ; or il ne peut à bon droit apparaître tel, que s'il se présente comme émanant de la volonté souveraine.*

(2) Tout autre serait la connaissance implicite de Dieu, que certains adversaires, comme Bañez, disent suffisante. Ce ne serait pas une connaissance qui a été explicite et dont une conséquence a été dégagée. Ce serait au contraire une conséquence non encore déduite, mais qu'on peut déduire du fait de l'obligation (HARENT, ibid.).

(3) Hoc argumentum, sicut præcedens, est omnino intrinsecum simulque psychologicum, cum spectetur natura concreta tum obligationis, tum volitionis, ut cadunt sub conscientia.

prosequendus non est nisi Deus, ut est finis absolute ultimus, seu absolute propter se amandus, glorificandus [1] (th. 1).

Atqui, antecedenter ad cognitionem voluntatis Dei, Ipse non recte agnoscitur ut finis hujusmodi. Ergo.

Ad ult. min. — Deus se constituit finem ultimum in ordine sive physico, sive morali *per suam Voluntatem.* Hoc posito dicimus :

1° Ordinatio ad Deum, etiam *mere physica*, cum implicet veram destinationem, non cognoscitur præscindendo a Voluntate Dei (cf. th. 1 et 2 in statu quæstionis, necnon obj. 1ª infra) [2]. Nec si cognosceretur ita, concludi posset ordinatio moralis, nam ex hoc quod mea natura physice et efficaciter dirigitur et destinatur ad Deum, non immediate sequitur necessitas moralis sequendi hanc directionem : factum non est jus, nec obligatio.

b) Si ordinatio physica ad Deum non cognoscitur abstrahendo a divina Voluntate, a fortiori ordinatio *moralis*, nam (cf. 1um argumentum in fine) ordinatio moralis attingit subjectum per *scientiam ;* igitur non independenter a cognitione veræ rationis ordinationis ipsius, a manifestatione voluntatis qua Deus se constituit finem [3] (hæc consideratio, quin sit necessaria, complet probationem).

---

(1) Sunt qui explicant obligationem sicut Taparelli ex necessitate prosequendi beatitudinem. Sed 1° necessitas tendendi ad beatitudinem indeterminatam est physica. Quamdiu remanemus in hoc ordine vel in ordine tendentiæ indeliberatæ, respectu hujus finis aut mediorum, nulla est moralitas. — 2° In ordine autem tendentiæ deliberatæ, ut adsit obligatio, requiritur motivum imponens necessitatem objectivam et categoricam ; hoc motivum non recte agnoscitur præter finem absolute ultimum, seu Deum cujus Excellentia exigit omnia ad se absolute et ultimo ordinari. Cætera vero, natura, satietas naturæ, possessio Dei ad satiandam naturam, non sunt nisi fines subordinati, nec igitur exigunt reverentiam absolutam, amorem super omnia.

Dices : De facto quisque necessario amat seipsum ideoque suum verum bonum ; unde necessario vult, implicite, ordinem moralem servare ; et qui istum infringit, profundis suæ naturæ tendentiis contradicit.

Resp. — Necessario inclinatur ad ordinem moralem servandum ex amore sui ipsius, *conc. ;* ei imponitur necessitas objectiva et categorica sequendi hanc inclinationem, *subdist. :* ex necessitate amandi Deum, *conc. ;* ex solo facto inclinationis vel ex solis exigentiis naturæ finitæ et subordinatæ, *nego. — De fait,* on *se dira* peut-être catégoriquement obligé, parce qu'*en fait* on est condamné par sa conscience en allant contre sa nature ; mais tant que la conscience ne signale que *les exigences de la nature*, elle reste en droit un tribunal discutable, encore qu'il ne soit pas discuté en fait. L'obligation catégorique est admise sans fondement suffisant. Ce n'est pas d'un pareil fait qu'on pourra partir pour établir l'existence d'un *Législateur*, au moins directement (cf. *Rev. Néo-scol.*, 1907, p. 28 sq. ; vide tamen ea quæ dicemus de atheo et, in fine theseos, de respectu apologetico).

(2) *Ordinari physice :* a) *sensu materiali*, est attingere natura sua et de facto aliquem terminum, ut oculus visum ; causa finalis non spectatur etsi merito concluditur ; — b) *sensu formali*, implicat destinationem, dicit causam finalem, ideo non præscindit a voluntate ordinatoris.

(3) *Ordinari moraliter :* est *debere* prosequi finem, seu jam obligari circa istum ; unde redit consideratio in 1° arg. explicata.

c) Homo essentialiter pendet a Deo. Non igitur prudenter præscindit ab hac dependentia et a Voluntate Supremi Entis, ad judicandum de sua absoluta ordinatione morali in aliquem finem (duæ priores considerationes desumuntur ex natura ordinationis, præsertim moralis, tertia ex natura ordinati).

2° *De necessitate consequente se bene determinandi, seu servandi ordinem moralem* (totum argumentum staret etiamsi, in minore, ista tantum 2ª pars probaretur).

Prosequi finem necessarium seu *Deum amare* non merito censetur exigere observationem ordinis moralis *nisi ad vitandam displicentiam et offensam Summæ Bonitatis.*

Atqui *talis displicentia et offensa* timenda non est nisi Deus cognoscitur *velle* ordinem moralem servari. Ergo.

PARS 2ª *seu* POSITIVA. - Cognita Dei voluntate, qualem ejus Summa Bonitas circa creaturam exigit, eo ipso perfecta obligatio merito agnoscitur.

Proderit duas considerationes *dependentiæ* et « *finalitatis* » ibi jungere[1].

1° *Primum declaramus quomodo* ab immediate evidentibus ad obligationis cognitionem *mens philosophica stricte procedat.* Ab exsistentia qualibet, v. g. subjecti actu cogitantis, ascendit ad Primum Principium, possidens « esse » per Seipsum essentialiter, non ut actuationem, « realisationem » substantiæ possibilis, sed ut realitatem puram, actum purum et perfectum. Est « Ipsum Esse », Summa Bonitas, habens inter alias hanc perfectionem : subordinari non posse et exigere per suam propriam Excellentiam omnia sibi subordinari in absoluta dependentia et « finalitate ».

Concipi nequit Creatorem non velle secundum has sui Esse exigentias. Nec istæ simul ac Ejus voluntas concipi possunt quin eo ipso agnoscatur : *a*) et id quod Voluntas ista statuit, nempe actualis nostra dependentia et finalitas, *b*) et absoluta reverentia quam utrique debemus. Exigere per Seipsum omnia ad Se ordinari ut Supremum Dominum et ultimum Finem, ipse Deus est ; exigere per Seipsum reverentiam hujus dominii et finalitatis, adhuc ipse Deus est secundum aliquam Ejus perfectionem.

Modus eum reverendi est insuper determinatus. Nostram naturam condere cum unitate complexa facultatum, tendentiarum et determinatis relationibus est velle ordinem inde

(1) Non sunt adeo diversæ, ut ostendit hoc effatum S. Thomæ : « Dicitur *suum* alicujus quod ad ipsum *ordinatur* » (Iª IIæ, q. 21, a. 1, ad 3um).
In hoc argumento, quasi tota ethica generalis synthetice continetur.

surgentem, ideoque etiam ordinem moralem qui non est nisi conformitas liberæ nostræ determinationis cum natura nostra adæquata.

Necessitas absoluta hunc ordinem reverendi est perfecta obligatio.

2° *Addamus tamen homines generatim hanc probationem abbreviare. Sed primus conceptus quem de Deo fingunt est idea Auctoris Mundi et Supremi Domini, cui debetur omnimoda reverentia, et igitur reverentia operis sui, quo sua Voluntas manifestatur*[1].

N. B. — Hinc responsum est objectioni quam multi movent : « Cognita Dei voluntate, probanda esset necessitas Ei obediendi ». Notavimus quasi duas exigentias subordinatas. Exigere absolutam reverentiam est perfectio aliqua Dei, sed antequam voluntas Dei respiciatur, est quoad nos aliquid speculativum et remotum ; nondum est actualis obligatio, sed, voluntate ista se exhibente, conditio obligationis nobis apparet jam posita, necessitas hypothetica obediendi facta est actualis[2].

DE ATHEO

En objectio :

Ex thesi nostra sequi videtur atheum non ligari. Porro, — prætermissa propositione de « *peccato philosophico* », quam Ecclesia damnavit[3] — talis consequentia repugnat ut exigentiis Sapientiæ et Providentiæ Dei opposita, et etiam contradicit testimonio multorum atheorum, qui se dicunt obligatos. Imo licet objectionem subtiliter confirmare ex eo quod certitudo de exsistentia Dei forte est physice libera ; ideo aliquis potest eam rejicere et sic se liberare ab omni principio obligationis sive actualis, sive futuræ. Sibi v. g. dicet : exsistentiam Legislatoris ad summum esse probabilem et igitur legem naturalem contemni posse : « *lex enim dubia non obligat* ». Imo, ipsa inquirendi obligatio rejicienda esset ob eamdem rationem. Quæ omnia enormia essent.

Resp. — De « peccato philosophico » infra dicetur. Statim notemus casus extraordinarios et forsan ipsum casum generalem athei a prædicto Ecclesiae judicio non attingi[4].

---

(1) Cf. documenta quæ infra citantur, nota p. 219 ; et thesis 25ª de legis universalitate.

(2) « .. reverentia directe respicit personam excellentem ; et ideo secundum diversam rationem excellentiæ diversas species habet... Propter reverentiam personæ obedientia debetur ejus præcepto » (II ª II ªᵉ, q. 104, a. 2, ad 4ᵘᵐ).

(3) Agitur de morali deordinatione, quæ etsi gravis, non esset peccatum, mortale nec causa damnationis, cum Deum ob ignorantiam aut inadvertentiam non offenderet. Cf. infra, de peccato.

(4) Cf. VIVA qui tamen rejicit peccatum philosophicum : *Trutina theologica thes. damnat.*, in prop. 2ᵘᵐ ab Alex. VIII proscriptam, n. 22 sq. ; — item LACROIX, *Theol. mor.*, t. II, n. 49 sq.

A solo rationis lumine ducti, non admittimus hominem rite evolutum posse per totam vitam Deum omnino ignorare. A divina Sapientia conditus fuisset propter finem quem nunquam suspicaretur ! Providentia sibi debet intervenire ne ita res se habeant. Cæterum argumenta exsistentiæ Dei adeo sunt obvia, tam sponte quisque petit quomodo mundus exsistat et speciatim unde veniat homo cum miro naturæ suæ physicæ, intellectualis et moralis ordine ! Tandem in societate vivimus, traditionibus imbuti, ab aliis efformati et educti. Quonam obstaculorum concursu mens quædam humana impediretur ne *unquam* e tot fontibus aliquid acciperet [1] ?

Ob eadem motiva negamus aliquem pro certo habere, saltem semper et — etiam ab initio — sine culpa, Deum non exsistere [2].

Sed tunc *duo casus spectandi sunt* : *ignorantia ad tempus* et dubium.

1° *De ignorantia.* — Objicis : Qui Deum ignorat se dicit obligatum ; porro nequit tunc ligari per cognitionem Voluntatis divinæ ; ergo potest quis ligari antecedenter ad hanc cognitionem.

Resp. — Difficultas provenit ex æquivocatione. Jam diximus vocem « obligationis » multa significare (cf. Stat. quæst.).

---

(1) Dolentes agnoscimus cum Card. Billot (*Etudes*, déc. 1920), perniciosum momentum educationis veritatibus religiosis et moralibus oppositæ, præsertim quidem in nostris temporibus apud gentes aliunde excultas. Attamen, etiam ibi et ex parte societatis ipsius, dantur innumeræ occasiones attendendi ad ea quæ exsistentiam Dei manifestant ; et inde a divina Providentia attinguntur mentes quæ, etiamsi a perversis magistris falsas doctrinas accipiant, attamen remanent rationales et ad cognoscendum Deum ordinatæ. Et cum hæc ordinatio non sit gratuita, sed stricte debita et naturalis, necnon immediata uniuscujusque hominis ad Summam Bonitatem, non videtur posse ejus efficacitas a conditionibus socialibus adeo pendere. Tandem, cum scopus istius ordinationis sit primum moralis, — sc. hominem conscie et libere tendere ad Deum, Eum super omnia diligere, Ei seipsum plene subjicere, — non sufficit omnes habere aliquam notitiam confusam Entis Supremi ex qua non obligarentur, sed Dei Providentia sibi debet homines rite evolutos et sincere ratione utentes, Eum facile et necessario cognoscere ut Dominum, cujus voluntas, suo opere manifestata, absolute reverenda est. Et hoc plane sufficit, nec, ut jam diximus, ibi distinguere requiritur Auctorem naturæ, Ordinatorem, Legislatorem. Ceterum vide thesim 25am de legis naturalis universalitate.

(2) Inde dicitur in Scriptura : *vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei* (Sap. XIII), græce : « ματαῖοι φύσει : *vani natura sua* ». Inde S. Paulus declarat omnes paganos *inexcusabiles*, cum Deum ignorent (I Rom., 20) : cf. comment. Cornély ; Prat, *La théologie de S. Paul*, t. I, p. 266. Attamen, ut patet, philosophi magis reprehenduntur : cf. Lagrange, *S. Paul, Epître aux Romains*, 1916, p. 24. — Quando Patres dicunt cognitionem Dei esse « quasi ingenitam », agunt de cognitione quæ sufficit ut homines obligentur ; optime hoc ostendit Franzelin, *De Deo uno*, th. VII ; — cf. Rouët de Journel, *Enchiridion Patr.* (vide tab. ad vocem « Deus ») ; — Vide DD. Leroy, *Les primitifs*, p. 464 sq. ; ejusdem, *Semaine d'ethn. relig.*, 1913, p. 312 ; — Huby, s. j., *Recherches de sc. relig.*, 1917, p. 337 sq. ; — Harent, s. j., *Dict. de théol. cath. Vacant-Mangenot*, art. « *Infidèles (salut des)* », spec. col. 1928 ; — Chevallier-Chantepie, s. j., *Relations de Chine*, janv.-av. 1923 ; etc.

De polytheismo, nota historiam non exhibere nisi praxim, manifestationes externas, nihil dicere circa mentem intimam paganorum, qui potuerunt agnoscere Ens supremum sive intra, sive præsertim extra deos mythologiæ (cf. th. 25).

Sunt quasi duæ series *necessitatum* quæ videntur conscientiæ sese imponere : a) *necessitates* primum *de jure*, ortæ ex cognitione entium quæ digna sint reverentia : dignitatis humanæ, excellentiæ societatis[1] ; b) *quasi necessitates de facto*, prioribus respondentes : sic non possum quin meipsum aut societatem magni faciam ; natura me inclinat ad meum verum bonum et bonum societatis, i. e. ad observandum aliquem ordinem moralem, et ex resistentia gignitur conflictus, necnon remorsus. — In neutra serie apparet categorica necessitas in qua perfecta ponitur obligatio, usquedum cognitio perveniat ad finem absolute ratione sui reverendum, scil. Deum. Antea *jus* est imperfectum ; inclinatio autem *de facto* non necessitat, nec ullum motivum absolutum eam sequendi se exhibet[2].

---

(1) I. Exiger *de soi* l'estime et le respect, avoir le droit d'être reconnu comme une certaine valeur, traité avec certains égards semble inclus dans le concept de l'excellence d'un être conscient et libre (le droit s'impose d'abord à autrui, excluant l'*offense possible*, voir ci-après les références à S. Thomas et au cours).

II. De plus ce droit peut être présumé avec une certaine probabilité, en vertu d'une induction fondée sur l'*ordre de fait* expérimenté dans le monde et dans l'homme. Cet arrangement des choses et des personnes, si admirable dans l'ensemble, ne paraît pas s'arrêter tellement court, sans ce complément de droits et de devoirs au moins imparfaits sans lesquels la vie sociale n'est pas garantie. Un tel postulat, une telle probabilité d'inférence ne dépasse pas, semble-t-il, la portée d'un esprit positiviste.

III. Mais il y a entre l'obligation parfaite et l'obligation imparfaite même fondée sur la connaissance d'une valeur objective suivant le processus analytique que nous indiquons en premier (I), des différences considérables et la distance de l'infini au fini :

a) *L'obligation parfaite* est : 1° *absolue simpliciter*, étant fondée sur une *Exigence absolue simpliciter* (qui ne pourra être que Dieu dont *l'offense sera infinie*) ; — 2° *inconditionnée, catégorique* au sens de Kant : « plutôt tous les maux que la violer, en quelque hypothèse que ce soit » ; ceci n'a de sens que si l'on précise l'objet de cet inconditionné : l'ordre moral, le « decet naturam adæquatam », dont on ne peut s'écarter ; — 3° *totale*, s'étendant à tout l'ordre moral.

b) *L'obligation (de droit) imparfaite* est : 1° *absolue secundum quid*, étant fondée sur une *exigence absolue secundum quid*, sur une *fin en soi* qui n'est ni pur moyen, ni fin dernière, mais *une dignité nécessairement estimable par la raison pour ses propres titres et dès lors s'imposant comme un droit à notre activité, réclamant une subordination de celle-ci (dans un certain domaine), un respect de la part de la volonté* ; — 2° *conditionnée*, pouvant se trouver en conflit avec un droit supérieur (tant que la « fin en soi » n'est pas l'Absolu simpliciter) ; — 3° *partielle*, s'étendant à l'ordre qui concerne cette fin en soi dans son rapport avec le subordonné : telle serait, par exemple, l'obligation d'un bolchéviste athée à l'égard de ses parents : il ne pourrait les tuer à sa guise sans aller contre un certain devoir ; mais la faute ne saurait avoir une grièveté infinie.

Cf. S. Aug., *Serm.* 239, n. 2, P. L., t. 39, col. 1530 ; et alia cit. a P. Portalié, *Dict. de théol. cathol. Vacant*, art. « *Augustin (S.)* », col. 2436 (vide ibid., col. 2434, circa obligationem perfectam) ; — S. Thomas, II^{a} II^{æ}, q. 26, a. 2, ad 1^{um} ; q. 122, a. 1 ; I^{a} II^{æ}, q. 100, a. 5, ad 1^{um} ; — Sertillanges, *Rev. de philosophie*, 1903, 2^{d} art., de obligatione secundum Græcos, p. 161 sq. ; — Piat, *Insuffisance des philosophies de l'intuition*, p. 165 ; — infra, th. 25, Schol. II ; in thesi præsenti resp. ad instantiam obj. 3^{æ}.

(2) Possunt cæterum alia motiva ibi in concreto se immiscere, amoralia aut immoralia, v. g. influxus opinionis aliorum, vanus hominum timor, inanis gloria. Kant jam istud notabat, cum de « imperativo categorico » dissereret (*Fond. de la méth. des mœurs*, trad. Delbos, p. 134).

Si atheus in completa Dei ignorantia remaneret, non videmus quomodo posset peccatum mortale committere et æternam mereri damnationem, nam infinita gravitas culpæ supponit infinitam Majestatem esse cognitam. Seclusa pœna, plusminusve diuturna, quæ actibus minus graviter malis debetur[1], esset assimilandus pueris sine baptismate morientibus (cf. *Lacroix*, Théol. mor., th. II, n. 49). Sed iterum affirmamus hunc statum non posse saltem per totam vitam durare. Imo multi negant hominem se determinare, cum reflexione et libertate plena, in gravi materia, quin petat sibi jamque profundius agnoscat momentum sui actus necnon suæ totius vitæ, i. e. quin *tunc saltem* intelligat se ab alio fuisse conditum et ab Eo pendere qui, summa reverentia dignus, velit opus suum sibi subjici, naturalem ordinem servari[2] (cf. Le Tellier, opus sine nomine : « *L'erreur du péché philosophique combattue par les Jésuites* », vide speciatim textum Amici, p. 28, 53; et præsertim S. Thomas, I^a II^æ, q. 89, a. 6).

2° *De atheo dubitante.* — Attamen supponamus atheum citius tardiusve non pervenire nisi ad cognitionem *dubiam* exsistentiæ Dei. Essetne adhuc immunis ab omni perfecta obligatione ?

Nobis objicitur hoc esse ex nostra thesi concludendum. At respondemus : in thesi negatur perfectam obligationem merito agnosci, *Deo penitus ignoto*; jam non est idem casus.

« Esto, dicunt, sed lex dubia non obligat : totus probabilismus in hoc principio nititur. »

Primum, *paritatem* amoveamus. Qui post inquisitionem vel considerationem *sufficientem* dubitat de aliquo præcepto potest

---

(1) Habet, ut diximus, *obligationem imperfectam* eos vitandi, ob *jus imperfectum* naturæ humanæ, societatis, ob *excellentiam* cui exigitur, pro gradu istius, activitatem agentis rationalis subordinare, reverentiam præbere.

Hinc etiam, si tales actus committat, meretur *pœnam finitam*. Ipse, ut videtur, necessario agnoscit societatem politicam *bene agere*, cum seipsam et sua membra protegat, infligendo reis pœnas proportionatas. Hinc assumit reatum *pœnæ temporalis, ab eo qui curam societatis habet infligendæ. Virtualiter* assumit responsabilitatem hanc coram Deo, Supremo Domino et vindice Societatis, justo Judice criminis contra creaturam realiter commissi. Aut saltem, cum homo male agens mereatur« reactionem ordinis » contra quem se insurrexerit (cf. th. de sanctione et textus S. Thomæ ibi citatos), non repugnat, imo decet Deum permittere et approbare istam reactionem, i. e. creaturæ offensæ, etiam aut præsertim in altera vita.

Sed quia non admittimus atheismum per totam vitam durare apud eos qui habent rationem evolutam, hæc, sine addito, sunt tantum hypothetice dicta.

Præter Lacroix *(loc. cit.)*, cf. Suarez, *De pecc.*, disp. II, sect. 2, n. 7 (ed. Vivès, t. IV, p. 523) ; disp. III, sect. 8, n. 10 (p. 541) ; disp. VII, sect. 4, n. 8 (p. 592) ; — *De pœnit.*, disp. XI, sect. 2, n. 14 sq. (t. XXII, p. 206-208) ; — Lugo, *De Incarn.*, disp. V, sect. 5 et 6, spec. n. 77 et 112 ; cf. 70, ipse alios (citat n. 74 sq.), spec. B. Bellarmi-nus, lib. IV *de Romano Pontifice*, c. 20, § Ad Confirmationem.

(2) Nec ita redimus ad processum adversariorum. Homo secundum nostram explicationem non sibi probaret exsistentiam Dei ex ipsa obligatione, sed, *occasione actus ponendi*, a propria exsistentia atque mundi visibilis ascenderet ad exsistentiam Primæ causæ.

istud habere pro non exsistente ; nulla esset in hoc irreverentia unde legislator, si exsistit et jubet, merito offenderetur.

Sed non idem est, si ante seriam considerationem negligitur præceptum. Porro, atheus dubitans non videtur serio attendisse ad probationes exsistentiæ Dei ; secus ad veritatem plenam pervenisset. Factus ut Deum cognoscat, potestne, recte utendo suis facultatibus, suum Finem non agnoscere ? Et, si ab erroribus inveteratis ejus ratio non fuit penitus adulterata, nonne factum ipsum dubitandi circa problema inter omnia gravissimum — cum quæratur quomodo et ad quemnam scopum sit tota vita dirigenda — eum monet quæstionem hanc adhuc esse serio considerandam ?

Igitur principia probabilismi nequaquam eum liberant. Et inde, quamdiu dubium non solutum est, spernere ordinem moralem esset temeritas [1]. Confidere nequit nullum Supremum Dominum ex hoc offendi ; deordinationem igitur committere est consentire offensæ, istius malitiam subjective ponere, totam ejus responsabilitem assumere (i. e. malitiam infinitam, infinite damnandam subjective ponere) [2].

---

(1) Non nitimur in obligatione athei ad inquirendum. Eam non negamus, sed est consequentia. Ibi tantum dicimus : quamdiu inquisitio sufficiens non est peracta, atheus non liberatur. Confundenda non est *conditio non-obligationis* cum *objecto obligationis*. Sed si, ut ostendemus, jam teneatur atheus servare ordinem moralem, etiam inquirere tenetur, cum ad illum ordinem hoc quoque pertineat.

(2) Le cas serait assez étrange d'un homme trop peu éclairé pour reconnaître sa Fin, assez averti pour être au courant des finesses de la casuistique, assez avisé pour les entendre à sa façon et se tranquilliser vraiment ainsi. Des moralistes de l'envergure de Lugo (*de Incarn.*, d. 5, s. 6, n. 106 sq.) n'ont pas été arrêtés par ces difficultés. Le principe « lex dubia non obligat » est seulement réflexe, venant après des jugements directs, v. g. : ceci est probablement l'offense d'une Majesté Infinie. Se libérer de ces jugements directs n'est pas si facile ; il faut le temps d'une considération qui permette de décider si la probabilité est sérieuse ou non, ou se doit changer en certitude. En attendant, accepter dans sa conduite ce qui est probablement mal, c'est consentir au mal, c'est mal vouloir subjectivement. Ainsi l'athée qui doute encore de l'existence de Dieu a reconnu d'abord la malice contre nature de certains actes, v. g. de l'homicide, puis la malice probablement infinie de ces mêmes actes en tant que probablement réprouvés par un Maître souverain, infini. De ce jugement, il n'arrive pas à se libérer. Donc subjectivement il commet la malice infinie qu'il accepte en posant son acte, subjectivement il viole l'obligation, puisque, la reconnaissant probable, il accepte de la violer.

Remarquons qu'il s'agit d'une obligation probable sans doute, mais concrète pratique : « probablement Dieu veut que j'évite l'homicide, probablement. Il serait offensé, si je commettais cet acte ». Donc ne dites pas : « l'athée craint seulement qu'il y ait offense matérielle ». Ce serait passer au stade des jugements réflexes. Il juge directement dans le concret et n'a pas de principe réflexe pour exclure du concret ce que sa raison conçoit ; mais juger dans le concret, c'est comprendre la probabilité de l'offense réelle, formelle.

En d'autres termes, il ne peut pas dire : « dans l'abstrait il y a probabilité d'offense, dans le concret il n'y a certainement dasd'offense » ; ou encore : « il y a péril d offense matérielle, il n'y a pas de péril d'offense formelle », parce qu'exclure celui-ci suppose le principe réflexe « Lex dubia non obligat » dont il ne peut se servir, faute, nous l'avons dit, de pouvoir se rendre le témoignage qu'il a fait l'effort loyal et convenable pour arriver à la lumière. Et si l'on objectait qu'il peut en cette matière se tromper, se former faussement, mais de bonne foi, la conscience de façon à se tranquilliser, je répondrais que les arguments qui excluent l'ignorance invincible de Dieu, excluent aussi cette invincible sérénité, sinon peut-être pour un temps.

Sic amovendo objectionem, jam positive probavimus atheum consequentias omnes practicas perfectæ obligationis incurrere.

Potestne autem *directe* ista probari ex generalibus thesis principiis ? Nobis videtur et modo dicta hoc satis innuunt.

Quid requiritur ad merito agnoscendam perfectam obligationem ? Sufficit animadvertere : 1 aliquem Finem ex se exigere reverentiam illimitatam, summum amorem, — et 2 observationem ordinis moralis esse necessariam ut hæc reverentia et hic amor exhibeantur.

Porro, etiam si Deum existere certo non concludat, atheus Eum *concipit* ut Excellentiam absolutam et summam, quæ ex se exigit absolutam reverentiam, summumque amorem. Se exponere periculo Eum offendendi ei apparet ut acceptatio mali quo majus concipi nequit, mali absolute vitandi ob exigentias ontologicas summæ Bonitatis.

Quamdiu Deus tantum *concipitur*, etiam periculum tantum *concipitur*, et nulla est actualis obligatio. Sed si exsistentia Dei videtur probabilis, Ejus voluntas et præceptum etiam probabilia videntur. Periculum offensæ imminet, quippe quod violatione ordinis moralis, ordinis ex natura surgentis, constituatur. Violationem accipere est accipere malum quod modo concipiebatur ut absolute vitandum, est igitur transgredi necessitatem categoricam actualem, perfectam obligationem (cf. *Lugo*, de Incarn., d. 5, s. 6, n. 106 sq. : ed. Vivès, t. II, p. 351).

Ratiocinium sic resumitur : si periculum tanti mali exsistit, est categorice vitandum. Porro exsistit. Ergo.

CONCLUSIO

Crisis comparata opinionum.

1° Quidam non reddunt rationem cur obligatio cognoscatur. Ita *Kantius :* quærit explicationem et concludit nullam esse in ordine *scientiæ*. Ita, modo prorsus diverso, *DD. d'Hulst, Schiffini :* cognitio Dei a cognitione obligationis saltem virtualiter derivatur ; ista se exhibet ut factum primum et ut *judicium syntheticum*, cum analysis conceptuum boni et obligationis eorum identitatem non ostendat ; *synthesis* cæterum nec probata nec legitima, quippe quæ dependentiam enuntiet quin appareat terminus a quo voluntas humana dependeret, et statim declaret absolutam necessitatem alicujus finis qui tamen non est finis ultimus.

2° Alii sistunt in *necessitate de facto.* « Velle debeo » reducitur ad « volo necessario », non explicite sed implicite in profunda inclinatione meæ naturæ. Necessario meipsum amo ; porro, me amare — vere, efficaciter, ut mihi convenit — est

amare ordinem moralem. Sed, dico, non satis ostenditur hæc identitas inter quemcumque amorem sui et amorem verum, efficacem. Nihil revera manet nisi *inclinatio de facto* ad ordinem servandum [1]. Examinandum esset quanti sit humana natura, ejus inclinatio. Ens finitum et subordinatum, non sum finis absolutus cui debetur reverentia sine limite, amor super omnia.

3° Et jam apparet quid sit existimandum de iis qui, problema recte ponentes, obligationem spectant ut imprimis *necessitatem de jure*, sed putant invenire sufficiens motivum judicii eam acceptantis vel in natura rationali agentis (*Vasquez*), vel in ordine objectivo (*Gerdil*), vel in bono morali (*Garrigou-Lagrange* [2], *du Roussaux* [3]).

Sic adversarii aut non considerant veram quæstionem, scilicet, *explicationem, — in ordine cognitionis, — judicii quo non tantum de facto, sed de jure obligatio affirmatur,* aut nullam dant solutionem, aut inadæquatam.

4° *Dicimus : si omne bonum est amabile pro suo gradu et sua indole, Bonum Summum et Absolutum est summe et absolute amabile* [4].

Imo, Ejus aliqua perfectio in eo est quod exigit et Deum sibi creaturam subordinare et nos hanc subordinationem revereri. Qua in exigentia ultimo fundatur necessitas de jure et categorica. Ut hæc evadat actualis et de facto, sufficit consideratio rationis qua agnoscitur : 1° Deum se constituere nostrum finem et velle glorificari per observationem ordinis moralis ; 2° unde nos actu ab Eo dependere, Ei reverentiam et obedientiam debere, absolute, adstringi ad subordinationem quoad concretum exercitium nostræ libertatis.

---

(1) Tout se réduit à l'intérêt profond que naturellement nous inspire ce qui nous fait vraiment hommes. Il semble clair que l'obligation ainsi conçue n'est plus le devoir. Ce n'est pas la nécessité catégorique de bien agir, dont le motif s'impose par ses propres titres à notre absolu respect, dont la violation constitue formellement une faute, mais une sollicitation impérieuse de notre nature, n'ayant pas par elle-même d'autorité au sens strict, et à laquelle il serait loisible de résister sans commettre une faute de ce seul chef. En conséquence on perd de vue ici ce qu'en morale il importe le plus d'expliquer et l'on résout un problème voisin. — Sans doute l'inclination naturelle a un rôle à jouer par rapport au devoir, et sans elle celui-ci serait inintelligible. De même que Dieu ne peut élever une pierre à l'ordre de la grâce et de la vision béatifique. Il ne saurait imposer l'obligation à une nature incapable d'y répondre. Mais cette capacité, cette inclination à se diriger vers sa fin, ne sont pas pour autant un élément formel et constitutif du devoir ; elles ne fournissent qu'une condition *sine qua non*, et sont à l'obligation un peu ce qu'est, à l'âme humaine créée par Dieu, la matière prochainement disposée pour la recevoir. Cf. plus loin, p. 132, note 2.

(2) *Dict. apol. d'Alès*, art. « Dieu », col. 1061.

(3) *Ethica*, p. 262.

(4) Cf. th. 24 : de summo præcepto. *Sic transimus ab obligatione imperfecta ad perfectam.*

5° *Eamdem solutionem ad casum atheii dubitantis extendimus. Nec forsan hoc erat adeo necessarium. Ex rationibus supra expositis videntur non tantum ignorantia completa et certitudo in negatione, sed ipsum dubium circa Dei existentiam esse exceptiones ad tempus.*

Etiamsi duo ultimi status non sequerentur ex peccato contra lumen veritatis, omnino censemus exigi, etiam in ordine mere naturali, ut, Deo providente, atheus aliquando, saltem ante mortem, satis sciat ad quem finem supremum voluntas humana sit dirigenda.

N. B. — *Circa incommodum nostræ sententiæ respectu apologetico.*

Qu'on ne nous reproche pas de faire perdre à l'apologétique un des arguments les plus populaires (?) de l'existence de Dieu. Nous prétendons en garder, sinon le formel, au moins tout le bénéfice pratique. Peu importe que le jugement concernant Dieu soit relativement à celui de l'obligation une prémisse nécessaire ou une conclusion inévitable. De toute façon, la connexion est pour le moins implicite, et l'on peut présenter le raisonnement sans prendre parti pour l'une ou pour l'autre des opinions.

On dira par exemple : Vous vous dites obligé ? Mais se reconnaître obligé sans admettre Dieu, c'est pécher contre la logique. L'obligation est un lien moral, un assujettissement de la volonté. Mais on ne se lie pas soi-même, on n'est sujet que d'un autre, et si l'assujettissement est absolu, cet autre ne peut être qu'un maître souverain, c'est-à-dire Dieu. Quand nous violons l'obligation, nous éprouvons des remords, la crainte des châtiments. C'est reconnaître implicitement que nous résistons à une voix qui n'est pas la nôtre, que nous abusons d'une lumière venue de plus haut, que nous offensons un maître ayant puissance pour nous châtier. Donc, si nous nous disons obligés, nous reconnaissons implicitement (comme prémisse ou comme conclusion) qu'il existe un maître souverain qui est Dieu.

J'admets que, dans notre position, ceci n'est pas un argument proprement dit pour prouver Dieu. On ne prouve pas ce qui est admis comme prémisse. Mais encore une fois il s'agit du point de vue apologétique uniquement.

J'ajoute qu'avec ces réserves, on retient l'avantage de pouvoir répondre à ceux qui, ne partageant pas nos certitudes religieuses, s'aviseraient de prendre l'offensive contre un argument — ou un procédé — semble-t-il, trop vanté.

Il n'y aurait qu'à mettre les choses au point, comme nous espérons l'avoir fait[1].

---

(1) D'ailleurs nous ne parlons ici que de l'obligation parfaite, catégorique. Que l'on puisse remonter à la Cause première, en partant de l'obligation imparfaite de l'athée, c'est-à-dire, au fond, de la nature humaine, c'est par trop évident : d'un brin de paille on peut de même tirer une preuve que Dieu existe. Mais ce n'est plus l'argument spécifiquement caractérisé qu'on nous propose ; nous sommes tout simplement ramenés à l'une des cinq voies de S. Thomas.

Cf. les travaux cités dans la bibliographie du début (*Congrès de 1891 ; Ami du*

Objectiones. *Præcipuæ objectiones jam in decursu theseos fuerunt solutæ (vide in nota arg. 2 partis I^ae, in fine partis II^ae et casum athei). Hæc addamus :*

Obj. 1^a. Ex naturali directione mearum tendentiarum, etiam non spectata divina voluntate, concludere possum me aliquando esse obtenturum perfectam beatitudinem, dummodo egerim secundum istas tendentias. Etenim tam mira dispositio naturæ careret ratione sufficienti, nisi daretur in futuro terminus realis ob quem facultates et tendentiæ naturales exsistunt.

Atqui data realitate termini : nempe beatitudinis aliquando obtinendæ, percipio moralem necessitatem hujus termini prosequendi et quidem absolute ratione istius. Secus ipsam meam naturam negarem.

Ergo etiam non spectata divina voluntate, percipio necessitatem moralem agendi secundum tendentias naturæ, seu ordinem servandi propter istius nexum cum beatitudine obtinenda.

Resp. *Nego maj. ;* et *rationem allatam* (tam mira dispositio...) *sic solvo :* futura adeptio beatitudinis ne concipi quidam potest ut ratio sufficiens directionis actualis naturalium tendentiarum, nisi spectata voluntate Dei. Futurum enim (nihil est nunc) physice et per se ipsum non influit in actualem naturam, sed indolem causæ aut rationes sufficientis habet tantum in ordine intentionali, scil. mediantibus scientia et voluntate Ordinatoris naturæ. Patet autem solum divinum Ordinatorem posse efficaciter ordinare opus suum ad possessionem summi boni, cum nemo possit eum, præsertim perfecte, communicare 1.

Ad min. Non spectata divina voluntate, *minor* etiam *negatur* (nota voces : « absolute ratione istius ») : 1° nonne multi et præsertim sancti potuerunt laudabiliter prescindere a propria beatitudine ut tali (absolute ratione istius) cum, tunc saltem, solam divinam gloriam propter seipsam cupiebant 2. 2° Vide præsertim 2^am probationem I^ae part. cum nota. 3° Negatio naturæ in hoc casu est metaphora. Et sic respondemus sequenti objectioni :

Obj. 2^a. Non servare ordinem moralem, non quærere propriam perfectionem est seipsum negare.

Resp. *a)* Cf. resp. ad min. obj. 1^ae, 3°.

b) Distinguamus quæstionem boni et quæstionem obligationis. Statim apparet disconvenientia seu malitia moralis in eo quod aliquis positive contradicat irreductibili ordinationi naturæ. Negamus autem obligationem perfectam percipi ex hac sola consideratione, ut tota thesi ostenditur : vide conclusionem (Cf. I^a II^ae, q. 100, a. 5, ad 1^um ; II^a II^ae, q. 122, a. 1).

Clergé 1904 et 1923 ; *Rev. Néo scol.* ; l'article du P. Richard, l. c. ; celui du P. Harent, col. 1892 ; surtout ceux du Card. Billot). Voir aussi Dehove, *Les principes généraux de la morale Kantienne*, p. 126 ; — De Bie, *Phil. mor.*, I, p. 191, en note ; — Sertillanges lui-même que parfois l'on nous oppose : cf. *Rev. de phil.*, 1903, fin du 3^e art., 2 art. *passim*, surtout p. 316-319 ; *Rev. thomiste*, 1903, p. 259 (lire cette page attentivement) ; *Sources de la croyance en Dieu*, p. 289-290 ; *La Phil. mor. de S. Thomas*, p. 133.

(1) « Que tout soit en ordre absolu dans le monde, ce n'est pas une nécessité métaphysique... Que toute tendance, même naturelle, ait son objet, ici-bas ou dans une autre vie, je le saurai si je sais que Dieu existe ; pas avant » (*Dict. de théol.*, art. « *Fin dernière* », par Richard, c. 2495).

(2) Possibilitas reverendi et amandi Deum explicari potest psychologice, quin supponatur agens attendere ad beatitudinem perfectam sic obtinendam, dummodo : 1° cognoscat *convenientiam* talis reverentiæ, *perfectionem* quæ enti inferiori competit formaliter ex eo quod se ordinat ad Ens superius propter quod conditum est (II^a II^ae, q. 81, a. 7) ; — 2° hæc ordinatio non ei appareat sese opponere tendentiæ naturali ad beatitudinem. At hæc secunda conditio est mere negativa nec supponit positivam considerationem.

Obj. 3° (*Dict. apol.* : Garrigou-Lagrange : art. « Dieu », col. 1061 ; — du Roussaux, *Eth.*, p. 262 : « Le bien moral est imposé à la raison comme fin universelle, comme aimable en lui-même et plus que tout » ; — et p. 228 : « s'il faut obéir à Dieu, c'est parce que lui désobéir serait le désordre »). Sic arguunt :

Bonum morale (aut ordo moralis) ex se exhibet indolem finis absolute prosequendi. Ergo independenter a consideratione divinæ voluntatis, percipio obligationem boni moralis agendi.

Resp. *Nego antec.* : Si *ex sola ratione sua* bonum morale (aut ordo moralis) exhiberet indolem finis *absolute* prosequendi, homo haberet plures fines *absolute* ultimos, quod est contra rationem et contra S. Thomam (I^a II^ae, q. 1, a. 5).

N. B. — *Explicatio* : Bonum morale est quidem absolute prosequendum, sed 1° eo sensu quod solum bonum morale liceat agere, non quod omne bonum morale sit necessario faciendum ; 2° non ex sola sua ratione, sed propter Deum. Seclusa Dei consideratione, esset quidem convenientia, non autem perfecta exigentia (cf. Sertillanges, *Rev. de phil.*, 1903, p. 161 sq., 330 sq. ; *Sources de la croyance en Dieu*, p. 289, 290).

Nota responsum valere contra Vasquezium, Gerdil aliosque qui *practice* quasi admittunt quemdam finem absolute ultimum præter Deum.

Attende etiam ad duplicem sensum istius sententiæ quam multi proponunt : « ordo exigit nos Deo obedire » (sic fere du Roussaux supra cit.). Si intelligas : « ordo non servatur nisi Deo obedimus », hoc verum est, sed quid inde ? Si autem dicere velis : « ordo ex se *absolute reverendus* est atque servandus, et ex hoc *quasi supremo titulo* voluntas etiam Dei reverenda est et servanda », negamus ; vide ad instantiam sequentem.

Instantia. Via quidem media aut innuitur ab iisdem auctoribus, aut magis explicite proponitur v. g. a R. P. Claeys-Bouuaert (*Nouvelle Revue théologique*, avril 1921), qui ceterum omnes, sive recentes sive antiquiores, plus-minusve sequuntur vestigia Cajetani (in I^am II^ae, q. 89, a. 6 et II^am II^ae, q. 10, a. 4). Sic fere Schiffini (cf. statum quæst.).

Thesis R. P. Claeys-Bouuaert « tend à montrer *et* que l'homme, ayant la notion du bien moral, a la notion du bien absolu, *et* que cette notion s'identifie, au moins confusément, avec celle de Dieu, législateur, transcendant, personnel » (l. c. p. 179 in nota).

Resp. *a)* Discerni potest bonum morale ex sola convenientia cum natura rationali, quin obligatio perfecta agnoscatur (cf. supra modo dicta et cap. III, art. I-III ; et in hac thesi, ea quæ dicta sunt de atheo, etc.). Hoc prænotato :

b) Nec idea boni « *absoluti* », qualis includitur in notione boni moralis æquivalet ideæ alicujus *personæ*, i. e. entis intellectu et voluntate præditi, et *sic tantum* digni *ex se* reverentia, necnon capacis complacentiæ et displicentiæ, ita ut possibile evadat aut ipsum offendere aut ei proprie obsequia exhibere.

Reverentia supponit aliquid cognitum ut superius voluntati humanæ ; etenim implicat aliquam subordinationem. Porro præter dignitatem personæ, nihil exhibet ex se talem superioritatem : « ... reverentia directe respicit personam excellentem ; et ideo secundum diversam rationem excellentiæ diversas species habet... » (II^a II^ae, q. 104, a. 2, ad 4^um).

c) Virtus ipsa, « ἀνθρωπεύεσθαι », cum sit abstractio, non apparet ut finis in se, quem revereri deceat, nisi quatenus facit unum quid cum suo subjecto aut objecto. Subjectum est ipse homo, cujus est perfectio. Objectum, solus terminus actione humana dignus, est vel Deus, vel saltem ens intellectuale, v. g. proximus, societas.

d) A fortiori obligatio, præsertim perfecta, non sese imponit, nisi erga personam cognitam ut talem, et quam offendere cavendum sit, quippe quæ habeat jura simulque voluntatem distinctam a voluntate agentis. Hinc ea quæ habet S. Thomas in I^a II^ae, q. 100, a. 5, ad 1^um, — II^a II^ae, q. 122, a. 1, — et quæ evolvemus in thesi 25^a, ultimo scholio.

Obj. 4^a. Principium « Nemo seipsum ligat » falsum est. Etenim qui votum facit aut contractum init, se ligat.

Resp. *Nego.* Vovens aut contrahens ponit conditionem obligationis, non causam. Etiam in hoc casu, Deus ligat et cognoscitur ligans.

Obj. 5^a. Juri et dominio respondet obligatio, subjectio absoluta. Atqui antequam aliquid velit, Deus habet jus et dominium. Ergo.

Resp. *Conc. maj. — Nego min.* Sicut obligatio et subjectio, jus et dominium sunt denominationes relativæ, quæ, ut Deo conveniant, supponun creaturas fuisse propter Ipsum constitutas. Per voluntatem creandi propter se, Deus se præstituit ut supremum Finem et Dominum cui jus actu competit. Si a voluntate ista præscinditur, perfectiones Dei includunt tantum exigentiam ontologicam et remotam juris et dominii (cf. th. 1, arg. 1^um et 2^am partem theseos præsentis ; — *Cathrein,* th. 25, obj. 2).

Obj. 6^a. Antecedenter ad prohibitionem Dei, necesse est abstinere a blasphemia. *Probo :* blasphemia est malum quod superat omnia mala, utpote malum divinum.

Resp. Necesse est abstinere a blasphemia, si *a)* displicet Deo, seu *b)* si est Ejus offensa, scil. contra reverentiam ad quam jus actuale habet et quam absolute vult, seu *c)* si est contra Finem actualem. His positis, blasphemia est malum divinum.

Sed omnia ista supponunt voluntatem Dei. Cum eam abesse sit hypothesis absurda, non mirum est consequentiam esse quoque absurdam. Absque tal voluntate, Deus non esset Deus, imo ne dignus quidem reverentia. Cf. supra, ad instantiam obj. 3^ae.

Contra nostram methodum.

Obj. 7^a. In 1° argumento, negatur relationem dependentiæ posse cognosci ante istius terminum. Atqui hoc falsum est : probatur exsistentia Dei, Causæ primæ, ex contingentia entium mundanorum ; quæ igitur contingentia seu dependentia præsupponitur cognita (cf. Descoqs, *Rev. de philos.*, janv.-fév. 1920, p. 86 sq.).

Resp. Etsi probari possit exsistentia *Actus puri* quin præsupponatur contingentia subjecti cogitantis aut alterius entis, admittimus *Causam primam ut talem* concludi ex tali contingentia. Sed non confundas conceptus *contingentiæ* et *dependentiæ*. Prior conceptus non est *relativus*, dicit tantum : non necessitatem exsistendi, indifferentiam ad esse vel non esse. E contra conceptus dependentiæ est *explicite relativus.* En ordo notionum : ego, v. g., sum contingens, non habens *in me* rationem sufficientem meæ determinationis ad esse. Igitur exsistit aliquod Principium, a me et omnibus contingentibus distinctum, quod habet in se rationem sufficientem sui et meæ exsistentiæ. Jam apparet mea absoluta dependentia, quæ ostensa est se extendere ad ordinem moralem (cf. 2^am partem theseos).

Obj. 8^a. Independenter a cognitione explicita Dei, me cognosco « ordinatum ad bonum » (ibid.).

Resp. Distinguere oportet *ordinem materialem seu de facto* et *ordinem formalem seu intentionalem.*

De facto tendo ad bonum, et saltem ex profunda inclinatione naturæ ad « bonum secundum rationem ». Ut autem diximus : estne talis inclinatio absolute reverenda ? Nondum scio.

Facile quidem intelligam hunc ordinem naturæ meæ esse formalem supponere intentionem ordinatricem, sed jam est spectare Ordinatorem ; et tunc ero obligatus in quantum Iste mihi apparebit dignus reverentia, i. e. Excellentiam possidens.

N. B. — 1° Unde partim concedimus ea quæ R. P. Garrigou-Lagrange scripsit, *Rev. thomiste*, oct.-déc. 1921, p. 410. Admittere videtur exsistentiam Dei probari, non proprie ex obligatione, sed ex ordinatione nostræ voluntatis ad bonum.

2° Ad facta autem nobis opposita quod attinet, satis forsan erit recolere ea quæ diximus modo de atheis, necnon quæ notavimus in fine introductionis nostræ ethicæ circa intuitiones, in nota.

ARTICULUS V

DE SANCTIONE LEGIS NATURALIS

THESIS XXII. — Legi naturali competit sanctio — in hac vita præsenti insufficiens. — in futura vero absolute sufficiens, — in perfectæ beatitudinis adeptione aut privatione sita.

I^a II^ae, q. 87, a. 1-5 ; — C. G., l. III, c. 140-145 ; — Lehu, p. 259 sq. ; — Sertillanges, *Rev. des Sc. phil. et théol.*, avril 1912, p. 213 sq. ; — *La phil. mor. de S. Thomas*, p. 555 sq. ; — Weischinger, *Rev. des Deux Mondes*, 1^er janvier 1916 : « Sermon inédit de Mirabeau » ; — Vide etiam thesim seq.

STATUS QUAESTIONIS

Hæc quæstio statuit nexum inter adeptionem finis naturalis secundarii hominis et observationem legis, sicut in quæstione præcedenti de obligatione apparebat nexus ejusdem observationis cum consecutione finis *primarii*.

Sanctio sumitur *active* aut *passive*. Active est decretum præmii et pœna ; *passive consistit in ipsis præmiis et pœnis* : de hoc altero sensu agitur in thesi.

Præmia et pœna sunt essentialiter bona et mala physica ob bonum aut malum morale a legislatore decreta.

Spectari possunt in statu *promissionis et comminationis* aut in statu *exsecutionis*.

In 1° statu inducunt observantiam legis, movendo subditos non jam directe ratione finis absolute ratione sui prosequendi, sed ratione boni aut mali eorum proprii. Inde si obligatio est necessitas categorica, præscindens ab omni respectu, necessi-

tas enascens ex sanctione est relativa tantum, cum spectet formaliter bonum agentis creati. Insuper nota hanc etiam secundam necessitatem non tollere liberum arbitrium.

In 2° statu sanctiones perficiunt aut restituunt ordinem.

Sanctio sufficiens ea est quæ hunc duplicem finem apta est obtinere. Dicitur *absolute* aut *relative* sufficiens, prout ex se semper et respectu omnium subditorum apta est hunc attingere, aut tantum in certis casibus et respectu aliquorum.

Ratione originis sanctio est *interna* aut *externa*, secundum quod procedit ex ipsa actione (vg. morbus ex intemperantia), aut a causa extrinseca (pœna capitis a judice inflicta).

Nota theseos. — Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I^a. — Legi naturali apponitur sanctio.

PROB. — (*Ex duplici fine sanctionis*).

1° Deus sibi debet movere efficaciter homines ad legem observandam.

Atqui spectata istorum natura sanctio ad hoc requiritur.

Ergo... (C. G., l. III, c. 141, n. 1, 5, 6).

2° Deus sibi debet ordinem servatum præmiis perficere, læsum pœnis restituere.

Atqui hoc sanctione obtinetur.

Ergo... (ibid., n. 4).

PROB. — 3° (*Ex pulcherrima consideratione « reactionis ordinis »*).

Ubi adest *debitus* ordo, oportet istum ad finem ducere et recessum ab ordine finem excludere.

Atqui datur talis ordo actuum humanorum ad beatitudinem : homo ad eam destinatur (th. 2), sed *conditionaliter* (th. 5). Dedeceret enim Deum se communicare homini qui negligendo suam destinationem se averteret ab Ipso ; cæterum cum *beatitudo* sit ipsa naturæ *perfectio*, qui recedit ab ista, agendo deordinate, etiam ab illa recedit.

Ergo, prout servatur aut infringitur ordo iste, beatitudo obtinetur aut amittitur, quod est sanctio [1] (C. G., l. III, c. 141, n. 2 ; I^a II^æ, q. 87, a. 1. ; *Sertillanges*, l. c.).

PARS II^a. — Adest jam in hac vita sanctio quæ non est sufficiens.

(1) Deum sanctionem decernere ratione ordinis sive promovendi, sive perficiendi aut restituendi, sive naturaliter « reagentis », continetur in ipsa ordinatione omnium ad Seipsum ; praesertim 3^um, ex quo etiam sanctio est *interna*.

Declaratur. — *a*) Adesse sanctionem in hac vita experientia constat. Bono enim et malo morali connectuntur bona et mala physica :

1) Aut *essentialiter* (i. e. ut effectus proprii) : sic habitus boni vel mali, facilitas, jucunditas actus boni vel e contra ;

2) aut *connaturaliter* (i. e. per se, ex natura hominis) : ita sanitas mentis et corporis, pax...

3) aut *moraliter* (i. e. de jure, seu juxta rectos mores hominum) : sic bona fama, honores, divitiæ...

4) Quorum multa in bonum aut malum sociale etiam influunt.

b) Valde imperfecta datur proportio inter hæc bona vel mala physica et bona vel mala moralia, sive spectetur modus quo honestis vel pravis hominibus distribuuntur, sive numerus et intensitas tentationum cum fructu victoriæ comparentur, dato speciatim quod omnia bona terrena et vita ipsa quandoque deserenda sint ut ordo moralis servetur. Ergo duplex finis sanctionis nonnisi valde imperfecte in hac vita obtinetur.

PARS III[a]. — In futura vita exsistit sanctio absolute sufficiens.

Hæc pars est evidens corollarium præcedentium et etiam sequentis.

PARS IV[a]. — Sanctio absolute sufficiens consistit in adeptione aut privatione perfectæ beatitudinis.

PROB. — Legis naturalis ea sanctio et ea sola est absolute sufficiens, quæ plenam satietatem naturæ confert sub conditione observationis ejusdem legis.

Atqui talis est hypothetica consecutio perfectæ beatitudinis.

Ergo...

Prob. maj. — Ea sanctio et ea sola est absolute sufficiens : 1° qua agens, solo intuitu proprii boni, impellitur ad mortem aut omnia alia mala gravissima potius subeunda quam ordinem moralem transgrediatur ; 2° quæ perficit aut restituit ordinem, ut decet, constituendo hominem in possessione finis ad quem debite agendo se disposuit (th. 5), aut eum excludendo ab eodem fine quem neglexit, ita ut divina Justitia manifestetur ad gloriam Ordinatoris, quam reus denegavit.

Obj. : cf. Cathrein, Lehu, etc...

Speciatim notanda est difficultas desumpta ex nocumento quod sanctio moralitati afferret :

Cf. Roure, *Doctrines et problèmes*, p. 227 sq ; — Rev. apol., 15 août et

15 sept. 1910, p. 750 et 900 ; — idem breviter *Etudes*, 20 nov. 1910, p. 572 — DD. d'Hulst, *Conf.* 1891, p. 195 ; — Cresson, *La Morale de Kant*, p. 188 — *Bull. de la Soc. Fr. de philos.*, 1908, p. 154.

Nota Kantium non rejicere exsistentiam remunerationis, sed negare valorem moralem actus ex spe præmiorum eliciti (cf. Append. Eth. gener.). Sic veram indolem sanctionis pervertit ; respondemus enim :

1° Natura hominis ita est constituta ut iste indigeat stimulo proprii boni et igitur sufficienti consideratione atque desiderio, quæ ideo sunt approbanda ; imo metaphysice impossibile est hominem aliquid velle, nisi intendat suam perfectam beatitudinem modo saltem indeterminato (cf. th. 2, arg. I^{ao} part.). Hoc ipse Kantius fatetur ; sed tunc quomodo abstrahere ab hac lege naturæ posset « erigi ut lex universalis ejusdem naturæ », i. e. censeri lex moralis secundum suam formulam ?

2° Optare præmium non exclusive sed ut consequentiam naturalem observationis ordinis non tantum omne vitium excludit, sed laudandum est, imo omnino debetur, nam sic optatur integra exsecutio ordinis sapientissime a Deo statuti[1]. Insuper, spectata thesi 1^{a} de fine primario hominis, et data nostra positione de obligatione (contra Taparelli et alios), multo evidentius apparet nostram Ethicam non esse « une morale égoïste ». Debemus enim diligere Deum primario propter Ipsum, secundario tantum propter nos[2]. Si autem de perfectione quæritur, dicemus : dummodo retineatur desiderium beatitudinis, aliquando actuale et semper habituale, intentio nostra eo perfectior est, quo magis Deum diligimus propter Ipsum (*DD. d'Hulst*, l. c. p. 199 et notam 32, p. 412).

THESIS XXIII. — Præmia necnon et pœnæ alterius vitæ erunt inæqualia, utraque autem æterna.

C. G., l. III, c. 142, 144, 145 ; *Comp. theol.*, c. 174, 175, 183 ; *Suppl.*, q. 99 ; I^{a} I^{ae}) q. 87, a. 3, 4, 5 ; — Ferretti, l. 3, p. 461 sq. (qui alios citat) ; — Monsabré (1888, 94^{e} conf., (1889) 98^{e}, 99^{e} conf. ; — Lacordaire (1851) conf. 72 ; — DD. d'Hulst (1891) conf. 5 ; — Bernard, s. j., *Dict. Apol.* d'Alès, art. « *Enfer* » ; — Michel, *Revue apol.*, 15 janvier et 1er février 1925 : L'éternité de l'enfer et la raison ; — Richard, *Dict. de Théol.*, Vacant, art. « *Enfer* » ; — Ortolan, ibid. art. « *Dam* » ; — Card. Billot, *Etudes*, 20 août 1923, p. 385.

Nota theseos. — I^{a} pars est metaphysice certa ; II^{a}, ratione saltem suadetur.

DEMONSTRATIO

PARS I^{a}.

PROB. — (*Ex duplici fine sanctionis*).

1° Divina sapientia sibi debet bonos allicere ad meliora et retrahere malos a pejoribus.

Atqui ad hoc requiritur et præmia et pœnas esse inæqualia.

Ergo...

---

(1) Nota etiam desiderium possidendi Deum ut *Summum Bonum* involvere laudem Ipsius.

(2) Cf. *Conc. Trid.* ; dicit de justis ; eos non peccare si « ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam, cum scriptum sit : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*, et de Moyse dicat Apos olus, quod respiciebat in remunerationem » (*Denzinger*, 804 [687] : Sess. VI, cap. XI).

2° Perfectio aut restitutio ordinis exigit proportionem retributionis cum merito aut demerito. Ergo...

PARS II^{a}.

PROB. — 1° Ex definitione, beatitudo est stabilis, ideoque æterna.

2° Independenter a revelatione, pœnas fore æternas, ex duplici fine sanctionis saltem suadetur. Etenim :

a) Restitutio ordinis exigit proportionem pœnæ cum offensa. Atqui talis proportio æternitatem pœnæ involvit.
Ergo...

Prob. min. — Offensa Dei est aliquo modo infinita ex dignitate offensi (*S. Thomas*, Comp. th., c. 183) ita ut nulla creatura condignam satisfactionem præbere possit (*Lessius*, De div. perf., l. 13, n. 187).

Ergo pœna proportionata erit aliquomodo infinita, scil duratione, cum, respectu intensitatis, necessario sit finita.

b) Data natura hominis, pœna finita duratione esset stimulus insufficiens. « Finge quot libet annos, et tempora duplica, et infinitas ætates congere cruciatibus ; si finis omnium similis, præteritum omne pro nihilo est. Quia non quærimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus » (*S. Hieronymus*, In Joann., c. 3).
Ergo...

Confirmatur. — Culpa non remissa in hac vita est absolute irreparabilis non tantum respectu satisfactionis, sed etiam respectu reditus creaturæ ad finem, seu conversionis ad Deum (C. G., l. IV, c. 95 ; *Comp. theol.*, c. 174, 175). Etenim mutatio circa finem ultimum supponit dispositiones animæ mutari, quod est impossibile post separationem a corpore.

Hinc pœna æterna est quasi naturalis consequentia ordinis, seu culpa est sibi ipsi pœna ; et sic multo facilius salvatur bonitas Dei, qui post multa auxilia reo concessa, relinquit eum suæ electioni et ponderi naturæ. Insuper jam est quasi proportio durationis inter culpam et pœnam (vide obj. 1^{am}).

COROLL. — Ut thesis salvetur, imprimis requiritur beatitudinem numquam a reis esse possidendam. Sed insuper sequitur ex argumentis reos numquam esse annihilandos (I^{a} I^{ae}, q. 87, a. 1 ad 1^{um}). Secus enim pœna qua afficerentur esset subjective finita. Porro neque hoc sufficit ad stimulum, neque ita daretur conveniens proportio cum culpa, nam si secundum æstimationem moralem, gravitas culpæ pendet a dignitate

offensi, pœna e contra mensuratur ex parte offensoris, scil. ex modo quo revera istum afficit.

Argumentum primum et corollarium illustrantur scholio sequenti.

SCHOL. — De gravitate comparata offensæ et pœnæ.

1. — *Offensa formaliter est læsio juris alicujus.* Distinguitur a malo morali, quod est privatio convenientiæ debitæ ipsi agenti. Malum quidem morale, ut prohibitum a Deo, est Ejus offensa; e converso offensa Dei involvit ut talis specialem et supremam malitiam. Sed secundum *conceptum* retinenda est distinctio. Unde sicut malitia moralis ut talis mensuratur a convenientia quam negat, ita offensa Dei mensuratur a jure cujus est implicitus saltem contemptus et practica negatio. Nec dicas tantum denegari objectum finitum quod a Deo præcipitur; offensa formaliter consistit in violatione et contemptu juris ut talis, ita ut offendens vellet quodammodo hoc jus tollere, et practice negat. Cæterum, cum, ut diximus, offensa involvat specialem malitiam, possumus addere malitiam ibi esse infinitam, nam accipitur deordinatio infinita respectu naturæ adæquatæ qua Deo subjectæ, scilicet eversio propriæ ordinationis ad Deum, infinite reverendæ.

2. — « *Sicut offensa est in offenso, honor est in honorante.* » Hoc effatum scholasticum ex eo explicatur quod offensa est privatio opposita juri offensi, dum honor est quid positivum, scil. testimonium internæ aestimationis ex parte honorantis (cf. Eth. spec., ante th. 41). Unde sicut offensa crescit cum dignitate juris offensi, honor crescit cum dignitate ejus qui suam aestimationem manifestat.

3. — Pœna potest aliquo modo assimilari honori, quatenus reparatio, quasi restitutio, imposita quidem, honoris debiti legislatori. Sub hoc respectu valorem desumit ex qualitate reparantis, satisfacientis.

4. — Insuper pœna non est tantum objectiva privatio, sed *contrariatur voluntati* delinquentis (C. G., l. III, c. 142), ut patet ex duplici fine sanctionis; nam pœna debet esse : 1° restauratio ordinis, i. e. depressio voluntatis quæ se extollit contra legislatorem (C. G., l. III, c. 141); 2° stimulus, et ideo, afficiens delinquentem : sic parentes non minantur pueris privatione magnæ dignitatis, sed v. g. flagello. Crescit igitur pœna, sicut contrarietas seu tristitia imposita.

5. — Unde apparet vis argumenti primi. Offensa Dei, ut mensurata ex dignitate offensi, est infinita. Pœna, ut mensurata ex qualitate satisfacientis et ex modo quo afficit ejus vo-

luntatem remanet semper finita[1], nisi ex parte durationis infinitatem quamdam involvat.

N. B. — Æternitas pœnarum de fide est, ex V° concilio Œcumen. Const., ex IV° Conc. Later. (*Dict. apol.*. c. 1389).

Etiam de fide est exsistere pœnam positivam distinctam a pœna damni (*ibid.* c. 1383). Sicut « ex parte aversionis a Deo respondet peccato pœna damni », ita « ex parte inordinatæ conversionis (ad creaturam) respondet ei pœna sensus » (Iª IIæ, q. 87, a. 4).

Temerarium est negare realitatem ignis inferni : secundum responsum Sac. Pœn. (30 avril 1890), nequeunt absolvi qui obstinate eam rejiciunt (*ibid.* [2]).

Theologice certum est infernum esse in loco determinato (*ibid.* c. 1381).

Multa alia optima invenies in art. cit. et apud Monsabré, Lacordaire, loc. cit.

Principia ad solvendas difficultates.

1° Non requiritur inter culpam et pœnam proportio durationis sed justitiæ. Cæterum quasi proportio durationis adest inter culpam natura sua irreparabilem et pœnam aeternam : « quia in suo aeterno peccat, rationabiliter a Deo in æternum punitur » ; « si aliquis a peccato corrigi non potest, sed voluntas ejus obstinate firmata est in peccato, ejus pœna terminari non debet » (S. Thomas, *Comp. theol.*, c. 183 ; — cf. Iª IIæ, q. 87, a. 3).

2° Ut patet ex probationibus, pœna æterna duplicem finem habet, ordinis restitutionem in statu exsecutionis et stimulum in statu comminationis. Priorem attingit in reo ipso, cui physice imponitur sanctitatem et justitiam Dei agnoscere, Ei gloriam denegatam reddere. Posteriorem satis obtinet, si impellit eos qui sunt « in via ». Non est autem necessarium ut ea pœna tantum imponatur quæ adhuc possit delinquentem emendare : « latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios ut saltem metu pœnæ peccare desistant » (Iª IIæ, q. 87, a. 3 ad 2[um]).

3° Pœna gravissima legitime incurri potest et de facto sæpe a judice etiam humano imponitur, etsi antea non determinate cognoscitur a delinquente ; sufficit istum cognoscere suam transgressionem mereri pœnam gravissimam. Nulla igitur difficultas surgit contra thesim ex eo quod aliqui dubitant de

---

(1) Affectio voluntatis est finita, si 1° reus privatur modo finito, seu privatur possessione imperfecta Dei, et si 2° tristitia sicut omne accidens animae est finita (Billuart, *Tract. de Peccatis*, diss. 7, a. 4, § 1; ed. Palmé, t. II, p. 532).

(2) Cf. etiam art. « Feu de l'enfer » (Michel, *Dict de Théol.*), spec. c. 2218 sq. Concludit auctor ignem inferni esse non tantum certo *realem*, sed *materialem* etsi diversum forte ab igne terrestri. Revera nonne ignis immaterialis esset metaphoricus ?

pœna æterna, aut eam ignorare dicuntur, aut ad eam non attendunt.

4° Pœna potest esse absolute sufficiens etsi multi eam spernunt, dummodo ex se motivum præbeat quod summa imprudentia negligitur.

5° Ad homines non pertinet punire offensam Dei ut talem, nec igitur imponere pœnam infinitam. Attamen etiam justitia humana reum quandoque separat perpetuo a societate per exsilium, carcerem aut mortem (cf. S. THOMAS, Iª IIæ, q. 87, a. 3, ad 1um). Nedum ergo difficultas adsit contra thesim ex comparatione Dei et hominis, inde conclusio roboratur.

6° Non pugnat pœna æterna cum Dei infinita bonitate; nam ista recte intellecta includit justitiam perfectam, et, si sumitur sensu ontologico, exigentiam subordinationis omnium ad seipsam, gloriæ igitur læsæ reparandæ. Insuper ipse homo se constituit in statu perditionis.

7° Antecedenter ad exercitium suæ libertatis, non ordinatur homo absolute sive ad gloriam Dei formalem ab ipso præstandam, sive ad felicitatem, sed tantum ex Dei « beneplacito », ita ut servet libertatem physicam se avertendi; igitur ordinatio Dei absoluta non frustratur et cæterum Eum decet conditiones objectivas præmii imponere.

8° Homo quidem infirmus est sed mediis a Deo collatis abundat (cf. LACORDAIRE, 72e conf., p. 543).

9° Nec requiritur Deum semper nova auxilia præstare usque dum peccator tandem convertatur; secus divinum dominium quasi vinceretur a resistentia et audacia creaturæ quæ eo magis incitaretur ad peccatum quod sciret se tandem præmium accepturam esse (cf. MONSABRÉ, *98e conf.*, p. 72 sq.).

Facile resolves objectiones Payot, *Cours de morale*², p. 179 sq.

ARTICULUS VI

DE SUMMO LEGIS NATURALIS PRÆCEPTO

THESIS XXIV. — **Legis naturalis præceptum cognitum unde imperfecta oritur obligatio est : « bonum est faciendum, malum vitandum » ; — primum autem legis naturalis præceptum perfecte obligans est : « ama Deum ut finem absolute ultimum. »**

S. THOMAS, Iª IIæ, q. 94, a. 2; IIª IIæ, q. 44, a. 1.; *In S. Matt.*, c. 22, de primo mandato (ed. Parm. t. X, p. 203-205; ed. Rom. t. XIV, p. 65); Iª IIæ, q. 89, a. 6; et alia infra cit.; — DE LA BARRE, *op. cit.*, p. 98, qui multos citat et breviter exponit historiam quæstionis.

STATUS QUÆSTIONIS

De primo principio legis naturalis multæ fuerunt sententiæ. Sed opinionum diversitas partim provenit ex diversis modis quæstionem ponendi.

Vel agitur de primo principio *ontologico* et tunc certe est ipse Deus ; vel de primo principio *logico*, ex quo omnia præcepta cognoscuntur. Iterum problema circumscribere oportet, nam de initio *omnis* humanæ cognitionis, ut patet, non quæritur.

Unde dicemus determinandum esse *præceptum primo cognitum* ex quo omnia alia innotescunt : quod certe est quæstio a *S. Thoma* posita in priori loco citato.

Sed quia S. Doctor in hoc loco non videtur agere de perfecta obligatione, distinguimus duas partes in thesi, ut in enuntiato apparet. Innuit ipse Doctor Angelicus hanc divisionem problematis (*in II sent.* dist. 24, q. 2, a. 4), ubi describit munera rationis *superioris* et rationis *inferioris* in efformando judicio conscientiæ (de ratione superiori et inferiori, cf. I^{am}, q. 79, a. 9, quodl. 3, a. 26). Etenim bonitatem aut malitiam moralem ratio superior dignoscit ex consideratione legis Dei (unde « conscientia ligat » : *De Ver.*, q. 17, a. 3 et sq.) ; ratio inferior non considerat nisi quod convenit homini. Judicium conscientiæ diversam obligationem denuntiat, prout ex prima aut altera consideratione desumitur (Vidē etiam *de Ver.*, q. 17, a. 1, in fine corp. et I^{am} II^{ae} q. 71, a. 6, ad 5^{um}).

Nota theseos. — 1^{a} pars est metaphysice certa ; 2^{a} probabilior.

DECLARATIO

I^{a} PARS.

Hoc principium « Bonum est faciendum » est immediate notum et exinde sequitur necessitas saltem imperfecta totius ordinis moralis servandi (I^{a} II^{æ}, q. 94, a. 2) : nempe necessitas proportionata ipsi bono proposito (vide ea quæ diximus de atheo Deum prorsus ignorante in th. 21^{a}, cum notis ibidem, p. 124 sq. et thesim 25^{am}, schol. II).

N. B. — Non ita intelligendum est principium, ut omne bonum sit necessario faciendum, sed ut bonum solum sit faciendum.

II^{a} PARS.

Perfecta obligatio ordinis moralis servandi non cognoscitur nisi consequenter ad necessitatem reverendi seu amandi Dei finis absolute ultimi : cf. I^{a} pars th. 21^{æ}. Vide etiam :

I^am, q. 48, a. 6, in corp., 2^am rationem : non adest vera culpa quin contrarietur « impletioni divinæ voluntatis, et divino amori quo bonum divinum in seipso amatur et non solum secundum quod participatur a creatura » — et præsertim I^am II^æ, q. 100, a. 5, ad 1^um[1], ex quo apparet S. Doctorem non agere de obligatione perfecta in q. 94, a. 2, supra laudato.

Inter duas partes theseos nexus est evidens. Ex I^a parte, bonum est amandum pro indole et gradu ipsius boni propositi. Unde Bonum absolutum et summum est absolute et summe amandum (cf. th. 21^æ II^a pars et conclusio ; et th. 22^æ schol. II).

ARTICULUS VII

DE PROPRIETATIBUS LEGIS NATURALIS

§ I. — Universalitas.

THESIS XXV. — **Homo rationem habens sat evolutam nequit invincibiliter ignorare generaliora legis naturalis præcepta.**

Bruneteau, *Rev. de Phil.*, juin 1911 ; — Dublanchy, *Dict. de théol.* Vacant, art. « *Décalogue* » ; — et præsertim auctores cit. in bibl. th. 10^ae.

STATUS QUÆSTIONIS

Ut patet ex thesi 20^a, lex naturalis est promulgatio legis æternæ in homine. Hæc promulgatio consequens naturam est *per se* universalis. Attamen experientia testatur multa præcepta a multis ignorari, imo quosdam homines etiam præcipua nescire. Hinc quæruntur conditiones promulgationis actualis, et istis positis, quænam præcepta necessario cognoscantur.

a) *Conditiones* sunt : 1° *rationis sufficiens evolutio, quam impedire potest defectus tum organismi tum educationis ;* inde etiam tota gens aliqua ignorare posset quædam saltem præcepta generaliora, quippe quæ mentes quasi pueriles excederent ; 2° *advertentia et consideratio quæ in homine rite evoluto adeo sunt spontaneæ ut earum defectus nequeat esse invincibilis nisi ad tempus ex influxu extrinseco, imprimis ex educatione veritatibus religiosis et moralibus opposita.* Vide quæstionem de atheo in th. 21 et schol. infra.

---

(1) Citamus partim hunc locum in fine th. sequentis.

b) *Præcepta quæ necessario cognoscuntur, datis istis conditionibus, sunt præcepta generaliora*, i. e. *vel communissima legis principia, omnino evidentia*, v. g. bonum est faciendum, malum vitandum (*præcepta primæ classis*)[1] *vel præcepta quæ ex prioribus immediate deducuntur, et quæ secundum S. Thomam in Decalogo continentur* (*præcepta secundæ classis*).

E contra, ut experientia et ratione constat, *ignorari etiam invincibiliter possunt conclusiones remotiores et magis particulares*, v. g. applicatio præceptorum Decalogi in difficiliori casu (*præcepta tertiæ classis*). Cf. I[a] II[æ], q. 100, a. 3 et 11.

Nota theseos. — Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — *Ex fine legis naturalis.*

Finis legis naturalis est ut homo naturaliter et congrue moveatur ad ordinem moralem servandum.

Atqui nequit hoc fieri nisi ratione sat evoluta diligenter utens necessario cognoscat præcepta saltem generaliora.

Ergo...

SCHOL. I. — *a*) Sufficit scientiam istorum præceptorum esse universalem. Exinde enim alia præcepta plusminusve facile deducuntur. Insuper decet aliquam diligentiam requiri ex parte hominis ad evolvendam et applicandam cognitionem legis naturalis. Et sic apparet analogia inter modos diversos quibus entia creata ad finem suum deducuntur : ex principiis simplicibus enascitur mira varietas simulque conspiratio ad bonum tum particulare, tum totius universi.

b) Non cum eadem facilitate et necessitate omnia præcepta generaliora cognoscuntur.

Præcepta secundæ classis possunt quandoque saltem vincibiliter ignorari, datis passionibus et vitiis (I[a] II[æ], q. 94, a. 6).

SCHOL. II. — *De genesi et indole primorum principiorum rationis practicæ secundum S. Thomam.*

De primis et indemonstrabilibus principiis hæc habet : « Cognoscuntur abstrahendo a singularibus. Unde oportet præexsistere intellectum agentem in habitu principiorum, sicut causam ispius » (*De Anima*, a. 5 c.).

(1) S. Thomas ponit inter ista : Diliges Dominum Deum tuum et proximum tuum. Vide Schol. II.

« Intellectus principiorum dicitur esse habitus naturalis : ex ipsa enim natura animæ intellectualis convenit homini quod statim cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte, et similiter in cæteris. Sed quid sit totum et quid sit pars cognoscere non potest nisi per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas. Sic est cognitio principiorum ex sensu[1] » (Iª IIæ, q. 51, a. 1 *c* ; *De Ver.*, q. 16, a. 1 *c.* ; Iª, q. 89, a. 1).

S. Thomas non distinguit unam genesim principiorum speculativorum et aliam practicorum.

In utroque ordine sunt principia per se nota, in sensu declarato. Hoc explicat S. Doctor in Iª IIæ, q. 94, a. 2 : « Dicitur autem aliquid per se notum dupliciter : uno modo secundum se, alio modo quoad nos. — Secundum se quidem quælibet propositio est per se nota, cujus prædicatum est de ratione subjecti ; contingit tamen quod ignoranti definitionem subjecti talis propositio non erit per se nota... Sicut autem ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis... Et ideo primum principium in ratione practica est quod fundatur supra rationem boni, quæ est : « Bonum est quod omnia appetunt ». Hoc est ergo primum principium legis, quod bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum, et super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ... Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii, inde est quod *omnia illa ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio apprehendit naturaliter ut bona, et per consequens ut opere prosequenda, et contraria eorum ut mala et vitanda* ». Et v. g. inest « *primo* inclinatio homini » qua « appetit conservationem sui esse secundum naturam ».

Attamen *nondum agitur de stricto præcepto seu de obligatione perfecta*. Nam : « Præceptum habet rationem *debiti*. Quod autem homo *ex necessitate* debeat aliquid Deo vel proximo, hoc de facili cadit in conceptionem hominis, et præcipue fidelis. *Sed quod aliquid ex necessitate sit debitum homini de his quæ pertinent ad seipsum et non ad alium, hoc non ita in promptu apparet. Videtur enim primo adspectu quod quilibet sit liber in his quæ ad seipsum pertinent* » (Iª IIæ, q. 100, a. 5, ad 1um ; item Iª IIæ, q. 122, a. 1). *Primum* igitur exem-

(1) Simul vi reflexionis quæ est *essentialis* ipsi judicio, intellectus se cognoscit adæquatum rebus « secundum quod cognoscit actum suum... [et] proportionem ejus ad rem : quod quidem cognosci non potest, nisi cognoscatur natura ipsius actus, quæ cognosci non potest nisi cognoscatur natura principii activi, quod est ipse intellectus, in cujus natura est ut rebus conformetur.. » (*De Ver.*, q. 1, a. 9 ; Iª, q. 16, a. 2). Istorum textuum P. Boyer dedisse videtur explicationem inter omnes optimam (*Gregorianum*, sept. 1924, p. 424. sq.).

plum supra allatum boni prosequendi, scil. propria conservatio, non pertinet ad ea quæ homo statim intelligit « *ex necessitate debere* ».

Sed S. Doctor admittit etiam Deum necessario cognosci. « Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti, est quod de ipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem » (I[a] II[æ], q. 89, a. 6 c. et ad 1[um]). Unde sicut *bonum* statim apparet ut prosequendum *secundum suam indolem et suum gradum, Bonum Summum et Absolutum* statim apparet ut *summe et absolute* amandum, ita ut necessitas diligendi Deum sit, — cum necessitate diligendi proximum, — « primum et commune præceptum legis naturæ, per se notum rationi humanæ per naturam » (q. 100, a. 3, ad 1[um]), quod « editione non indiget », et in quo « nullus potest errare secundum judicium rationis » (ibid. a. 11) ; cf. th. 24[a], de summo praecepto)[1].

Jam obligatio perfecta cognoscitur (cf. th. 21[a], in 2[a] parte).

Insuper ex cognitione duorum præceptorum diligendi Deum et proximum, quae ad unum reducuntur, pendet tota naturalis legis cognitio et imprimis Decalogi (q. 100, a. 3 et 11 ; *In S. Matt.*, cap. 22, de primo mandato, ed. Parm., t. X, p. 203-205).

Circa cognitionem Decalogi tota quæstio 100[a] in I[a] II[æ], est attente legenda. Ista præcepta (secundæ classis) « *statim* ex principiis communibus primis cognosci *possunt modica consideratione* » (a. 3, in corp. ; cf. ad 1[um]) ; eorum « rationem *statim quilibet etiam popularis potest de facili videre* ; et tamen quia *in paucioribus* circa hujusmodi contingit judicium humanum perverti, hujusmodi editione », i. e. revelatione, « indigent et hæc sunt præcepta Decalogi ». Error igitur est exceptio orta ex diversis causis : « vel propter malas persuasiones..., vel etiam propter pravas consuetudines et habitus corruptos... » (q. 94, a. 6) ; « *aliqui* habent *depravatam rationem* ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ... » (ibid., a. 4).

Si l'on ne rejette pas l'athéisme temporaire aussi catégoriquement que S. Thomas, on peut, en gardant par ailleurs ses principes, caractériser ainsi toute la genèse des jugements moraux :

1° *Ontologiquement*, Dieu est la plénitude et la source de l'être, du bien. Le créé n'est aimable ou respectable que par Lui (II[a] II[ae], q. 25, a. 1), mais il est plus visible pour nous, et se présente d'abord (ibid., q. 26, a. 2) : d'où la possibilité de

(1) Distinguit S. Doctor præceptum diligendi Deum, quod est prius Decalogo, et præceptum adorandi *unum* Deum : « non habebis deos alienos » (q. 100, a. 4), quod pertinet ad Decalogum.

jugements de valeur qui *psychologiquement* ne sont pas fondés sur Dieu. De là *le discernement du bien et du mal moral et la connaissance de l'obligation imparfaite* (C. G., l. III, c. 129; — Iª IIæ, q. 94, a. 2; — IIª IIæ, q. 26, a. 2, ad 1um).

2° Puis l'esprit s'élève jusqu'à l'Auteur du monde et de l'homme lui-même : tout cet ensemble, spécialement notre intelligence, notre volonté libre, l'excellence de la personne humaine et ses titres au respect et à l'amour, l'excellence de la famille, de la paternité et ses exigences spéciales, l'excellence de la société et ses droits, tout cela est reconnu l'œuvre du vouloir divin, et donc respectable désormais pour un motif transcendant, souverain, l'Excellence même de Dieu. Il y a donc un devoir absolu de répondre à ces exigences d'amour, d'hommage, de respect : c'est *l'obligation parfaite.*

3° *La connaissance du bien moral* a son *point de départ* dans la *nature adéquate*, ses inclinations, ses finalités, sa hiérarchie interne, ses relations (C. G., l. III, c. 129; — Iª IIæ q. 94, a. 2; — cf. supra : init. cap. III[1]).

La connaissance de *l'obligation imparfaite de droit* (cf. th. 21, de atheo) a ou aurait plutôt pour point de départ les *titres d'autrui*, spécialement des parents, *au respect et à l'amour*, car il faut ici une limitation du vouloir et une possibilité d'offense; or ceci est plus accusé en face des droits du prochain qu'à l'égard de la dignité personnelle (Iª IIæ, q. 100, a. 5, ad. 1um; IIª IIæ, q. 122, a. 1).

Celle de *l'obligation parfaite* se fonde sur *l'Excellence divine.*

4° L'obligation parfaite ou imparfaite descend d'abord de l'amour dû à Dieu et au prochain aux préceptes du décalogue.

L'obligation parfaite recouvre d'abord ce qui est le plus évidemment respectable, le plus important, ce qui a le plus directement trait au bien commun (cf. quant à la chasteté : Iª IIæ, q. 100, a. 11, ad 3um), ce qui a le plus besoin d'être protégé (v. g. parce que l'inclination personnelle, l'intérêt propre n'y suffisent pas : ibid. a. 5, ad 1um), ce qui paraît moins subordonné à l'utilité de chacun, ou ce dont il est moins le maître. De tout cela il résulte qu'après les devoirs envers Dieu, les obligations parfaites d'abord connues sont les devoirs envers le prochain; ce sont eux qu'énumèrent les sept derniers commandements du décalogue. Les préceptes relatifs à soi-même appartiennent à la 3e classe (ibid.). Nous devons respecter nos tendances foncières, ne pas nous y opposer, ni renverser les subordinations, mais ce sont les sages qui apprennent aux ignorants, ces devoirs[1]

(1) Evidemment l'esprit humain peut être singulièrement aidé par l'instruction au moins familiale, même pour la connaissance du décalogue, qui a pu appeler la révélation du Sinaï, malgré sa facilité relative.

(sur tout cela voir notre opuscule français : *Problèmes fondamentaux d'Ethique générale...*, S. Thomas et le problème de l'obligation).

N. B. — Nos autem in thesi de obligatione, circa atheum, non rejicimus possibilitatem ignorantiæ Dei et obligationis perfectæ ad tempus. Præsertim in hac positione, universalitas legis naturalis in actu 2° spectatæ, intelligitur sensu lato ; non est stricta nisi in actu 1°, seu de jure. Nec obstat legem ipsam esse naturalem. Nam hoc significat hominem habere intellectum et dispositionem innatam ad statim et necessario cognoscenda prima præcepta, in debitis conditionibus naturæ, quas in statu quæstionis explicavimus. Multos textus S. Thomæ invocare licet, vg. Iª IIæ, q. 94, a. 1. c. et ad 3um : « Lex naturalis est aliquid per rationem constitutum » ; ea « quandoque aliquis uti non potest, propter aliquod impedimentum », vg. « propter defectum ætatis ».

Si quis ad tempus ignorat invincibiliter Deum, lex naturalis apud ipsum est imperfecte « per rationem constituta » ; imperfecte tantum eum obligat.

Obj. **1**ª. Profiteri polytheismum est ignorare præceptum adorandi *unum* Deum. Atqui multi profitentur polytheismum per totam vitam. Ergo multi per totam vitam ignorant hoc præceptum.

Resp. *Dist. maj.* : Profiteri polytheismum practice, *nego* ;... ex persuasione intima, *subdist.* : si polytheismus excludit cognitionem Entis Supremi sive intra, sive extra pluralitatem deorum, *conc.* ; si non excludit hanc cognitionem, *nego*. — *Contradist. min.* — Historia nihil dicere potest de mente intima hominum quæ ex argumentis aliis cognosci potest indirecte, cf. th. 21ª de atheo, ubi etiam provocamus ad aliqua testimonia. — Circa *conclusionem*, distinguas insuper ignorantiam vincibilem et ignorantiam invincibilem.

Obj. **2**ª. Multi erraverunt circa præcepta Decalogi, v. g. putaverunt parentes licite posse occidi.

Resp. *Dist.* : Erraverunt circa ipsa præcepta, *nego* ; circa applicationes particulares, quæ ex conflictu apparenti officiorum aut ex alia ratione difficilius cognoscuntur, *conc.* — Speciatim putaverunt occisionem parentum eos liberare a majoribus malis ; eo magis quod superstitiosa opinio aliquando invaluerat homines servaturos esse post vitam ætatem in qua mortui essent (de istis aliisque exemplis, cf. Cathrein, *Moralphilosophie* et suum recens opus germanice scriptum, *Die Einheit des sittlichen Bewusstseins der Menschheit*, de unitate Conscientiae humanæ).

Nota etiam diversitatem judiciorum moralium, unam *de jure* propter varietates accidentales naturæ adæquatæ in concreto : sic temperantia non eodem modo ab omnibus est applicanda ; alteram *de facto*, non *de jure*, propter difficultatem bene judicandi in casibus complexis (cf. quæ diximus de criterio boni moralis, præsertim in IIª parte th. 11ª).

§ 2. — Immutabilitas.

THESIS XXVI. — Lex naturalis nec ab intrinseco, — nec ab extrinseco mutari potest.

Iª IIæ, q. 94, a. 5 ; Suarez, *De Leg.*, l. 2, c. 13 sq.

STATUS QUÆSTIONIS

1. *Lex mutatur*, i. e. transit in alium statum,

a) aut *stricte* per *derogationem*, qua ejus *pars aliqua tollitur*, sive aliud isti subtituitur, sive non ;

b) aut *lato sensu* per *abrogationem*, quæ est *totius legis ablatio ;*

c) aut *latius* per *dispensationem*, qua, *manente lege, aliqua persona ab obligatione eximitur.*

2. *Provenire potest mutatio :*

a) vel *ab intrinseco*, qua lex ex se, mutatis circumstantiis, fit inutilis, aut nociva ;

b) vel *ab extrinseco*, i. e. *ex voluntate superioris.*

3. *Lex naturalis nullo ex prædictis modis mutari potest.*

4. Notandum est autem legem non spectari in hac thesi secundum id quod *materialiter* attingit in tali circumstantia, v. g. auferre tale horologium, sed secundum id quod *formaliter* præcipit, permittit, prohibet : v. g. furtum.

Sic v. g. ante licentiam divinam Hebræis concessam, lex naturalis materialiter prohibebat actionem tollendi bona quæ Ægyptii detinebant. Post licentiam divinam, hæc actio jam est licita. Lex naturalis in hoc casu non mutatur. Id enim quod formaliter prohibebatur, semper prohibetur, scil. actio tollendi bonum alienum, seu violatio juris alterius. Sed Deus, ut Supremus Dominus, potuit transferre ad Hebræos dominium quod pertinebat ad Ægyptios (I^{a} II^{æ}, q. 94, a. 5, ad 2^{um}).

5. Lex naturalis est sumenda non secundum formulas abbreviatas quibus sæpe solet enuntiari (v. g. deposita sunt reddenda), sed *secundum sensum adæquatum* (in casu : domino rationabiliter petenti ; cf. I^{a} II^{æ}, q. 94, a. 4 ; *Suarez*, de Leg., l. 2, c. 13, n. 6[1]).

Cf. infra Scholion.

Nota theseos. — Metaphysice certa.

---

(1) S. Thomas et Suarezius notant difficultatem determinandi hunc sensum adæquatum quandoque. Attende etiam ad duplicem sensum vocum : « lex naturæ », prout ista intelligitur continere, vel non, conclusiones remotas primorum præceptorum (*formales* tamen, non autem *applicationes materiales*). Cf. Cathrein, th. 43, et infra id quod dicimus de jure proprietatis (obj. 2, ex auctoritate). Sumimus legem naturalem ut continentem etiam conclusiones remotas (sed formales).

DEMONSTRATIO

PARS I[a]. Lex naturalis non mutatur ab intrinseco.

PROB. — Lex præcipiens ea quæ exigit convenientia cum natura adæquata, præcise sub respectu *formali* quo exiguntur, prohibens autem quæ disconveniunt, præcise sub respectu *formali*[1] quo disconveniunt, nunquam fit inutilis aut nociva et proin ab intrinseco mutari non potest.

Atqui talis est naturalis lex.

Ergo...

PARS II[a]. — Lex naturalis non mutatur ab extrinseco.

PROB. — Lex naturalis ab extrinseco mutari non potest, nisi per voluntatem Dei.

Atqui Deus præ sanctitate sua et aliis attributis, immutabiliter vult ordinem naturalem servari, quod est objectum formale legis naturalis.

Ergo...

SCHOLION (magni momenti). — De dispensatione improprie dicta, seu de modo quo diversas actiones, mutata materia, possunt cadere aut non cadere sub lege naturali in se immutabili (cf. Stat. quæst. 4).

Ex sequentibus considerationibus, innumeræ difficultates præcaventur. Multæ sunt applicationes infra.

I[a] II[ae], q. 94, a. 4 et 5; — *Suppl.* q. 65, a. 1 et 2; C. G., l. III, c. 122 (ratio 4: non autem...); — SUAREZ, *De Leg.*, l. 2, c. 13, n. 6; — BOUQUILLON, *Theol. mor.*, p. 210; — LEHMKUHL, *Theol. mor.*, de lege, c. 5, 1 in fine (ed. 1910, p. 167); — vide GÉNICOT, *Theol. mor.*[6], de lege, c. 5, n. 128, p. 108.

Triplex distinguitur genus objectorum quæ ex natura sua sunt mala (Lehmkuhl, l. c.) :

1° ea quæ sunt mala *propter intrinsecam indolem, absolute consideratam*, v. g. blasphemia, actus luxuriæ contra naturam : *semper sunt illicita* ;

2° ea quæ sunt mala *propter periculum naturaliter connexum : si periculum auferri vel minui potest, evadere possunt non mala, ideoque licita*, — v. g. polygamia quandoque ob dispensationem Deo reservatam (vide infra).

---

(1) Respectus formalis quem spectat præceptum aut prohibitio includit aut connotat essentialiter quasdam circumstantias naturæ adæquatæ vel actionis, ita ut, istis adjunctis mutatis, jam non remaneat (cf. Stat. quæst. 4) : v. g. occidere hominem privata auctoritate extra casum legitimæ defensionis est illicitum ; non autem occidere ex auctoritate publica in bello justo.

Sed : *a*) *Duplex periculum ex talibus actionibus oriri potest : unum directum, pro generalitate saltem casuum* : sic polygamia generatim nocet familiæ... etc. (*Suppl.* c. 65, a. 1) ; — *alterum indirectum, ob difficultatem determinandi casus ubi periculum directum abest et ob inclinationem hominum ad severas obligationes a se removendas ;* ideoque « *illi ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reservatur ut licentiam præbeat* » (*Suppl.*, q. 65, a. 2 vel *in IV*, d. 33, q. 1, a 2[m] ; cf. *Suppl.*, q. 67. a. 1, ad 4[um] ; II[a] II[ae], q. 154, a. 2, in fine corp. et ad 2[um] C. G., l. III, l. c. ; — Meyer, II, p. 98 cum nota).

b) Hæc reservatio evidenter non est applicanda actionibus quæ sunt tantum minus conformes dignitati humanæ, sicut sunt : contractus servitutis et, a fortiori, labor mulieris extra domicilium (de emancipatione feminarum, cf. infra).

c) Multo minus reservatio requiritur ubi lex (inadæquate enuntiata) evaderet nociva *simpliciter*. Tunc epicheia (æquitas legalis) adhibenda est (II[a] II[æ], q. 120, a. I ; — cf. I[a] II[æ], q. 96, a. 6 ; — *Sertillanges*, La phil. mor. de S. Thomas, p. 332 sq. : optime).

3° Ea quæ sunt mala propter *jus alienum : possunt evadere non mala, ideoque licita, ob alienationem juris ab eo qui in hoc habet potestatem.* — Sic Deus potuit bona Ægyptiorum aliis tradere.

N. B. — *Si quis est certe alicujus rei aut personæ dominus, alii erga eum certo obligantur, quamdiu dubia est cessatio,* alienatio juris aut licentia agendi in objectum domini. — Ibi enim probabilismus locum non habebit, sed in hac quæstione justitiæ « melior est conditio possidentis ».

Sic ostendemus suicidium esse semper illicitum (vide hanc thesim et de probabilismo).

ARTICULUS VIII

DE LEGE POSITIVA UT FUNDATA IN LEGE NATURALI

§ I. — Quid sit lex positiva et quomodo in lege naturali fundetur.

I[a] II[ae], q. 91, a. 3 ; q. 95 et 96.

Præter legem naturalem, leges aliæ requiruntur quarum dispositio ex parte Dei aut hominum est libera : dicuntur leges positivæ.

Earum munus est :

1° Ex principiis generalibus legis naturalis quædam *concludere*, quæ secus non facile, aut nullo modo, ab omnibus cognoscerentur : vg. duellum prohibetur ;

2° Quædam, in genere tantum contenta in lege naturali, *determinare* : vg. talia tributa ad bonum sociale sunt solvenda.

3° Aliquibus præceptis etiam legis naturalis *sanctionem apponere*.

THESIS XXVII. — Omnis lex humana in lege naturali fundatur (I^a II^æ, q. 95, a. 3).

STATUS QUÆSTIONIS

Lex naturalis ibi sumitur morali et non physico sensu, i. e. tanquam necessaria ordinatio Dei, præscindendo a statu activo aut passivo hujus ordinationis (cf. supra art. I, 1° in N. B.).

Nota theseos : Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — Potest spectari lex humana vel formaliter quoad suam vim ligandi, vel materialiter quoad objectum quod præcipit. Porro :

a) Lex humana totam vim obligandi desumit ex eo quod Deus ordinat hominem ad vitam socialem quæ exigit ut aliqui præsint, alii autem obediant.

b) Quidquid injungit lex humana, conforme esse debet legi naturali (cf. initium § I).

§ II. — De conditionibus ut lex humana obliget.

THESIS XXVIII. — Lex humana non ex se obligat nisi possibilia honestaque præcipiat, et secundum justitiam a vera potestate statuatur.

I^a II^ae, q. 95, a. 3 ; q. 96, a. 4, — Meyer, I^3, p. 262 sq. ; — Ferretti, [3] I, p. 491 sq. ; — Belanger, *Une loi injuste oblige-t-elle en conscience ?* (Bloud ; et idem, *Etudes*, août 1902, p. 465 et 630) ; — Cauvière, *Discipline militaire et obéissance passive*, spéc. l'Avant-propos [1] ; — de la Taille, *En Face du Pouvoir* (Tours, Cattier ; p. 153-212) ; — Sertillanges, *Le patriotisme et la vie sociale* ; — alios cit. apud Sortais, *op. cit.*

(1) Multa documenta ; thesis est : obedientia passiva, etiam in exercitu, non debet esse exclusiva.

STATUS QUÆSTIONIS

1) Dicimus : « *Nisi possibilia...* » Agitur de possibilitate non tantum physica, sed *morali*, i. e. quæ excludit nimiam difficultatem.

2) Dicimus : « *Secundum justitiam* ». Agitur de justitia etiam *legali*, i. e. quæ bonum commune intendit, aut *distributiva*.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — *a*) Lex humana totam vim ligandi habet ex Dei ordinatione.

Atqui talis ordinatio evidenter exigit prædictas conditiones.

Ergo, istis seclusis, nulla per se datur ratio affirmandi obligationem (Iª IIæ, q. 96, a. 4, ad 3um ; Belanger, p. 37, sq.).

b) Lex quæ non est ad bonum commune et a principe, non est lex.

Atqui, seclusis conditionibus prædictis, lex non est hujusmodi.

Ergo...

SCHOLION. — Per accidens aliquando obedire oportet legi statutæ contra justitiam aut ab eo qui potestatem non habet : hoc enim exigere potest pax socialis, quamvis *ex se* lex sit invalida. Si autem legislator præcipit inhonesta, nunquam obedire licet. In dubio de honestate aut justitia legis, ei standum est ; secus actum esset de obedientia.

Nec adest obligatio sustinendi pœnam qua lex injusta sancitur. In hoc erraverunt quidam jurisconsulti catholici in Germania.

N. B. — De hac thesi evidenti, et tamen a multis jurisperitis hodie rejecta, vide quæ egregie scripsit P. Belanger, *op. cit.*

CAPUT V

DE CONSCIENTIA

ARTICULUS I

NOTIONES

I ª, q. 79, a. 13 ; I ª II ªᵉ, q. 19, a. 5 et 6 ; *De Ver.*, q. 17 ; — Ballerini-Palmieri *Op. th. mor.*, I, tract. II ; — DD. Chollet, *Dict. de théol. Vacant*, art. « Conscience », — X. Moisant, *Dict. apol. d'Alès*, art. « Conscience » ; — de la Barre, *La Morale*, p. 101 sq. ; — Sortais.

1° *Nexus cum præcedentibus et definitio.*

Conscientia quasi continuat legem, cujus est in mente subditi subjectiva applicatio. Etenim *ibi sumitur non sensu psychologico*, ut reflexa cognitio sui ipsius, *sed sensu morali* ut judicium practicum de moralitate actuum particularium et de conformitate aut non-conformitate eorum cum lege.

Differt a « synderesi » quæ pertinet quidem ad ordinem moralem, sed est *habitualis cognitio generalium principiorum.*

Judicium practicum antecedit vel consequitur actus humanos et sic fungitur munere ducis vel judicis. *Sensu strictiori, quem solum ibi respicimus, conscientia est « judicium antecedens et ultimo practicum de moralitate agendorum ».*

Sicut lex, vel jubet, vel prohibet, vel permittit, vel etiam per consilium suadet.

Est conclusio syllogismi, cujus *major* est quædam regula practica universalis, *minor* judicium de extensione aut non extensione objecti regulæ ad talem actionem aut omissionem. Deducitur talis actio esse hic et nunc facienda, vel omittenda, vel licita.

2° *Divisio.*

a) Conscientia est *vera* vel *erronea* prout conformis est vel non cum objectiva veritate,

b) Certa, vel *probabilis*, vel *dubia*, prout judicium fertur sine vel cum formidine errandi, vel hæsitatione suspenditur.

Dubium est *positivum* aut *negativum*, secundum quod adsunt, aut non, graves rationes dubitandi ; — *juris* aut *facti*, secundum quod circa legis existentiam aut circa aliquod factum versatur ; — *speculativum* aut *practicum*, prout spectat actionem in abstracto aut tanquam hic et nunc ponendam (unde cum omnibus conditionibus etiam subjectivis, v. g. tali ignorantia, et omnibus perpensis, v. g. principio reflexo de quo infra in th. 31).

Conscientia *perplexa* est revocanda ad conscientiam dubiam aut erroneam ; datur quando quis putat et agere et non agere esse peccatum (cf. *Noldin*, 1912, I, n. 212).

Aliquando dubia vocatur omnis conscientia non certa.

c) Conscientia est *scrupulosa, tenera, laxa*, prout habitualiter quis apprehendit ex levibus rationibus culpam ubi non est ; — vel advertit etiam minimos defectus, — vel absque motivo sufficienti se judicat ab obligatione immunem.

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONE SEQUENDI CONSCIENTIAM

THESIS XXIX. — Ad honeste agendum requiritur — et sufficit — conscientia moraliter certa.

STATUS QUÆSTIONIS

a) Agitur de « *conscientia* » *sensu strictiori* accepta (art. I).

b) Intelligimus « *certitudinem moralem* » *lato sensu*, i. e. *quæ excludit non possibilitatem, sed veram probabilitatem oppositi. Opinio autem vere probabilis est judicium quod nititur motivis fallibilibus, sed gravibus, tum absolute, tum si comparantur cum motivis sententiæ oppositæ, ita ut negligi nequeat sine prudenti formidine erroris*[1]. Conceptu suo certitudo moralis etiam lato sensu intellecta talem formidinem excludit.

Nota theseos : Metaphysice certa.

---

(1) Præscindimus ab alia significatione quam vox « *opinio* » olim habebat (cf. in fine theseos notam p. 165).

Nec refert in toto hoc capite utrum homo prudens possit positive adhærere opinioni quæ dicitur vere probabilis, an tantum ad eam inclinetur. Sufficit certitudinem sententiæ oppositæ impediri (ibid.).

DEMONSTRATIO

PARS I^a.

PROB — Qui agit sine conscientia moraliter certa, id facit quod serio suspicatur esse malum moraliter.

Atqui hoc est agere admittendo malitiam proprii actus, ideoque agere inhoneste. « Volens actionem, etsi malum esset, in malum consentit ideoque peccat » (*Noldin*, I, n. 222).

Ergo... (Cf. *Sertillanges*, La phil. mor. de S. Thomas, p. 550).

N. B. — *Circa minorem.* — Malitia quæ dicitur admitti pertinet ad actum non tantum materialiter, sed formaliter seu subjective sumptum, etsi tantum directe. Reflexe autem spectatus, actus certe dedeceret (sic respondemus subtilitatibus *P. Palmieri*, op. cit., I, p. 153 sq.).

PARS II^a.

PROB. — Ad honeste agendum, sufficit ea certitudo conscientiæ quæ in actibus humanis sola plerumque obtineri potest.

Atqui ita est certitudo moralis lato sensu (II^a II^æ, q. 70, a. 2).

Ergo...

THESIS XXX. — Non licet agere contra conscientiam certam, etsi forte invincibiliter erroneam.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — a) *De conscientia certa et vera.*

Non licet agere contra legem certo cognitam et ad casum concretum applicatam.

Atqui conscientia certa et vera non est nisi lex certo cognita et applicata.

Ergo...

b) *De conscientia invincibiliter erronea.*

Velle objectum cognitum ut malum est malum ideoque illicitum ; specificatur enim volitio ab objecto formali (th. 11, schol. I).

Atqui agere contra conscientiam invincibiliter erroneam est velle objectum cognitum ut malum.

Ergo...

(I^a II^ae, q. 19, a. 5 ; *De Ver.* q. 17, a. 4).

COROLL. — Inde necesse est ut quisque, speciatim si du-

bium oritur, suam conscientiam secundum veritatem efformare conetur, quantum in se est saltem moraliter, datis adjunctis.

ARTICULUS III

DE MODO DUBIUM PRACTICUM DEPONENDI

THESIS XXXI. — **Lex aut obligatio quam opinio solide probabilis suadet non exsistere, seu quam rationes graves oppositæ faciunt incertam, practice nulla est.**

Ballerini-Palmieri, *Op. Theol. mor.*, p. 159 sq. ; — Lehmkuhl, *Th. mor.*[11] t. I, n. 156 sq. ; ejusdem, *Probabilismus vindicatus*, 1906 ; — Noldin, *Theol. mor.* (1912), t. I, p. 255 sq. ; — Cathrein, th. 35 : optime ; — Le Bachelet, *La question liguorienne* ; - Brucker, *Etudes*, 1902, t. II, p. 831 sq. ; 1903, t. IV, p. 761 sq. ; — *Questions actuelles*, t. LVII, p. 423 (discours de l'abbé Gayraud à la Chambre) ; — de Blic et Vermeersch, *Dict. apol. d'Alès*, art. « *Probabilisme* » ; — Quaedam opera adversariorum infra citantur.

STATUS QUÆSTIONIS

1. — Stante practico dubio[1] de honestate actionis, istam ponere non licet, ut dictum est in th. 29. Dubium quidem sæpe deponetur inquirendo de præmissis unde exortum erat, aut examinando argumenta pro et contra, aut graves auctores consulendo.

Si autem *post diligentem inquisitionem*, prudens dubium aut incertitudo speculative manet, quomodo possit solvi practice, ope cujusdam principii reflexi, controvertitur.

Opinionem *benignam*, i. e. « *faventem libertati*[2] » sequi non licet, nisi sit :

a) certa,	*Secundum* Tutiorismum absolutum (Jansenistæ quidam, ut Sinnechius).
b) probabilissima,	*Sec.* Tutiorismum mitigatum (Henr. a S. Ignatio, O. Carm., Card. Gerdil, op. VII de act. hum. c. 3).
c) probabilior opinione *tutiori*, i. e. « Opinione quæ legi favet[3] »,	*Sec.* Probabiliorismum (Gonet, Th. Gonzalez, Billuart, etc.).

(1) Vide initio capitis et thesis 29[ae] definitiones. In hac disputatione inutile est distinguere dubium a defectu certitudinis (cf. ibid.).

(2) V. g. in tali casu ad restituendam pecuniam non teneris.

(3) V. g. debeo pecuniam restituere. Ne confundas opinionem *tutiorem* et opinionem *probabiliorem*. Ut patet, gradus probabilitatis mensuratur ex valore motivorum quæ ad opinionem inclinant.

d) Æque vel fere æque probabilis,	*Sec.* Æquiprobabilismum (Rasler, A. Mayr, multi Redemptoristæ provocantes ad S. Alphonsi auctoritatem). Insuper, si dubium versatur circa cessationem legis, ista esset practice servanda, ut similis « possidenti, cujus, in dubio, melior est conditio ».
e) Certo et solide probabilis[1],	*Sec.* Probabilismum, quem tenemus (cf. infra : *Historique*).
f) Dummodo sit etiam tenuiter vel dubie probabilis,	*Sec.* Laxismum.
g) Nisi adsit ratio excusans proportionata momento et certitudini legis.	*Sec.* Systema recens Compensationis (cf. Lehu et schol. infra) : propugnatum est circa a. 1875 a P. Potton, O. P., dein a P. de Pascal (Phil. mor. et soc., t. I, p. 192), etc.

Reprobati sunt ab Ecclesia Tutiorismus absolutus et Laxismus, cf. Denz.-B., 1153, 1293. Vix defenduntur hodie Tutiorismus mitigatus et Probabiliorismus[2]. Præsertim controversia est inter Probabilistas et Æquiprobabilistas.

2) Asserimus Probabilismum valere sine ulla exceptione, dummodo recte intelligatur[3]. Dicimus in enuntiato obligationem speculative dubiam esse pratice nullam ; sed sæpe dubium non est directe « de solo licito vel illicito » actionis abstracte consideratæ. Versatur aliquando circa factum aliquod, vg. num iste Baptismus fuerit validus. Stante dubio circa factum, multi adsunt casus ubi solutio etiam speculativa de actu ponendo aut omittendo est omnino certa : vg. dubitatur prudenter de validitate Baptismi ; tunc sacramentum sub conditione est conferendum.

Quoties finis aliquis est omnino attingendus[4] et dubitatur de idoneitate medii, adhibendum est aliud si fieri potest.

---

(1) Ut autem notat Meyer, « ubi agitur de dubio juris, necesse est ut imprimis judicium virorum in scientia morali peritorum et auctoritate gravium consulatur, antequam generatim de solida alicujus opinionis probabilitate tuto pronuntiari possit » (ed. 1906, t. I, p. 294).

(2) Lehu hoc fatetur, p. 285.

(3) Le sens de la thèse est celui-ci : « une obligation qui, spéculativement et après enquête suffisante, reste douteuse est pratiquement nulle ». Cette thèse n'est jamais en défaut. Ce qui est vrai, c'est qu'en bien des cas, l'obligation, après enquête, n'est plus douteuse : par exemple, dans le cas du baptême incertain, il faut certainement conférer le baptême sous condition. La thèse n'étant posée que relativement aux applications douteuses ne trouve ici ni application ni exception. Qu'on ne craigne donc pas que *peut-être* tel ou tel principe empêcherait en tel cas l'usage du probabilisme. Tant qu'il n'y a, après enquête, que des *peut-être*, la thèse s'applique. Prétendre que le probabilisme a des exceptions, serait équivalemment dire : Quand la loi est douteuse, le probabilisme s'applique, à moins que la loi ne soit point douteuse. Cet « à moins que » est assurément superflu. Cf. Noldin (1912), t. I, fin n. 234.

(4) Ad talem finem revocatur : *a*) aliquid necessarium necessitate medii (non tantum præcepti) ad salutem æternam, v. g. baptismus ; *b*) jus certum alterius ; *c*) in ordine supernaturali, valor sacramenti (vide Noldin, 1912, t. I, n. 234).

Insuper dubia multa ex regulis juris communiter admissis sunt solvenda : v. g. *in materia justitiæ*, « *in dubio melior est conditio possidentis* », i. e. actualis possessio munita bona fide præbet præsumptionem in favorem possidentis ; — *extra materiam justitiæ*, « *probabilis impletio legis positive probata sufficit* » ; « *factum* (v. g. emissio voti) *non præsumitur, sed probandum est* » (unde dubitans utrum votum emiserit non obligatur) ; *in dubio* (de facto *rite posito*, dummodo *de substantia* facti non dubitetur) *standum est pro valore actus* ; seu etiam *in dubio judicandum est ex communiter contingentibus.*

Nota theseos. — Communior et certa moraliter saltem lato sensu. Sufficit talis certitudo ut vi probabilismi satis efformetur conscientia (th. 29).

DEMONSTRATIO

PROB. — Obligatio quæ censenda est non imponi a Legistore, practice nulla est.

Atqui obligatio quam opinio solide probabilis suadet non exsistere seu quam graves rationes oppositæ faciunt incertam, censenda est non imponi a Legislatore. Etenim, quamvis forte in Ejus mente lex existat, non est satis promulgata aut saltem invincibiliter ignoratur.

Ergo...

Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor.[11], p. 111 (optime).

N. B. — Ut patet, rationes nequeunt æstimari vere graves antequam serio considerentur et cum rationibus oppositis comparentur. Attamen neque lex putanda est imposita ei cui deessent media *communia* inquisitionis et cui serio quærenti proponerentur rationes quas *censeret* graves contra exsistentiam obligationis (cf. VERMEERSCH, *art. cit.*, col. 348).

Tota thesis cum hac extensione ultimo et synthetice stabilitur in hoc præsupposito : Sapiens Legislator ista tantum duo exigere potest : convenientem inquisitionem, et adimpletionem legis ut cognoscitur. Quæ si subditi præstant, *formaliter* obediunt ; *materiales* præcepti violationes quarum periculo aliquando se exponunt, nequeunt esse nisi pseudotransgressiones (*ibid.*, col. 349)[1].

Confirmatur auctoritate : Ex approbatione Ecclesiæ. Non tantum probabilismus per sæcula a multis, imo diu

(1) Juvat comparare obligationem : a) *mensurae* quæ nulla est si est dubia, b) *ligamini* quod vim non habet nisi per *contactum*, ibi per *scientiam* (de Ver., q. 17, a. 3 in fine corp.), c) *oneri* quod ibi nimium esset si, quoties dubitamus, ligaremur, et quod adeo grave prudens legislator non imponit (vide S. ALPHONSUM, *Theol. mor.* et CATHREIN).

fere ab omnibus, admissus fuit, Ecclesia non reclamante, sed doctrinæ S. Alphonsi qui eum propugnavit, approbatæ fuerunt. Porro damnari debuisset systema ex quo fideles imprudenter conscientiam efformarent. Vide sequentem conspectum historicum.

SCHOL. I. — Historique.

Le but de cet exposé est d'éclairer l'argument d'autorité et de répondre à certaines objections.

Cf. Le Bachelet, *La question liguorienne* ; — Lehmkuhl, *Probabilismus vindicatus* ; — Noldin, *op. cit.*, p. 270 ; — Brucker, *Etudes*, 1902, t. II, p. 831 sq. et 1903, t. IV, p. 561 sq. ; — Denzinger, *Enchiridion* ; — de Blic, *art. cit.*

1° Avant saint Alphonse. — Cf. Noldin.

a) Aux premiers siècles de l'Eglise, la question n'apparaît pas posée explicitement, mais les solutions pratiques connues sont données suivant le principe du probabilisme.

b) Au moyen-âge, le principe est formulé implicitement dans des propositions, dont il se déduit, ou même est équivalemment énoncé. Pourtant certaines formules sont contre nous.

c) En 1577, le dominicain Medina expose le premier la formule explicite et la démontre si bien que, pendant près d'un siècle, presque tous les théologiens l'acceptent.

d) Vers le milieu du XVII^e^ siècle, elle est attaquée par les jansénistes et bientôt par les dominicains ; la plupart des théologiens lui restent pourtant fidèles. La querelle est surtout provoquée par le laxisme de quelques probabilistes, par la haine des jansénistes contre les jésuites, par l'inexacte interprétation de la troisième proposition condamnée par Innocent XI (Denzinger, 1151 sq.).

2° Saint Alphonse (1696-1787). Cf. Le Bachelet, *op. cit.* (les numéros renverront aux pages de ce livre).

La carrière du S. Docteur comme moraliste (p. 84) présente trois périodes : il est d'abord probabilioriste (1726-1741), — puis soutient le probabilisme tel que le défendent les Jésuites (1741-1762), — enfin propose un système qu'il dit sien (1762-1787).

D'abord probabilioriste, avec ses maîtres (p. 85), il devient probabiliste à la fois pour des raisons intrinsèques, pour des motifs d'apostolat et par obéissance à ses directeurs (p. 86-88). — Il attaque résolument le probabiliorisme (p. 90-92), tout en restant éloigné du laxisme (p. 93). Il cite avec éloge nos auteurs (p. 95 sq.), dit que les jésuites sont les maîtres dans la science de la morale (p. 99). Quant à la difficulté au sujet de laquelle il semblera plus tard se séparer de nous, c'est-à-dire quant à l'usage *pratiquement* licite de l'opinion moins probable, il ne veut pas trancher (p. 101-104). Mais il soutient nettement en théorie le *principe* de la licéité d'usage d'une opinion

probable qui possède un fondement certain et grave (p. 90 sq., 102) même en présence d'une opinion plus probable en faveur de la loi.

En 1756 (p. 106), il éprouve pendant une grave maladie une certaine anxiété au sujet des thèses qu'il a défendues. En 1762, il est promu à l'épiscopat. C'est à cette époque qu'il semble changer d'idée ; il dit nettement que l'usage d'une opinion moins probable est illicite, quand celle qui favorise la loi est certainement et notablement plus probable (p. 108 sq.). Il se dit même probabilioriste (p. 114, 130), réprouve les moralistes jésuites (p. 117 sq., et note p. 121), tout en reconnaissant que le probabilisme a été le sentiment presque commun au siècle précédent (p. 124).

Examen des griefs de saint Alphonse (p. 137). — *1er grief :* Il réprouve la formule : « qui probabiliter agit, prudenter agit. » Mais il s'explique (p. 143, 144) : la probabilité d'une opinion ne suffit pas par elle-même pour en rendre l'usage licite ; il faut s'appuyer sur le principe réflexe « lex dubia non obligat » (emprunté à la dissertation de 1765).

2e grief : Il réprouve l'usage de l'opinion moins probable. Mais ce n'est pas sans restriction ; il considère le cas où l'opinion favorisant la loi est certainement et notablement plus probable. D'ailleurs il admet que pratiquement une opinion favorable à la loi ne peut être certainement plus probable, sans l'être notablement davantage, et qu'elle est alors moralement ou quasi moralement certaine[1] (p. 155, 162, 163, 168). C'est la dernière pensée du saint (p. 168, 170, texte et note[2]) ; tout au moins, rien ne semble autoriser à dire qu'il se soit rétracté : voir Noldin (1912), t. I, p. 287 : *b* et *Nota*.

En conséquence (p. 185, 186) son choix des opinions dont l'usage est licite.

Explication historique de la terminologie de saint Alphonse (p. 195, sq.). — Ce sont les exigences de la controverse avec les tutioristes et les probabilioristes d'alors, et le désir d'une formule pratique contre le laxisme. Gardant les principes et les arguments du vrai probabilisme (p. 203, 206, 210, 212), ce n'est qu'en vertu d'une corrélation de fait et en chose morale, — constatée psychologiquement ou admise comme s'imposant pratiquement, mais non démontrée d'après les règles de la logique, — qu'il associe la *certitude subjective* d'une plus grande probabilité et la *notable prépondérance* des motifs (p. 216).

D'ailleurs, *chose très importante,* il regarde comme équiprobables, ou presque[3] équiprobables, des opinions que les probabilistes de son temps regardaient comme moins probables, et dès lors il en permet lui aussi l'usage en dépit des divergences de mots ou d'idée (p. 209).

---

(1) Les équiprobabilistes le nient (p. 153, texte et note).

(2) Le texte cité ici par le P. Le Bachelet a été supprimé dans l'édition 8e de la théol. mor. de S. Alphonse ; mais ce qui suit dans notre exposé explique cette suppression par le souci trop fondé qu'avait le Saint de ne pas déplaire aux docteurs de son temps. Cf. entre autres témoignages celui que cite Gaudé, C. SS. R., dans son édition de la Théol. mor. de S. Alphonse, et voir tout le contexte du savant éditeur (Introd., p. XXI-XXII).

(3) Evidemment le « *presque* » ne peut guère être délimité.

— Il y a donc différence dans le mode d'exposition, presque aucune dans les conclusions pratiques (Lehmkuhl, *Prob. vindic.*, p. 61).

Ainsi saint Alphonse, sans perdre le bénéfice d'une prudente largeur de direction, pouvait se dégager comme moraliste et conséquemment comme fondateur des Rédemptoristes, de l'impopularité qui s'attachait au nom des jésuites, surtout après la suppression de la Compagnie (p. 126, 132, 133; — Lehmkuhl, ibid. p. 60). C'était sage et même louable politique, plutôt qu'opposition réelle à des théories communément soutenues par nos auteurs : « Unice hac via prohibitionem librorum suorum et suppressionem congregationis a se fundatæ ex parte gubernii limitadas evitare poterat » (Noldin, p. 287). — Remarquer que les expressions les plus hostiles appartiennent à la correspondance avec l'imprimeur Remondini (p. 120), noter les restrictions, les explications (notes p. 121, 123), et comparer : (p. 96, 99, 100). Le saint restait d'ailleurs très attaché à la Compagnie (p. 122, sq.).

Conclusion (p. 225 sq.). — *Entre saint Alphonse et nous restent deux divergences de détail dans l'application du probabilisme.*

1° *Cas où serait en défaut l'identification admise sans preuve par lui entre probabilité certainement moindre et probabilité notablement moindre, trop faible dès lors pour permettre l'usage. — Si l'exception est possible, quand elle se rencontrera, le moraliste pourra appliquer le principe : « lex incerta non obligat*[1] » (Noldin, *p. 279, 280*).

2° *Cas de la cessation probable d'une loi certaine. — Le désaccord pratique entre équiprobabilistes et nous est surtout là. Mais le saint, même en la dernière période, n'a pas sur ce point de principe catégorique ou sans exception* (*cf.* Cathrein, *St. Quæst. 4 et resp. ad Obj. 6*; — Noldin, *p. 282*).

Autorité de saint Alphonse (*cf.* Noldin, *p. 288*). — *Les documents ecclésiastiques l'approuvent, mais déclarent positivement qu'elle n'est pas exclusive* — (*cf. surtout une réponse de la Sacrée Pénitencerie, 5 juillet 1831*)[2].

N. B. — Pour les autres documents touchant le probabilisme, cf. Noldin (p. 272) et Lehmkuhl (*op. cit.*, p. 78 sq.) qui répondent aux objections.

---

(1) On dira : mais en comparaison de l'opinion plus probable, tout compte fait, l'homme prudent ne peut adhérer à l'opinion moins probable ; donc celle-ci ne reste plus sérieusement probable (Sertillanges, *La phil. mor. de S. Th.*, p. 553. — Janssens, *R. Néo-scol.*, août 1920-1921).

Rep. On ne peut y adhérer positivement, tout compte fait ; mais on peut reconnaître le sérieux des motifs et en conséquence, tout en maintenant une préférence *spéculative* pour l'affirmation de la loi, garder une crainte prudente, accuser une incertitude. Dès lors, pratiquement, on peut ne pas tenir compte de la loi. (Voir plus bas principia ad solvendas objectiones ; — Vermeersch, *Dict. apol. d'Alès*, art. « *Probabilisme* », col. 342-344, très bien ; — cf. col. 350).

(2) *Ad dubium ab archiep. Vesuntionensi propositum : « Utrum S. theologiæ professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio tuto sequi ac profiteri possit ». Resp. « Affirmative, quin tamen reprehendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur ».*

SCHOL. II. — De systemate compensationis.

In hac sententia, lex dubia obligaret saltem indirecte, quoties deest ratio excusans. Etenim legis violatio etiam mere materialis est malum, ideoque ex principiis voluntarii indirecti permittenda non est ubi non est causa proportionata (cf. Lehu, *loc. cit.*, p. 287, vide etiam p. 283 et sq.).

Resp. Probari nequit, ac proin nulla est, obligatio vitandi hanc violationem mere materialem per se consideratam, et a fortiori merum ejus periculum, nam :

1° Non patet esse in ista læsione aliquid vere mali (v. g. si quis inadvertenter frangit jejunium contra legem Ecclesiæ. — Vide Ballerini-Palmieri, t. II, p. 152 ; — à *Génicot*, t. I, n. 219 ; III, p. 177).

2° Saltem dicendum esse videtur periculum materialis culpæ posse negligi, dato ex alia parte, præter onus gravissimum regulæ propositæ, periculo pejori culpæ formalis, si conscientiæ imponitur lex nimis severa (cf. Bouquillon : éd. 2, n. 297 ; Bulot, éd. 2, t. I, p. 46).

Sæpe quidem cum peccato mere materiali connectuntur inconvenientia plus minusve gravia, præsertim si agitur de lege naturali : v. g. pravi habitus qui jam forsan nocent et postea difficile corriguntur, scandalum, etc... Non negamus ista esse vitanda ex principiis voluntarii indirecti, sed in thesi de probabilismo agitur de violatione legis in se considerata.

3° Si per se requireretur ratio excusans, non tantum probabilismus, sed æquiprobabilismus et probabiliorismus essent ex hoc capite damnandi, et tamen Ecclesia eos omnes permisit ; immo fere nemo tenet systema propositum.

4° Admittimus cum Tanquerey (*Th. mor.*, ed. 4, t. II, p. 241), confessarios debere « attendere non solum quid liceat, sed etiam quid expediat... »

Principia ad solvendas objectiones.

I. — Recte efformatur conscientia ex probabilismo ita ut dictamen ultimo practicum sit moraliter certum, nonobstante controversia cum æquiprobabilismo. Nullam enim rationem vere probabilem afferunt adversarii contra nos, ut patet ex sequentibus :

II. — Esset quidem absurdum præferre minus probabilia speculative, seu ea declarando probabiliora, non autem si agitur de praxi, declarando legem, in casu dubiam, non obligare.

III. — Non sine restrictione probabilitas major elidit mino-

rem. Rejicimus intellectum posse prudenter ex imperio voluntatis adhærere opinioni quæ cognoscitur minus probabilis[1] sed prudentiæ non obstat legem declarare incertam[2] et tunc nullum apparet principium « reflexum, primarium » vi cujus obligaremur ad hanc legem observandam (contra JANSEN, *Rev. Thom.* 1898, 1899, etc.; — cf. infra, VI, et supra, p. 142, 1ª nota).

IV. — Peccatum est se exponere periculo violandi legem

---

(1) Cathrein hoc admittit, ubi rationes utriusque opinionis sunt diversi ordinis sed verius, ut videtur, P. Bulot negat : Theol. mor. (2e édit.) t. I, p. 48, obj. 3.

(2) *Instat* JANSSENS (*N. Neo-scol.*, août 1921, p. 288) : « s'il fallait admettre qu'en matière d'obligation morale, un énoncé probable n'a point de titres pour produire un assentiment certain et nous lier en conscience, inévitablement on pourrait tirer la même conclusion à propos des objets de foi... »

Resp. Nulla paritas est : fides nititur in auctoritate Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

Instat iterum P. RICHARD, O. P. in opere : *Le probabilisme moral et la philosophie* (1922) : « opinio non est quæstio » (sic ARISTOTELES et ALBERTUS MAGNUS), sed in eo consistit quod « ratio *totaliter* declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius » (S. THOM. *Poster. Analytic.* lib. I, lect. I). Aliis verbis, opinio excludit opinionem concurrentem, etsi non est certitudo (*op. cit.*, p. 58, 60, 261). *Formido de qua agitur non est prudens* (ibid.). Probabilistæ perperam confundunt *probabile* et *dubium*.

Et concludit auctor : si non habes *saltem opinionem* in sensu explicato, i. e. *sine formidine prudenti alterius* (p. 58), agere debes secundum regulas *conscientiæ dubiæ* (p. 272, 273). At istas non explicat.

Resp. a) Cum opinio sic intellecta æquivalcat certitudini lato sensu, est norma sufficiens vitæ moralis, si possidetur. Sed quandonam possidetur circa legem, datis motivis pro et contra ? Et si non possidetur, quid agendum est, spectata gravitate relativa motivorum ? Ibi est difficultas (P. JEAN DE DIEU, *Etudes franciscaines*, juillet-août 1923, p. 399). Revera problema videtur manere integrum.

b) P. RICHARD istud supprimere prætendit, redeundo ad definitionem opinionis secundum ARISTOTELEM et S. THOMAM in commentariis operum Philosophi. Etiam in ordine mere exegetico, multa essent objicienda, ut notat P. DE BLIC (*Recherches de Sc. relig.*, septembre-décembre 1922, p. 352) : v. g. multi sunt alii textus, speciatim apud S. Thomam, qui favent diversæ interpretationi (vide P. PINARD, *Etudes*, novembre 1913, p. 405 — et, post responsum P. RICHARD, *Revue thomiste*, avril-juin 1923, p. 200-201, — optimam instantiam P. JEAN DE DIEU, *Etudes franciscaines*, loc. cit., p. 390-393).

Unam tantum definitionem P. RICHARD sibi opponit ex *Quæst. disp.* (de Verit., q. 14, a. 13), quam non accipit secundum sensum obvium, quia non potuit concipere *opinionem probabilem* quae sit diversa tum a *certitudine morali*, tum a *dubio proprie dicto*, « ... faisant l'objet d'un assentiment positif et réfléchi, nonobstant la claire notion du fait que les raisons favorables ne sont pas décisives, et que l'opinion adverse n'est pas négligeable et ne peut être déclarée fausse » (DE LA BRIÈRE, *Etudes*, 5 janvier 1923, p. 111, circa op. cit.).

Melius videtur P. CLAVERIE distinguere casus psychologicos : « Tout probable n'est pas certain. » (*Rev. thom.* 1912, t. XX, p. 677, contra P. GARDEIL, *La certitude probable* ; — cf. *Dict. apol.*, art. « Probabilisme »).

c) Sedulo distinguendum est certum ab incerto. Quæcumque autem est distinctio psychologica inter conscientiam *dubiam* et conscientiam *probabilem*, ut initio capitis dictum est, non refert in quæstione probabilismi. Lex enim quæ post sufficientem considerationem non est certa non ligat. Porro non est certa, quoties adsunt rationes vere graves eam negandi, aut de ea dubitandi, aut errorem timendi. Ideo recta est methodus probabilistarum, quin confundant notiones, ut P. RICHARD prætendit (*Revue thomiste*, juin 1923, p. 196, 197, 200, 201). Ceterum præclarus auctor admittit practice nostram solutionem (ibid.), sed putat eam reddere faciliorem. Utinam ! (Vide *Archives de philosophie*, 1924, cahier II, bibliographie critique, p. 91 sq.).

formaliter, non vero admittere violationem mere materialem, scil. legis quæ certo hic et nunc, stante ignorantia invincibili, non obligat.

V. — Pars tutior est eligenda in dubio practico, non autem in dubio speculativo, si de solo licito agitur.

VI. — Sincere debemus tendere ad convenientiam actionis nostræ cum lege objectiva, ut optime Woulers notat (De minus probabilismo 59). Hæc sinceritas requirit ne ante inquisitionem nos exponamus ad legem transgrediendam ; post autem inquisitionem, non nobis imponit mere probabiliora i. e. incerta, sequi.

« Peto ab adversariis », ait S. Alphonsus, « ut indicent (si possunt), ubinam legem hanc esse scriptam invenerint, quod teneamur inter opiniones probabiles probabiliores sequi ? Hæc lex quidem prout universalis deberet omnibus esse nota et certa ; at quomodo ista lex certa dici potest, cum communis sententia, saltem longe major illorum pars post tantum discrimen absolute asserant hanc legem non adesse ? Usquedum igitur de tali lege dubitatur, opinio quod adsit hæc lex sequendi probabiliora, quamvis alicui videatur probabilior, numquam tamen lex dici poterit, sed appellanda erit mera opinio, utpote ex fallibili motivo deducta, quæ vim nequaquam habet ut lex obligandi » (Dissertatio apud Arendt, Apologeticæ de aequiprob. Alph..., 372. quæ fuit inter opera a S. Congregatione examinanda, cum ageretur de S. Alphonso Ecclesiæ doctore declarando [1]).

VII. — Nulla specialis ratio apparet cur lex antea certa, nunc positive dubia, obligaret. Etiam in hoc casu probationes nostræ valent : vide argumenta. Assimilatio legis « *possidenti* » caret fundamento : rationes enim cur, circa materiam justitiæ, « in dubio melior est conditio possidentis », sunt præsumptio, orta ex fide bona atque pacifico juris exercitio, et necessitas

---

(1) Vide instantias apud Janssens : *R. Néo-scol.*, août 1921, p. 281.

« Quand il s'agit de faire œuvre d'homme, d'engager toute sa destinée, on autorise à opérer d'une manière que l'on doit juger, à n'en point douter, déraisonnable pour des fins secondaires et d'une dignité très relative » (v. g. pour des placements d'argent).

Resp. Obligatio non venit a materia : « faire œuvre d'homme » (materialiter, i. e. independenter a rectitudine voluntatis circa finem debitum), sed a forma i. e. reverentia Deo debita ut fini absolute ultimo. Circa autem finem ex se necessarium, scil. ultimum, bona responsio apud Bulot invenitur (édit. 2ª, t. I, p. 49 obj. 3) : Non adversatur fini ultimo prosequendo deordinatio contra naturam vel transgressio legis, nisi quatenus est contra reverentiam Deo debitam. Porro ubi deordinatio, vel transgressio, post inquisitionem, non apparet certa, eam admittere tantum materialiter non est contra reverentiam Deo debitam : non enim videtur legislator divinus imponere hominibus obligationem concretam servandi ordinis vel præcepti incerti ; sed e contra certum est saltem moraliter deordinationem vel transgressionem mere materialem ei non displicere.

Optime confutatur D. Janssens a D. Hermigne (*Rev. Néo-scol.*, 1921, p. 41 sq.) et DD. Sentroul (*ibid.*, août 1923, p. 311 sq.). Cf. *Archives de philosophie*, loc. cit. in fine notæ præcedentis.

stabilitatis dominiorum ad pacem socialem[1]; nihil simile invenitur quoad legem (de auctoritate S^ti Alphonsi hac in re, vide supra in fine schol. I).

N. B. — 1) Multæ objectiones possunt retorqueri contra adversarios; si quid enim valerent, solus tutiorismus esset amplectendus.

2) De interpretatione quam P. Lehu proponit (p. 285) circa verba S. Thomæ : « nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti » cf. Lehmkuhl, *Prob. vindic.*, p. 24 et sq. et Catherin : Prob. 2. Lehu non probat Sanctum Doctorem hic agere de scientia sensu tantum lato qui ad notitiam etiam incertam extenderetur.

3) De periculo laxismi, si unusquisque judicat de probabilitate legis (Lehu, p. 288), retorquetur : eodem modo in systemate compensationis unusquisque judicare debet de hac probabilitate et de ejus gradu et de valore rationis excusantis[2], insuper vide notam supra : p. 167 : negatur suppositum, si agitur de probabilitate juris.

---

(1) Cf. infra : thesim 38^am de suicidio.

(2) Vide Ferreres, *Th. mor.*, t. I, p. 89, n. 146 sq.

CAPUT VI

DE PROPRIETATIBUS MORALITATEM CONSEQUENTIBUS

Istas proprietates sic resumit S. Thomas : « Actus bonus vel malus habet rationem *laudabilis vel culpabilis*, secundum quod est in potestate voluntatis ; rationem vero *rectitudinis et peccati* secundum ordinem ad finem ; rationem vero *meriti et demeriti* secundum retributionem justitiae ad alterum » (I^{a} II^{æ}, q. 21, a. 3, in fine c.).

De prima ratione, scl. *imputabilitatis*, jam dictum est (th. 12, de moralit. in gen. Schol. II). Satis erit dicere de *peccato* et de *merito*.

ARTICULUS I

DE PECCATO

§ I. — Notiones generales.

I^{a} II^{ae}, q. 71, a. 6 ; Lessius, *De div. perf.*, l. 13, c. 26.

Peccatum proprie et formaliter est « *trangressio libera legis divinæ* » seu, ut ait S. *Augustinus* (Cont. Faust. c. 27) : « *Dictum, factum vel concupitum contra legem æternam Dei* ».

Vocatur peccatum *actuale* ut distinguatur a peccato *habituali*, quod est ejus consequentia sc. deordinatio remanens in anima.

Patet rationem peccati esse *proprietatem* actus moraliter mali, cui notam addit *aversionis a Deo Supremo Domino seu fine absolute ultimo* (II^{a} II^{ae}, q. 104, a. 3, init. ; — cf. I^{a} II^{æ}, q. 21, a. 1).

Talis aversio ideoque *perfecta ratio peccati vere non est nisi in peccato mortali* quo Deum homo graviter offendit, quo-

dammodo contemnit, Ei præferendo creaturam. *Peccatum veniale est tantum deordinatio circa media et « retardatio a fine »* (cf. III^{a}, q. 87, a. 1 et 2); est præter et non contra legem [1]. Inde apparet *divisionem peccati in mortale et veniale esse in specie tantum analogas* (I^{a} II^{æ}, q. 88, a. 1, ad 1^{um}; cf. CATHREIN). Peccato mortali solvitur amicitia cum Deo, non peccato veniali.

Porro *ut actus malus censendus sit graviter offendere Deum*, et amicitia Ejus privare, evidenter *requiruntur* :

1° *plena rationis advertentia*,

2° *plenus consensus*,

3 *gravis materia*, sc. qua læsa « non remanet subjectio hominis ad Deum et fœdus humanæ societatis... », ut est v. g. si homo Deo non credat, Ei non obediat, homicidia committat (in II^{um} dist. 42, q. 1, a. 4).

§ II. — De peccato philosophico.

VIVÈS, *Trutina theol. th. damn.*, p. 3 : in th. 2. damn. ab Alexandro VIII, 24 aug. 1690. — LACROIX, *Th. m.*, t. II, n. 25, 49 sq. ; — LUGO, *de Incarn.*, d. V, s. V, VI ; — LE TELLIER, *L'erreur du péché philos. combattue par les Jésuites* (éd. sine nomine, Liège, 1691).

Hæc celebris quæstio cum thesi de obligatione est valde connexa. Cum autem de hoc altero problemate fuse scripserimus, ibi de peccato philosophico breves tantum notiones ponemus.

Sic vocaverunt quidam theologi (XVII saec.) deordinationem moralem quæ, ob defectum advertentiæ ad Deum, non esset ipsius offensa.

Eis videbatur S. Thomas hoc innuere (I^{a} II^{æ}, q. 71, a. 6, ad 5^{um}).

---

(1) Vide quomodo S. THOMAS explicet mendacium non esse contra præceptum Dei, et ideo nec mortale (II^{a} II^{æ}, q. 110, a. 4, ad 2^{um}) : i. e. non contra finem præcepti qui est dilectio Dei et proximi.

Attamen peccatum veniale adeo est condemnandum ut, potius quam committatur, omnia damna sint accipienda (II^{a} II^{æ}, q. 26, a. 4, c. et ad 2^{um} ; — q. 43, a. 7, ad 5^{um} ; — q. 110, a. 3, ad 4^{um}).

Est etiam *secundum quid* contra legem, *secundum quid* infinite malum (SUAREZ, *De peccatis*, disp. 2, sect. 5, n. 9 sq., ed Vivès, t. IV, p. 531).

Utrum autem in peccato veniali intendatur aliquis finis ultimus concretus, controvertitur (cf. RICHARD, *Dict. de théol. Vacant*, art. « Fin dernière », col. 2493, et auctores ibi cit.). — Negat GARRIGOU-LAGRANGE, *Revue thomiste*, mai-juin 1924, p. 314 sq. — Hæc notanda videntur : *a)* venialiter peccans non intendit objectum volitionis suæ actualis ut *finem simpliciter ultimum*, i. e. ut Summum et Absolutum Bonum, supra omnia amatum seu cum voluntate tum nihil amandi quod illi simpliciter repugnet, tum adhibendi omnia media quæ ab illo exigantur ; — *b)* recte autem dicit SUAREZIUS peccantem venialiter intendere indebite *finem secundum quid et negative ultimum*, i. e. quem non refert ad ulteriorem terminum (*De ultimo fine*, disp. III, sect. 4, n. 4 et 5, ed. Vivès, p. 35 ; cf. disp. I, sect. 6, n. 3, ibid., p. 13).

Porro *Alexander VIII (a. 1690) reprobavit propositionem sequentem : « peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi ; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat vel actu de Deo non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum ».*

Præterquam quod in hac sententia non distinguitur ignorantia (aut inadvertantia) *culpabilis* ab *inculpabili*, duo casus ibi spectantur : et ejus qui Deum ignorat, et illius qui Deum jam cognoscens de eo non cogitat ; non autem clarum est utramque partem disjunctionis, aut tantum secundam, certo falsissimam, in propositione damnari[1]. Unde in primo casu, sc. athei, quæstionem dirimere ad philosophos pertinet.

Ex dictis in th. 21 de atheo contendimus peccatum philosophicum raro posse evenire[2]. Nam, paucis forsan casibus exceptis ignorantiæ ad tempus invincibilis, vix homo potest moralem actionem saltem magni momenti ponere, quin ejus menti occurrat hæc quæstio : quid forte eveniet, si hoc adeo grave faciam ? Hinc sibi petit unde ipse existat et quasi necessario ducitur ad agnoscendum, probabili saltem cognitione, Auctorem et Dominum mundi suique ipsius, absolute reverendum. Porro in hoc statu perfecte jam obligatur, ut fuit explicatum, et nequit ordinem moralem scienter infringere, quin Deum formaliter offendat.

Circa ignorantiam invincibilem, cf. Suarez, *De pecc.*, d. 1, s. 1, n. 8 ; et d. 2, s. 2, n. 7 (cf. n. 2, 5 sq.) : ed. Vivès, t. IV, p. 517, 523.

ARTICULUS II

DE MERITO

I^{a} II^{æ}, q. 21, a. 3 et 4 ; q. 114 ; — Ferretti^{g}, t. I, p. 287 et sq.

1) *Notiones.*

Meritum in abstracto est aliquis titulus ad præmium. Meritum in concreto est actio meritoria.

---

(1) Sic Viva, ed. 15^{a}, p. 376, n. 22 sq. et Lacroix (ed. Ven. 1740) l. c., p. 8, 9 ; Scheeben, *Dogm.* (trad. Bélet), t. IV, p. 140. Propositio, ut jacet, ducit ad speclandum peccatum philosophicum ut quid frequens, et sic ad excusanda multa crimina a reatu pœnæ æternæ. In hoc est scandalum et periculosa doctrina. E contra admittere peccatum philosophicum dari per exceptionem apud atheos, si aliunde rejicitur istos posse in atheismo diu et præsertim per totam vitam remanere, non videtur periculosum.

(2) Et ejus malitiam necessario esse finitam.

Meritum dicitur *condignum, si præmium exigitur*. Dicitur *congruum, si præmium tantum decet*. In *primo* casu, merito respondet in præmiante *justitia saltem late dicta*, i. e. *saltem fidelitas* ; in *secundo* casu, tantum *liberalitas*.

2) ***De conditionibus meriti condigni.***

Ut exigatur « *retributio justitiæ* » (de qua S. Thomas l. c., a. 3). *Actio* meritoria *debet esse :*

1° *bona*, ut patet ;

2° *libera*, secus non esset imputabilis ;

3° *præbens utilitatem* vel *honorem* ejus apud quem dicitur meritoria ; secus posset forsan postulare donum, non autem exigere « recompensari » (q. 114, a. 1) ;

4 *a remuneratore saltem implicite aut tacite acceptata*. Seclusa enim tali acceptatione, non satis determinatur quanta retributio debeatur. Porro ratio debiti et retributionis supponit determinationem.

Insuper, si quamcumque utilitatem exhibere, per se retributionem, seclusa acceptatione, exigeret, jam per se noceret independentiæ præmiantis, per se damnum esset potius quam utilitas ; et tunc 3ª conditio realiter deesset. — Tandem societas humana impossibilis evaderet.

5° *non stricte debita titulo contractus ob utilitatem aut mercedem jam acceptam*. Nam præstare actionem sic debitam est restituere ordinem, et ideo non exigit retributionem, qua iterum ordo restauretur.

3) ***De conditionibus ut actio sit meritoria apud Deum.***

Eas exponemus duplici asserto :

1um ASSERTUM. — **Actio moraliter bona est apta ex se ut mereatur apud Deum.**

Patet ex considerationibus præcedentibus. Etenim *actio moraliter bona est ex suo conceptu :*

1° *bona,*

2° *libera,*

3° *tum directe cedens in honorem Dei, tum redundans in perfectionem universi cujus Deus est supremus Dominus,*

4° a Deo creante *ex se accipienda ad præmium*, scl. ad beatitudinem cum sit ex definitione conveniens naturæ, ideoque ex se ducens ad finem naturæ, secundum divinam ordinationem (cf. Schol. I et Im, IIæ, q. 114, a. 1, in fine corp.),

5° *non debita, saltem tanquam restitutio ob mercedem jam acceptam.* Hoc contra *Pufendorf* aliosque objicientes hominem nihil præbere Deo quod Ei non sit debitum.

Quærendum manet, relate ad 4am conditionem, quid sufficiat ut actus honestus *de facto* a Deo accipiatur ad præmium. Hinc :

2um ASSERTUM (saltem multo probabilius). — **In ordine naturali (sicut in supernaturali) sufficit ad meritum, præter honestatem actus, status amicitiæ cum Deo.**

Actus autem est honestus quoties actu aut vi præcedentis volitionis (influentis in positionem actus) tendit ad aliquod bonum hominis conscie, libere, sine deordinatione (cf. th. 13, 15, 16).

Hoc assertum patet ex eo quod actus honestus ;

1° *Ex natura sua referibilis est ad Deum.*

2° *De facto in Deum refertur, si agens est ejus amicus.*

Nulla apparet ratio requirendi ad meritum ordinationem magis explicitam in Deum, cum jam actus habeat plenam bonitatem (cf. IIa IIæ, q. 23, a. 7. — Suarez, *De Gratia*, l. XII, c. 9, speciatim n. 7 ; cf. c. 10, n. 21 sq.), et ideo omnino videatur acceptus a Deo ad præmium vi destinationis naturæ ad beatitudinem et plenæ convenientiæ inter actum et naturam (tum intrinsece tum extrinsece).

Diserte hanc doctrinam tradit S. Thomas (in II, d. 40, q. 1. a. 5, ad 6um ; — De malo, q. 2, a. 5, obj. 11 quam omnino concedit, et in multis aliis locis (cf. Ballerini-Palmieri, *Theol. mor.*, t. I, n. 180 sq.). Sic v. g. in quæst. de malo, l. c., habet :

« *Constat quod ille qui habet caritatem se et omnia sua ordinavit ad Deum, cui inhæret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam deordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum* ». Nec minus clarus est textus indicatus in IIum lib. sent.

Ratio evidenter valet in ordine naturali, etsi caritas proprie dicta ibi locum non habeat.

N. B. — Immerito objicerentur textus qui aliam conditionem meriti viderentur requirere, sc. *imperium* aut intentionem *virtualem* amoris. Hæ voces non idem significant apud S. Thomam et nos :

1° De *imperio* habet (in III, dist. 27, q. 1, a. 4, q. 3) : « *Quod caritas sit motor omnium aliarum virtutum, ex hoc patet quod ipsum bonum, quod est objectum caritatis sub ratione finis, est finis virtutum..... Et secundum hoc* (caritas) *dicitur earum actus imperare*[1] ».

(1) Igitur *natura sua* caritas imperat virtutes, eo sensu quod istæ *natura sua* ordinantur ad illam. Sed inde non sequitur meritum requirere ut caritas influat psychologice in actus honesti *exsistentiam* per modum *motivi*.

(Cf. etiam : *De caritate, q. disp.* unic., a. 3, in fine corp. ; — IIª IIæ, q. 23, a. 8).

2° Secundum ipsum *virtualiter* referre suos actus ad Deum est agere propter finem inclusum sub ordinatione præcedenti et non retractata ad Deum, sive actus ponantur vi talis ordinationis sive non. Secundum nos è contra intentio virtualis includit influxum in positionem actus : cf. cap. I, art. 3 (vide : Frins, II, p. 309-312[1]).

Testimonium aliorum doctorum habes apud Ball.-Palmieri (*op. cit.* p. 111). *De adversariis,* Frins (II, p. 295, 301).

Quidquid est de solutione, non agitur tantum ibi de liceitate agendi ; non satis est opinionem probabilem, imo multo probabiliorem sequi in agendo, ut acquiratur meritum : hoc enim pendet ab acceptatione Dei, igitur ab ejus Sapientia, non autem nostra. (Inde non est negligenda speciatim opinio Suarezii qui in ordine gratiæ requirit ad meritum motivum actuale aut virtuale supernaturale non necessario caritatis : cf. *de gratia,* l. XII, c. 10, n. 15 sq.[2]).

---

(1) Attamen via media forsan a Doctore Angelico innuitur. In II d st. 38. q. 1, a. 1, ad 4um, hoc habet : « ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus vel caritas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo vel caritate cogitet, nec iterum sufficit quod aliquis, in habitu tantum, Deum et caritatem habeat, quia sic etiam actum veniatis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est ; sed oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est caritas vel Deus, et quod *ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit : ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur,* ut patet in exemplo quod Avicenna ponit de artifice, qui si, dum opus suum exerceret, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur : sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur, et sic in opere ejus rectitudo salvatur » (cit. partim ap. de la Barre, p. 17).

Si esset revera *tertia* conditio ibi asserta præter duas contentas in textu cit. de Malo, potius sequendus esset S. Thomas maturior, qui ceterum idem dicit ac in II, dist. 40. Sed videtur conditio nunc descripta includi in duabus aliis : scl. *rectitudo ordinationis in Deum salvatur ex inhæsione Deo per caritatem habitualem et ex convenientia actus cum natura,* et in argumento 2ª asserti probatum est.

1° Nota : « excogitare per regulas artis » addere quandoque naturæ ; regulæ autem ordinationis in Deum sunt ipsæ regulæ naturæ, quoties de lege naturali sola agitur. (Celui qui aime Dieu, s'ordonne à Dieu, souscrit ainsi aux règles de la nature adéquate qui expriment la volonté de Dieu, dirigent de soi vers Dieu).

2° Igitur qui Deo inhæret per caritatem, inhæret, vi istius, regulis naturæ, nisi retractaverit hanc dispositionem. Et ideo *quando agit postea secundum naturam, potest dici ita agere ex influxu caritatis, quatenus per eam amplexus est regulas naturæ. Caritas præbet motivum et quidem omnino primarium amandi bonitatem moralem, præterquam quod aliquando tollit aut prævenit deordinationes ex sola vi habitus.*

(En d'autres termes, la charité influe, sinon sur la position même de l'acte, — ce qui pourrait encore s'expliquer, — au moins sur le mode, non seulement d'une façon négative, par la suppression des désordres auxquels on était ou aurait pu être incliné, mais d'une façon positive, puisque l'amour de l'ordre naturel, de la convenance relative à la nature adéquate, a été ou provoqué, ou tout au moins renouvelé, fortifié, épuré, transformé par l'amour de Dieu, même si l'on ne pense plus actuellement à la charité. Ainsi peut être intégralement compris l'exemple que plus haut nous empruntons à S. Alphonse, th. 13, part. 2, obj. 2).

(2) Cf. Lehmkuhl (1910, I, p. 211) ; dicit : « est sententia satis communis theologorum » ; sed Pesch hanc non tenet ; cf. *Præl. dogm.* III, n. 656 sq., 663 ; et *Comp.* III, p. 210.

COROLL. — Inde *in statu amicitiæ cum Deo*, nullus actus deliberatus est indifferens *respectu meriti aut demeriti*, cum omnis actus malus dominio Dei adversetur et ideo aliquam pœnam exigat.

SCHOL. I. — *Controvertitur num præmia a Deo debeantur titulo justitiæ commutativæ.* Affirmant S. Bonaventura, Suarezius (op. *de just. Dei*, sect. 5); negant S. Thomas (I^{a}, q. 21, a. 1 et I^{a} II^{æ}, q. 114, a. 1 ad 3^{um}), Albertus Magnus, Scotus, de Lugo (*De Incarn.*, disp. 3), Lessius (*De div. perf.* l. 13, c. 2) et alii.

Suarezius ut explicationem affert creaturas rationales posse a Deo accipere jus ad retributionem, quod tamen remaneret sub dominio supremo Ipsius (ed. Vivès, t. 11, p. 538, n. 29; — cf. p. 579, n. 6)[1].

Respondemus hoc jus cum tali conditione videri nugatorium, aut praedictam conditionem non satis salvari. Melius videtur cum S. Thoma esse dicendum justitiam commutativam involvere imperfectionem, sc. rationem debiti erga alterum, hinc in Deo repugnare. Deus sibi tantum debet fidelem esse promissionibus quas ordinatio hominis ad Ipsum implicite continet. Imo, ut recte notat Suarezius priori loco, modus divinus agendi potius dicendus est stabilitas et immutabilitas quam alia perfectio.

SCHOL. II. — Meritum eo majus est quo majores sunt *bonitas, libertas, diuturnitas actus, dignitas agentis.*

Difficultas non auget meritum, nisi ex eo quod bonitas actus sæpe ratione conatus fit major; si e contra ob difficultatem voluntas remittitur, meritum decrescit (In II, dist. 40, q. 1, a. 3).

Eadem fere ratione, actiones exteriores per accidens tantum in meritum influunt (ibid.).

---

referens ad II^{ae} II^{ae}, q. 10, a. 4, ad 2^{um}, collata mente S. Thomæ de necessaria intentione finis ultimi.

Defenditur opinio Suarezii ex eo quod actus *specificantur* ex objectis. Porro ut sit meritorius in ordine gratiæ, actus debet esse *supernaturalis.* — *Resp.* Ibi agitur de *ordine*, non de *specie* intra limites *naturæ.* Ubi homo agit mere ut homo, determinatio actus est explicanda *secundum naturam hominis*; ubi Deus supernaturaliter concurrit, partim explicatio desumenda est ex concursu supernaturali Dei, i. e. *gratia.*

(1) Cf. de Scorraille, *Vie de Suarez*, I, p. 302.

CAPUT VI

DE JURE

II^{a} II^{ae}, q. 57, a. 1. — De Lugo, *De justitia et jure*, disp. 1^{a}. — Vermeersch, *Quæstiones de justitia* ; — DD. Pottier, *De justitia* ; — Cuche, *En lisant les juristes philosophes* (1919, optime) ; — Bourgès, *Le Romantisme juridique* (1922, etiam valde commendatur) ; — Documenta recentia invenies apud Lévy-Ullmann, *Eléments d'introduction générale à l'étude des sciences juridiques*, I. *La définition du droit* (1917) ; — Davy, *Le droit, l'idéalisme et l'expérience* (1922) ; — Lucien-Brun, *Etudes*, 5 déc. 1924, p. 515 sq., Les théories modernes dans la philosophie du droit.

Ad compiendam Ethicam generalem, spectandum est jus, cujus præsidio libertas hominis protegitur in observatione ordinis moralis[1].

ARTICULUS I

DEFINITIONES

1) De vocis significatione[2].

Juris nomen significat :

1° *Justum seu debitum* titulo justitiæ commutativæ, et minus proprie debitum titulo justitiæ latius intellectæ ;

2° *Legem*, præsertim juridicam, i. e. quæ spectat ordinem justitiæ *(jus præceptivum)* ;

3° *Facultatem legitimam seu moralem aliquid agendi vel exigendi (jus dominativum).*

Ex primo sensu duo posteriores derivati sunt. Tertium præ-

---

(1) Hæc finalitas juris, de qua loquimur in art. II, non est ejus formale constitutivum.

(2) In opere *La philosophie du droit*, Pinard multas definitiones juris citat (t. I, p. 54), sed non satis distinguit significationes valde diversas. Parum autem utile videtur directam crisim instituere omnium definitionum quæ a diversis proponuntur (cf. recentes auctores citati). Ad quas evincendas, forsan satis erit totam quæstionem ex principiis Scholæ communibus breviter exponere. Vide etiam Cuche et Bourgès.

sertim in hoc capite spectamus (de his vocibus vide SUAREZIUM, *De leg.*, l. 2, c. 14, n° 16 ; c. 17, n° 2). Tres autem significationes relationem habent cum justitia. Speciatim conceptus justitiæ commutativæ et juris dominativi ita sunt correlativi ut unus sine altero adæquate intelligi nequeat, et non est circulus, dummodo ambo ultimo explicentur ex aliqua notione independenti, ut fit in thesi sequenti.

2) DE JURE DOMINATIVO.

THESIS XXXII. — Jus dominativum sensu stricto recte definitur « potestas moralis in rem suam ».

DECLARATIO

Aliud non intendimus nisi *conceptum communem declarare. Jus dicitur* :

1° « *Potestas* » et sic ab officio distinguitur ;

2° « *moralis* ». Non est enim vis physica sed quid spirituale et pertinens ad ordinem morum, nempe præter libertatem moralem seu immunitatem a prohibitione, intra quosdam limites et in ordine justitiæ commutativæ, addit inviolabilitatem, seu connotat in aliis officium talem potestatem agnoscendi. Magis præcise, « habeo jus » significat : hoc possum quin ulli denegem « suum » et nemo potest hoc impedire quin mihi deneget quod debetur mihi ut « meum ».

3° « *In rem suam* », quo designatur *objectum* juris. « *Dicitur esse suum alicujus quod ad ipsum ordinatur* » (I^a, q. 21, a. 1, ad 3^um). Res autem *ordinatur* ad *subjectum* juris (seu ad eum qui jus habet), vi cujusdam *exigentiæ* physicæ vel moralis. Sic membra ususque eorum, libertas exiguntur a natura humana physice ; fructus activitatis, bona accepta, fama, benevolentia amicorum, moraliter. In hæc omnia, homo *determinatus* jus habet ut ad eum *determinate ordinata*[1] (Vide th. 34 ; — cf. ARIST., *Pol.*, l. I, c. 3).

Sic notiones *justitiae, debiti* et *juris* explicantur ex notione « *sui* », quae ipsa reducitur proxime ad notionem *ordinationis*

(1) CATHREIN, secundum LUGO, addit : a) « *primario* », b) « *in ejus utilitatem* ». Hoc restrictione indiget. Nihil ordinatur primario et *absolute* ad hominis utilitatem, etsi jura possidet : Deus enim est finis primarius *absolute*. Ex alia parte Deus habet jura suprema Domini ; nihil tamen ordinatur in ejus *utilitatem*. Et quidem in juribus humanis invenitur aliqua ordinatio *primaria* ad subjectum juris, sed *relative, respectu aliorum hominum*, non absolute. Hoc æquivalenter dicimus, ponendo jus esse potestatem « *inviolabilem* » et magis præcise loquendo de ordinatione *determinata* rei ad talem hominem : v. g. proprietarius determinatus præferendus est aliis in usu rei suæ, i. e. determinate ad eum ordinatæ.

seu *finalitatis*, remote ad notionem *exigentiæ*; cf. Iª, q. 21, a. 1, ad 3um : « *unicuique debetur quod suum est. Dicitur autem esse suum alicujus quod ad ipsum ordinatur... In nomine ergo debiti importatur quidam ordo exigentiæ vel necessitatis alicujus, ad quod ordinatur* ».

Vide totam 3am responsionem S. Thomæ, l. c.

SCHOL. I. — *Duplex elementum juris discernendum est : elementum materiale :* quod est « *suum alicujus* » ; — *elementum formale : potestas inviolabilis* in suum.

Si *exigentia*, cujus ratione res ad subjectum ordinatur, est *relativa, imperfecta tantum, ut semper est ex parte creaturæ, fundare nequit nisi jus relativum et imperfectum quod exigentia superior irritum facere posset.*

Unde, sicut ad merito agnoscendam obligationem perfectam, spectare oportet exigentias absolutas divinæ Excellentiæ, ita etiam ad agnoscendum jus perfectum et pleni valoris.

Istæ igitur exigentiæ ontologicæ, quæ, ut perfectio simplex, Deo competunt, sunt quasi clavis totius ethicæ ; fundant ultimo finalitatem absolutam hominis erga summam Bonitatem (cf. th. 1), *explicant omne jus, sive imprimis Dei* (cf. art. 7, infra), *sive hominis* (cf. th. 34), *omnemque obligationem* (cf. th. 21 et th. 25).

SCHOL. II. — Jus in hac thesi definitum respondet *justitiæ commutativæ.*

Formula tamen *latius* intellecta applicari potest juribus quæ aliis speciebus justitiæ respondent. Ita *jure justitiæ legalis,* communitas perfecta potestatem habet in media boni socialis procurandi, ut aliquomodo « *sua* ». *Jure justitiæ distributivæ,* membra communitatis potestatem habent aliquomodo exigendi, *tanquam sibi debitum,* seu ad ipsorum bonum ordinatum, ut onera et munera socialia distribuantur pro ratione virium et meriti (quamvis non eis liceat vi physica hoc extorquere : cf. infra th. XXXIII part. 2).

SCHOL. III. — Jus et obligatio illud reverendi inter se habent necessariam correlationem et sunt simul tempore. Natura autem *jus* est prius *obligatione illud reverendi ;* nam erga alterum sum obligatus quia jus habet, et non vice versa. Dicimus autem : « *obligatione jus reverendi* ». Seclusa enim hac præcisione, tres sunt series distinguendæ : 1° quia Deus habet suprema jura, obligamur erga Ipsum ; 2° quia obligamur erga Ipsum, jura possidemus quae nos protegant in nostra tendentia libera ad Finem debitum ; 3° quia jura possidemus, alii erga nos habent *officia* (Vide art. VI infra).

N. B. — Cum tendentia ad finem debeat esse libera, jura nostra, etsi obligationibus erga Deum respondent, non tamen per se pendent a modo quo istas observamus (cf. Cuche, *op. cit.*, p. 120). Hoc principium erit speciatim applicandum circa jus proprietatis quod aliqui extenuant et reducunt ad munus sociale (« une fonction sociale [1] »).

Ad objectiones. 1° Præter *notionem strictam* « *sui* », non negamus hanc vocem sæpe *sensu latiori* adhiberi : v. g. pater « suum » vocat filium proprium, qui tamen ad patrem non ordinatur.

2° Non adest jus ullum, quin ejus subjectum habeat aliquid ut *suum*, sed hoc potest esse vel proprie res aliqua, vel v. g. usus rei : sic habeo jus incedendi in via publica, eo sensu quod via est ad usum omnium et quod exercitium meorum membrorum est meum.

ARTICULUS II

DE FINE JURIS

Finis juris justitiæ commutativæ est *libertas et independentia* cujusque. Ad hoc enim requiritur et hoc natura sua obtinet.

Eodem modo apparet *finem juris justitiæ legalis* esse *bonum communitatis perfectæ ; finem juris justitiæ distributivæ* esse *membra tueri contra communitatem.*

Insuper *finis remotus, communis omnium jurium* istorum, est *constituere et servare ordinem socialem, ut quisque suum quiete possideat et congrue suos fines prosequatur.* (cf. Taparelli, l. II, c. 3 ; Meyer[2], t. I, p. 374).

---

(1) La théorie *générale* du *droit fonction* a notamment comme ardent promoteur M. Duguit, dont les nombreux ouvrages sont connus : *Traité de droit constitutionnel, — Le droit social, le droit individuel et la transformation de l'Etat, — Les transformations générales du droit privé,* — etc.

Il n'a trouvé grâce ni devant les représentants de la pensée traditionnelle, comme Cuche, Bourgès, ni devant les individualistes, ni même devant des disciples du sociologue Durkheim, comme Davy. Celui-ci le résume bien : « Dans son ardeur à repousser toutes les théories métaphysiques, il refuse de reconnaître aucun droit ni à l'individu ni à la collectivité comme tels... La déclaration des droits et tous les codes modernes reposent sur une conception purement individualiste du droit : aujourd'hui s'élabore un système juridique fondé sur une conception sociale... ce nouveau système qui est d'ordre réaliste, et non plus métaphysique tend à s'établir [d'après les termes mêmes de M. Duguit] « sur la constatation du fait de fonction sociale s'imposant aux individus et aux groupes » (Davy, *Le droit, l'idéalisme et l'expérience*, p. 28). Seulement à ces innovations il faut opposer autre chose que la théorie sociologique des valeurs : voir plus bas.

ARTICULUS III

DE COACTIVITATE JURIS

THESIS XXXIII. Jus generatim adnexam habet coactivitatem, quæ intra societatem recte constitutam per se a sola auctoritate publica est exercenda. — Nec in coactivitate — nec a fortiori in actuali cogendi possibilitate jus essentialiter consistit.

STATUS QUÆSTIONIS

Sicut jus dominativum, *coactivitas* est *potestas moralis*; sed dum jus ex se aliis non imponit nisi ligamen morale, coactivitas ut objectum habet *vim physicam in alios exercere.*

Agitur in thesi de jure tum *præceptivo* (*lege*), tum *dominativo (facultate morali*).

Nota theseos : Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I[a] : Jus generatim adnexam habet coactivitatem.

PROB. — Seclusa coactivitate, jus generatim ab aliis reverentiam non satis obtineret, et sic foret inutile.

Ergo...

PARS II[a] : Coactivitas intra societatem...

PROB. — Bonum commune societatis, ad quam homo naturaliter ordinatur, bono privato prævalet. Porro bonum commune, ordo nempe et pax socialis, per se exigit ne intra societatem recte constitutam privatis liceat sua jura per vim physicam defendere.

Ergo...

N. B. — Extra societatem recte ordinatam, aut in casu urgentis necessitatis, v. g. actualis et injustæ aggressionis, privati generatim coactione uti possunt, quin tamen habeant proprie jus gladii (Vide th. XL).

PARS III[a] : Non in coactivitate jus essentialiter consistit.

PROB. — 1° Sive de lege, sive de facultate morali agatur (jure præceptivo aut dominativo), effectus immediatus juris

secundum conceptum communem considerati[1], est obligationem imponere et vis physica non exercenda est, nisi talis obligatio violetur.

Ergo coactivitas est tantum proprietas subsidiaria juris.

2° Non omne jus dominativum est coactivum : v. g. jus quod habes ne ab aliis absque ratione malus judiceris.

3° Privati detinent jura multa et tamen plerumque coactivitatem ipsi non detinent, ut constat ex 2ª parte.

PARS IVª. — Nec in actuali cogendi possibilitate...

PROB. — 1° Sunt jura quæ nullo modo possunt actu protegi, ut patet in multis aggressionibus injustis.

2° Multa defendi non possunt ab individuis quæ ea detinent, sed tantum a societate.

Cf. ANTHONY, *La force et le droit* (1917), contra Germanorum theorias ; — *item :* FLACH, *Le droit de la force et la force du droit* (discours) ; — multo melius ALBERT VALENSIN, *Les doctrines de la force,* cours à la Semaine Sociale de Strasbourg 1922.

ARTICULUS IV

DE EXISTENTIA ORDINIS JURIDICI NATURALIS

THESIS XXXIV. — Exsistit ordo juridicus naturalis ex se validus.

II ª II ªᵉ, q. 57, a. 2 ; — In V Eth., l. 12 ; — MEYER, I ª, n° 557 et sq. ; — Quoad Scholam historicam : DE CEPEDA, *Droit nat.* (trad. Onclair), p. 143 et sq. ; — *Grand dict. univ. et Grande Encycl.* circa nomen : de Savigny.

STATUS QUÆSTIONIS

1) Vocatur « *ordo juridicus* » : *complexus tum jurium justitiæ sive commutativæ, sive legalis, sive distributivæ, tum legum et officiorum quæ illis correspondent.*

2) *Omnes* admittunt dari ordinem *aliquem* juridicum ; sed *quæstio est, num naturalis detur.* Hoc affirmamus ; multi negant et eorum sententia *positivismus juridicus* vocatur.

---

(1) Circa *exsistentiam* juris ita intellecti, vide thesim sequentem.

Sunt :

a) ii qui tenent *positivismum moralem*, i. e. qui rejiciunt naturale discrimen inter bonum et malum morale ;

b) ii qui jura derivant ex *civitate*, ut Hobbes, Bentham, aliique ;

c) aut ex aliquo *pacto*, tacito aut expresso ; sic Rousseau ;

d) tandem *schola historica* cum suo fundatore F. C. de Savigny (1779-1861) et « *suo philosopho* » Stahl (1802-1861). Secundum Germanos istos, *jus totum hauriretur ex duplici fonte historico, lege publica* et *consuetudine*, quarum posterior dignitate et auctoritate priori prævalet. Dein jus evolutione transformaretur. Essent tamen normæ altiores quibus conforme esse debet, et quas philosophi olim jus naturale vocabant (vide Meyer, de Cepeda, et alios, loc. cit.).

Visum fuit istud systema reactio contra subjectivismum Kantii et contra falsum jus naturale revolutionis gallicæ. Inde ejus favor apud multos doctores « conservativos », imo apud catholicos. Successit etiam apud certos prius adversarios, i. e. apud fautores falsi juris naturalis qui olim contra legitimum et historicum rerum ordinem conspiraverant, sed qui gubernaculis adeptis, majestatem legis pro se invocare studuerunt (Meyer, n° 549, 555, 556).

Nota theseos : Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — Sufficit probare *quædam existere jura naturalia.* Sequetur *officia* correspondentia et *legem* ea imponentem etiam naturalia esse : quod cæterum patet ex præcedentibus capitibus.

Porro independenter a lege positiva admittendum est *jus justitiæ* tum 1° *commutativæ*, tum 2° *legalis*, tum 3° *distributivæ.*

Prob. 1^um. Independenter a lege positiva homo habet *potestatem moralem in multa tanquam sua ;* ergo jus justitiæ commutativæ (cf. Th. 32).

Etenim 1° multa *vi naturæ ordinantur ad hominem*, saltem sub respectu utilitatis, vg. membra, libertas et activitates naturales quæ ad vitam individualem spectant. Homo, ut dictum est, est sibi *finis ultimus cui*, non gloriæ sed utilitatis (Th. 1. coroll.).

2° in ea veram possidet potestatem moralem. Nam

a) voluntatem habet naturaliter libertate præditam ;

b) nulla prohibitione morali per se impeditur quin de « suis » disponat secundum eorum naturalem ordinationem ;

c) ordo naturalis exigit ut cuique « sua » tribuantur.

Ergo...

Prob. 2^{um} et 3^{um}. — Ea omnia sunt naturalia quæ per se requiruntur tum *a*) ad exsistentiam, ordinem et prosperitatem societatis civilis, cum ista sit naturalis : tum *b*) ad rectam subordinationem istius societatis erga bonum membrorum (cf. infra de orig. et fine soc. civilis).

Ergo naturalia sunt tum (*a*) jus societatis civilis ad exigendam cooperationem civium in bonum commune ; tum (*b*) jus civium ne onerentur supra vires.

ARTICULUS V

DE RELATIONE INTER ORDINEM JURIDICUM ET MORALEM

THESIS XXXV. — Ordo juridicus est pars ordinis moralis. — Speciatim rejicienda est Kantii theoria de eorum separatione.

Meyer, t. I^{a}, n° 507 ; — Costa-Rossetti, p. 232 ; — de Cepeda, p. 109 ; — Taparelli : Introd. p. XV-XVIII. — Kant, *Doctr. du droit*, trad. Barni, p. 42 sq. ; — *Fond. métaph. des mœurs*, trad. Delbos, Introd., p. 65.

STATUS QUÆSTIONIS

1) Post Thomasium, Kantius ordinem juridicum ab ordine morali sejungit.

Secundum suam theoriam de *ratione autonoma* negare debebat hominem a *legislatione externa obligationem directe accipere* (cf. infra *De fals. syst.*).

Sed *libertas externa* est complementum necessarium independentiæ *internæ. Ut omnes libertates externæ coexistere possint, requiritur externa lex, quæ ordinem juridicum statuit et ad eam servandam non obligat sed physice cogit.*

Indirecte tantum adest obligatio servandi ordinis juridici, ex dictamine rationis autonomæ, denuntiantis necessitatem ea faciendi quæ lex externa præscribit.

Ita *ordo juridicus* ex fonte mere externo procedens, *connectitur indirecte tantum cum ordine morali* quia voce interna rationis manifestatur.

Unum tamen est jus innatum, in omnibus aequale, sc. jus libertatis.

2) « *Philosophus scholæ historicæ* », STAHL separat etiam ordinem juridicum ab ordine morali. Sed *repetit fontem obligationis juridicæ ex ipsa legislatione externa*. Esset quidem ulterior et suprema ratio qua auctoritas legislatoris nititur, sc. « *Ordo divinus mundi* », sed istius præcepta essent postulata tantum (MEYER, t. I, n. 553).

3) Contra istas assertiones, partim et implicite thesis jam probata est in quæstione de lege positiva (th. 27).

Nota theseos : Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I^a^. — Ex conceptu ordinis moralis.

PROB. — Ordo moralis universus includit omnem normam objectivam necessariam aut saltem utilem ut mores hominum recti sint.

Atqui ordo juridicus totus versatur in dirigendis hominum moribus per normas objectivas quæ vel absolute exiguntur a natura sociali hominis, vel ei sunt utiles secundum diversas circumstantias.

Ergo... (cf. MEYER, n. 507 et sq ; — aliud arg. : CATHREIN, th. 42, Prob. 2).

PARS II^a^. — Contra Kantium.

PROB. — 1° Refutatur jam Kantii doctrina ex 1^a^ parte theseos.

2° Insuper Kantius non recte concipit jus dominativum seu strictum. Negat enim jus esse quid morale : quod supra ostendimus esse admittendum (cf. art. I).

3° Immerito auctoritati externæ denegat vim obligandi (cf. th. 27).

4° Falso asserit adesse obligationem (ex dictamine rationis) obediendi legislationi externæ, etiam ordini ethico oppositæ (cf. th. 28).

5° Errat circa finem legis externæ, qui est non tantum libertatem externam tueri, sed bonum commune procurare (cf. infra Th. de fine civitatis). Insuper non requiritur omnes æquali libertate frui, ut praetendit (cf. Th. de socialismo : part. I, 3).

6° Sibi contradicit, nam admittit jus non esse nisi facultatem cogendi, hinc non dari extra civitatem, et tamen agnoscit jus innatum libertatis, prorsus inalienabile.

COROLL. — *Rejicienda est ergo divisio philosophiæ moralis in ethicam et jus naturæ,* accipiendo jus istud tanquam doctrinam de ordine juridico. *De adversariis,* cf. TAPARELLI, Introd., loc. cit. : bene ostendit Kantium non potuisse vitæ socialis regulas subjicere dictamini rationis *cujusque,* hinc debuisse, dato suo falso systemate morali, duos ordines sejungere.

Pour une réfutation plus complète du fidéisme ou du volontarisme moral, nous renvoyons surtout à Janssens, *Le Néo-criticisme de Ch. Renouvier* (Louvain, Inst. sup. de phil., 1904), ch. VI, p. 259 sq., très plein et d'une grande clarté. Voir aussi Gillet, *La val. éduc. de la mor. cath.* : sur le volontarisme, p. 232 sq., plus nuancé ; — Moisant, *Etudes*, 1902, t. I, p. 533, 700 : L'*Alternative philos.* d'après M. Renouvier ; — Roure, *Doctr. et probl.*, p. 124 sq., *Anarchie mor.*, p. 105 sq. ; — Piat, *Insuff. des phil. de l'intuition.*

Sur la solidarité bien ou mal fondée, voir d'excellents développements dans Lahr [24], II, p. 90, 208.

Philosophie de Spencer (trad. de Varigny) ; — Halleux, *L'évolutionisme en morale* — Brunetеau : *Dict. apol.*, art. « Evolution » ; — Roure, *Doctr. et problèmes.*

5) Ribot, *Phil. de Schopenhauer* ; — Ruyssen, *Schopenhauer* ; — Caro, *Le pessimisme* ; — Brunetière, *Essais sur la litterature contemp.* ; — Desdouits, *Philosophie de l'Inconscient* ; — Roure, *Etudes*, 1905, t, II. p. 510 ; du même, *Dict. apol.* ; art. « Pessimisme ». — Alia apud Farges, op. cit. p. 453 in nota.

Notiones.

Utilitarismus est doctrina quædam de criterio boni moralis.

Positivismus est scientifica methodus metaphysicam excludens.

Evolutionismus est theoria generalis circa genesim universi secundum positivistam methodum confecta.

Nihil impedit quominus iidem simul hæc tria plus minusve propugnent.

Positivismus et Evolutionismus confutantur ex aliis partibus philosophiæ : ad ethicam pertinet præsertim crisim instituere Utilitarismi ; cætera autem, in quantum moralia problemata tangunt, potius exponere quam profunde impugnare.

DE UTILITARISMO PROPRIE DICTO

Secundum Utilitaristas (Epicurum, Bentham[1], St. Mill, etc.) *felicitas*, i. e. *fruitio* et quidem *intra limites hujus vitæ* spectata esset *summum bonum hominis*, exindeque *criterium boni moralis.*

Actiones humanæ essent bonæ vel malæ moraliter prout ducunt vel non ad felicitatem sive privatam, sive socialem[2].

Contra talem doctrinam ponamus sequens assertum, ut metaphysice certum.

Assertum. — *Sententia quæ felicitatem sive privatam, sive publicam hujus vitæ statuit esse normam honestatis, rejicienda est.*

PROB. Hæc sententia : 1° tendentias fundamentales et adæquatas hominis non agnoscit ; 2° non explicat universalitatem et constantiam judiciorum moralium circa quasdam actiones ; 3° saltem implicite negat Deum, futuram vitam, veram destinationem hominis.

Ergo,..

---

(1) Bentham, etsi sanctionem religiosam *in se bonam* æstimans, putat eam esse in praxi *inefficacem* (cf. Carrau, *op. cit.* p. 190 sq.).

(2) On trouvera de clairs et amples renseignements sur les divers représentants de l'Utilitarisme dans le bel ouvrage de Carrau (cf. plus haut la Bibl.). Tous les noms s'y groupent autour de celui de Bentham regardé comme l'organisateur de l'utilitarisme scientifique, encore qu'il ne soit pas l'inventeur de la doctrine. L'ouvrage de Stuart Mill est un exposé bref et de lecture facile.

Quoad 1^um. Non agnoscit nisi tendentiam ad fruitionem. Porro homo tendit ad perfectionem propriam, ad possessionem, ad gloriam Dei.

Quoad 2^um. Felicitas sive privata, sive publica non universaliter et constanter obtinetur iisdem mediis ; speciatim quædam actiones quas omnes æstimant esse bonas, amor Dei, velle mori pro patria, non procurant semper fruitionem temporaneam saltem proportionatam.

Quod si objicitur qualitatem, non intensitatem fruitionis esse considerandam, jam — *a*) criterium propugnatum, i. e. felicitas præcisive spectata, mutatur in aliud et — *b*) hoc novo criterio uti nequit qui positivismum tenet, nam qualitas non dijudicari potest ab eo qui rejicit notiones absolutas, vg. convenientiam ad naturam. Porro Stuart Mill, qui proponit qualitatem considerari, positivismum tenet.

Quoad 3^um. Non curare de his realitatibus metempiricis est implicite et practice eas negare, nam data saltem earum probabilitate oportet primum de eis inquirere dum agitur de vita dirigenda.

DE POSITIVISMO AUG. COMTE

Alibi *neo-positivistæ*, i. e. Durkheim aliique confutati fuerunt, ibi autem de Aug. Comte disserimus, quia admittit, illogice quidem, obligationem et normam objectivam, sc. normam Utilitarismi[1].

La doctrine d'Aug. Comte, sa méthode et son traditionalisme inconséquent se résument dans cette phrase de Lévy-Brühl : « La morale de Comte peut être présentée comme la forme positive de la morale de l'ordre universel. » (Lév. B : *la philos. d'Aug. Comte*, p. 364).

Il y a un ordre universel, auquel l'humanité est soumise. Elle débute nécessairement par l'état théologique ou fictif, elle passe par l'état métaphysique ou abstrait et parvient à l'état positif ou scientifique. C'est la fameuse « loi sociologique » qui régit chaque individu comme la société toute entière. D'ailleurs, les faits sociologiques et moraux s'encastrent dans des séries successives, qui, selon l'ordre de généralité décroissante, sont les phénomènes physiques, organiques, psychologiques. Les lois de chaque catégorie s'appliquent évidemment aux catégories plus restreintes contenues dans la première. Les sciences se trouvent ainsi « hiérarchisées ».

Le progrès nécessaire de la vie sociale et morale peut seu-

(1) Sur le positivisme, rien ne semble valoir le didactique et lumineux ensemble présenté par le P. Grüber (trad. par l'abbé Mazoyer).

lement être accéléré ou retardé par l'exercice de la liberté humaine (ALENGRY, *La sociologie chez Aug. Comte*, p. 180). *Ici le devoir trouve sa place ; il consiste à faire converger le mouvement systématique avec le mouvement spontané. De la sorte, la suprématie mentale s'impose à l'ensemble des phénomènes, sans que le déterminisme en soit troublé* (GRUBER, p. 151 sq., p. 167).

Cette morale de l'ordre est dominée par la grande idée de l'humanité, vers laquelle s'oriente toute l'évolution ; l'idée de Dieu est écartée.

Comte insiste sur le caractère altruiste de l'éthique et sur la prépondérance du cœur sur l'esprit. « Vivre pour autrui devient, chez chacun de nous, le devoir continu qui résulte rigoureusement de ce fait irrécusable : Vivre par autrui. »

On voudrait se rendre mieux compte de cette rigueur de conséquence. Les récents sociologues Durkheim, etc... sont certainement moins illogiques quand, conservant la méthode positive, ils s'abstiennent de reconnaître un véritable devoir.

On se demandera aussi comment son matérialisme scientifique permet à Aug. Comte l'affirmation de la liberté.

DE EVOLUTIONISMO

Le P. Grüber condense bien la théorie évolutioniste de Herbert Spencer dans ces quelques lignes : « En morale Spencer professe l'utilitarisme « rationnel », tandis que Mill est partisan de l'utilitarisme « empirique ». D'après Spencer, l'utilitarisme est rationnel, quand on fait entrer les phénomènes moraux dans l'évolution générale. Notre philosophe cherche donc successivement quelles conditions les actes humains doivent remplir pour être bien dirigés, et, par conséquent, pour être des actes moraux, aux divers points de vue physique, biologique, psychologique et sociologique. L'homme réalise l'idéal moral : au point de vue physique, lorsque « son équilibre est parfait ou qu'il s'approche d'une façon extraordinaire de la perfection. » — Au point de vue biologique, lorsque « toutes ses fonctions sont arrivées à un degré tel qu'elles sont convenablement adaptées aux conditions de l'existence. » — Au point de vue psychologique, lorsque le plaisir et la douleur, qui naissent des sentiments moraux, sont si bien devenus un attrait ou une répulsion, que l'on finit par faire le bien naturellement. — Au point de vue sociologique, quand les activités sociales sont arrivées à ce résultat, que la vie parfaite de l'individu favorise la perfection de la vie commune.

Aux yeux de Spencer, sa morale présente le précieux avan-

tage de concilier et de fondre ensemble toutes les théories morales opposées. D'après lui, tous les systèmes de morale sont relatifs, c'est-à-dire qu'ils étaient bons pour la période d'évolution où ils ont paru. Le principal mérite de sa théorie, ajoute-t-il, c'est qu'elle représente le juste rapport qui existe entre l'égoïsme et l'altruisme. Entre eux, en effet, il établit une constante dépendance et une action réciproque, de telle sorte cependant que l'égoïsme demeure la base... » (Positiv. p. 260).

Pour la réfutation, voir Gruber, Halleux, Bruneteau *cités dans la bibl. ;* — Fonsegrive (*coll. Sc. et Relig.*), *Solidarité, pitié, charité*, p. 29 sq.

De systematibus aliis quæ ad utilitarismum reducuntur.

1. Ad utilitarismum quodammodo revocari potest Pessimismus, qui ad modum regulæ moralis docet dolores, vitam necessario consequentes, esse fugiendos, sive per annihilationem voluntatis vivendi (du « vouloir vivre »: sic Schopenhauer), sive per ruinam totius universi (« *Suicide cosmique* » : sic Hartmann).

Secundum *Schopenhauer*, intellectus, omnia informans suis categoriis, nos fallit ; *mundus apparens est nostra « repræsentatio. »* Non attingimus realitatem nisi per *voluntatem* quæ est ipsum *Absolutum « ignotum X ». Libertas* non est realis nisi in ordine *noumenali.* Ab ea pendent tum primo *exordium hujus mundi pessimi*, « *peccatum primigenium* », « *stupiditas absoluta* », ex qua omnia mala, entium diversitas, egoismus, odium ; tum secundo *destructio mundi per negationem voluntatis egoisticæ vivendi.* Inde commendantur *non quidem suicidium*, — quod est *error*, etsi non probetur esse *crimen* (*Parerga.., sur la religion*, trad. Dietrich, p. 192), — sed *commiseratio, castitas absoluta, ascesis*, tandem « *nirvana* ». Suicidium enim tollit vitam, sed non voluntatem vivendi : qui se occidit vellet vivere et dolorem tantum fugit ; nec impedit quominus anima renascatur. E contra, commiseratio pugnat contra egoismum, castitas impedit perpetuitatem vitæ et igitur doloris, ascesis exstinguit amorem in vitam, nirvana tandem, « somnus sine somnio », nos penitus liberaret.

Cf. Bibl. supra : Utilitar. in init.

Hartmann jungit voluntati rationem *inconsciam*, quæ tamen ducere illam potest ; unde etiam oriri potest idea conscia quæ damnet voluntatem vivendi. Negatur ceterum libertas et igitur obligatio.

Nituntur istæ theoriæ subjectivismo aut philosophia de « inconscio » quæ alibi confutantur.

2. Remote etiam ad utilitarismum pertinet, nisi melius ad pragmatismum Nietsche (*Etudes*, 1899, t. IV: de Grandmaison, cum ampla bibliogr.; — P. Lasserre, *La morale de Niestche* (Paris, soc. Mercure de Fr.); — *Etudes*, 1904, t. IV, p. 244 : Roure; — Fouillée, *Nietsche et l'immoralisme* (Alcan, 1902); — Farges, *op. cit.*)

Ethicæ christianæ, seu « mancipiorum », opponit ethicam, seu potius non-ethicam, hominis eminentis (du *sur-homme*), cui omnia licent.

Tolstoï (Roure, *Anarchie morale*, ou *Etudes*, 1900, etc.).
Proponit ethicam amoris, seu commiserationis, sine ulla cura veritatis objectivæ.

PARS II

ETHICA SPECIALIS

Jam sunt applicanda principia ad varias hominis relationes :

1° Individuales ad Deum, ad seipsum, ad alios homines privatos : inde ethica individualis ;

2° Sociales, i. e. ad societatem sive domesticam, sive civilem, sive internationalem : hinc ethica socialis.

LIBER I

ETHICA SPECIALIS INDIVIDUALIS

CAPUT I

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM

Omnia officia saltem mediate ad Deum referuntur, cum nos ad finem ultimum seu supremum Dominum ordinent. Ibi tantum spectantur obligationes quæ nos ad Deum ordinant directe, et quidem in solo ordine naturali.

Istæ reduci possunt ad amorem, spem et religionem quæ ipsa sub se includit obedientiam, gratitudinem, fidelitatem erga Deum.

Cum, per definitionem, virtutes theologicæ ut objectum formale Deum habeant, prout cognitionem naturalem excedit (Ia IIae, q. 62, a. 2), non exsistunt in ordine naturali.

Spei tamen theologicæ et caritati correspondent virtutes *naturales* spei in Deum et amoris Ejus super omnia.

N. B. — De his omnibus videas Cathrein, Castelein (*Droit naturel*) aut alios auctores, et speciatim inter officia religionis, de obligatione cultus interni et externi (*Cath.* Th., 46).

Solum tractamus quæstionem sequentem (*Cath.* Th. 45, pars 2a) :

THESIS XXXVII. — Homo debet Deum diligere super omnia.

Nota theseos : metaphysice certa.

PROB. 1° — *Finis magis diligendus est quam ea quæ sunt ad finem*[1].

(1) Non dicimus tantum : « *magis quam media* ». Medium ut tale est id quod non intenditur nisi ad aliud *obtinendum*. Homo non est *medium*, sed tamen « *ad Finem* », et ideo Ei postponendus.

Atqui Deus se præstituit homini finem absolute ultimum (cf. *Thes.* I).

Ergo...

2° Maxime diligendum est summum Bonum « Bonum omnis boni » (C. G. l. I, c. 40), quo alia sunt bona et amabilia (C. G., l. III, c. 24, n. 3).

COROLL. — 1. Ergo homo Deum diligere debet etiam plus quam seipsum et beatitudinem.

2. Et hoc quidem includit aliquem amorem *amicitiæ*, i. e.: — sive amorem *benevolentiæ*, quo Deo volumus ea quæ Summam Ejus Bonitatem condecent, — sive amorem *complacentiæ*, seu gaudium de Beatitudine et Perfectionibus Dei propter Ipsum.

Amor enim concupiscentiæ, si exclusivus esset, tenderet ad naturam agentis creati ut finem absolute ultimum, et Deus jam non amaretur super omnia.

3. Attamen notandum est agi de amore *appretiative*, non affective summo, i. e. debemus parati esse ad omnia bona amittenda potius quam gloriam Deo debitam denegemus.

SCHOL. — Hanc quæstionem illustrare juvabit ex iis quæ tam pulchre scripsit S. Thomas de virtute supernaturali caritatis (I^a II^æ, q. 65; I^a II^æ, q. 23 sq.) Multa enim valent de naturali Dei amore (cf. etiam Dublanchy, *Dict. de théol.* Vacant, art. « Charité », col. 2217 sq.; — ibid., Harent, art. « Espérance », spec. c. 620 sq.; ejusdem : *Etudes*, 1911, spec. t. II, p. 189 sq.; — Rousselot, *Pour l'histoire du problème de l'amour au moyen-âge*).

En quæ videntur præsertim spectanda:

a) ***De notione caritatis.*** S. Thomas definit caritatem (I^a II^æ, q. 65, a. 5) « amicitiam quamdam ad Deum, quæ quidem super amorem addit mutuam redamationem, cum quadam communicatione mutua ». Et (II^a II^æ, q. 23, a. 1) : « Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum benevolentia, quando sc. sic amamus aliquem ut ei bonum velimus... »; cf. II^a II^æ, q. 27, a. 2 in fin. corp.[1]; I^a II^æ, q. 26, a. 4; *Comment. in Joan.*, c. III, lect. III, § 1.

b) ***De Deo super omnia diligendo.*** « Deus est diligendus sicut finis ultimus ad quem omnia sunt referenda » (II^a

(1) Nota *ad primum* : « *velle alicui bonum* » est manifestativum amoris, sed non est tota ejus ratio.

II^{æ}, q. 44, a. 4 in fin. corp. ; vide totum art. 4 et art. 5). — Cf. I^{a}, q. 60, a. 5 et I^{a} II^{æ}, q. 109, a. 3 : *de naturali amore Dei super seipsum*[1] ; II^{a} II^{æ}, q. 26, a. 3 in c. et ad 3^{um} ; II^{a} II^{æ}, q. 24, a. 8 ; Q. disp. de caritate, a. 10, ad 4^{um}. — Cf. etiam egregia ex S. Augustino et S. Bonaventura desumpta : Dict. de Th., col. 2221, 2222, v. g. Seraphicus Doctor describit caritatem hominis erga Deum : « secundum quod optat ipsum, sc. summum bonum, ipsi Deo, dicitur diligere Deum... »

c) ***De aliqua objectione***. Homo nequit aliquid amare nisi in quantum sibi bonum est, seu in quantum est aliquo modo secundum inclinationes naturæ : hinc est sibimet ratio amandi cetera, et sic necessario seipsum amat super omnia (CATH. : *Obj.*).

Resp. cum S. Thoma. Convenientia cognita objecti ad amantem est quidem conditio psychologice prærequisita ad amorem ; non necessario est quid formaliter intentum, finis seu motivum amoris.

« Natura in se curva dicitur, quia semper diligit bonum suum. Non tamen oportet, quod in hoc quiescat intentio, quod suum est, sed in hoc quod bonum est ; nisi enim esset bonum aliquo modo vel secundum rei veritatem vel secundum apparentiam, numquam ipsum amaret. Non tamen propter hoc amat, quia suum est, sed quia bonum est : bonum enim est per se objectum voluntatis » (In II, dist. 3, q. 4, ad 2 ; cf. ib. ad 3 ; — vide etiam I^{am}, q. 60, a. 5, ad 2 ; — II^{am} II^{æ}, q. 26, a. 13, ad 3 ; — CATH. th. 45, obj. ; — BILLOT, *De virt. infusis* (1901), p. 376 ; — HARENT, *Etudes*, 1911, t. 2, p. 189 sq.)[2].

---

(1) Attendas ad ea quæ dicuntur de natura corrupta 2^{a} loco. Idem fere jucundissime habet S. FRANÇ. SAL. in *Tract. de amore Dei*, l. I, c. 16 sq.

(2) *a*) Alibi S. THOMAS dicit convenientiam istam esse « *principium* » amoris. Debet intelligi sensu *conditionis præsuppositæ* (cf. HARENT, *Dict. apol.*, loc. cit.).

b) Quomodo autem ibi adsit prædicta conditio, apparet ex eo quod Deus est creaturæ principium essendi. Inde est quædam unitas non tantum moralis, sed ontologica inter Deum et hominem, ita ut bonum Dei sit ontologice aliquo modo bonum hominis. Deus quidem est simpliciter distinctus et independens a creatura. Creatura vero non est principium essendi independenter a Deo, sed cum Eo quasi unicum est principium adæquatum. Deus eam et creat et conservat ita ut ens participatum jam esse desineret, cessante Dei actione.

Tamen nota creaturam ut substantiam simpliciter distingui a Deo, cum Ei nullo modo inhæreat.

Insuper non requiritur ad possibilitatem amoris, cognitio tam explicita unionis ontologicæ cum Deo. Sufficit se scire omnino dependentem, seu cognoscere Deum ut supremum Auctorem, Dominum, unde etiam ut ultimum finem (cf. I^{a} II^{ae}, q. 109. a. 3, ad 1^{um}) : « Natura diligit Deum super omnia, prout est principium et finis naturalis boni ». Deus est objectum, non conscientiæ, sed intellectus ; generatim saltem homines Eum agnoscunt plus minusve confuse (cf. supra : *thesis de obligatione*, circa atheum). Obscuritates ceterum et v. g. contradictiones polytheismi sunt consequentiæ lapsus Adami, ita ut hæc et alia oporteat amoveri « gratia sanante » (cf. S. THOMAS, art. cit. in corp.). Crescit autem lumen circa Deum, tum ex educatione, tum ex mentis consideratione, tum ex divino auxilio istis præsertim præstito qui student bene vivere. Spectata maxime tota æconomia ordinis supernaturalis, Deus apparet, non tantum ut tota ratio existendi, α et ω, a quo pendemus magis ac radii a sole, sed etiam ut

INSTANTIA : S. Thomas videretur magis dicere : « *finis ultimus* cujuslibet facientis, in quantum est faciens, est ipsemet. » (C. G., l. III, c. 17, et alibi ; — cf. ROUSSELOT, *op. cit.*, p. 9.)

Resp. Si ageretur de *fine ultimo simpliciter* et in ordine *psychologico*, S. Thomas sibi contradiceret. — 1° Agit de intentione *operis*, non *operantis*, de fine *naturali* τοῦ velle, non de motivo *deliberate* admisso. — 2° Agit de *fine naturali secundario* (cf. C. G., l. III, c. 24, n. 3, in fine, infra cit.).

N. B. — Si spectatur τὸ ego non mere individuale, sed secundum suum principium adæquatum, *sensu quodam physico reduci potest amor Dei ad amorem sui :* nam sumus quasi radii Divini Solis (Iª, q. 60, a. 5, c. : « Omnis creatura naturaliter secundum id quod est, Dei est »). Etsi potius *reducendus sit amor sui naturalis ad amorem Dei :* ens enim finitum « tendit in proprium bonum, quia tendit in divinam similitudinem, et non e converso » (*C. G.*, l. III, c. 24, n. 3) et « Deus est primum diligibile » (*In S. Matt.* c. XVI).

Sensu autem morali, ut pertinent *ad vîrtutes diversas*, et secundum id quod supra dictum est, *duo amores sunt distinguendi* (Cf. HARENT, *Dict. apol.*, loc. cit. ; *Etudes*, 1911, t. 2, p. 193).

De quietismo, cf. optima apud DD. D'HULST, conf. 1892, note 27, p. 490 — 1891, note 32, p. 412 ; — et DE BROGLIE, *Morale sans Dieu*, p. 311 ; — HARENT, in articulis cit ; — DUDON, *Dict. apol. d'Alès*, art. « quiétisme ».

d) ***De obligatione diligendi Deum (explicite), ut primum homo ratione utitur.*** Hanc obligationem S. THOMAS videtur affirmare (Iª IIæ, q. 89, a. 6). Negat autem SUAREZ (éd. Vivès, t. IV, p. 356, n° 12). Vide art. « Charité », *Dict. de théol.*, col. 2253, et ibid., art. « Dieu » a R. P. CHOSSAT, col. 918, circa diversas interpretationes S. Thomæ, quas breviter confutare tentamus in nostro opusculo. Probl. fondam..., loquendo de mente S. Doctoris circa obligationem et summum præceptum. Sed multo magis complete tractat quæstionem R. P. HARENT, fuse et egregie, in art. « Infidèles (salut des) », *Dict. de théol.*, col. 1863 sq.

Pater, imo Summum Exemplar et Principium omnis paternitatis, et, dicit Tertullien, « nemo tam pater ! » ; adeo manifestatur esse fons omnis boni, ut dicendi simus « des composés de ses bienfaits » (Stª MARG. MARIA), adeo Summum Bonum, ut velit se communicare nobis « quantum potest » (contempl. S. IGNATII « ad amorem »). Vide etiam S. FR. DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu*, l. I, c. 15.

CAPUT II

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM

Cum homo necessario se amet, modus tantum se amandi cadit sub præcepto. Ordinandus est autem amor sui ipsius vel circa animam, vel circa corpus, vel circa bona externa.

Officia circa animam reducuntur ad se dirigendum in cognitionem et amorem Dei, et in hunc scopum ad perficiendas et regendas potentias animæ secundum earum naturalem ordinem.

Officia circa bona externa in hoc consistunt quod homo rebus utatur prout eum juvant ad finem ultimum prosequendum.

Circa corpus, spectanda est obligatio se conservandi. Duplicem adspectum habet, 1° positivum : homo tenetur positive vitam et sanitatem servare, non tamen generatim mediis extraordinariis (*Cath.*, th. 50) ; 2° negativum : nequit se occidere. Hoc ultimum punctum considerabimus.

THESIS XXXVIII. — Suicidium lege naturali semper prohibetur.

II^{a} II^{ae}, q. 64, a. 5 ; — De Lugo, *De just. et jure*, disp. 10, s. 1 ; — Ferretti, t. II, p. 223 ; — Mgr d'Hulst, *Conf. 1896* ; — Debreyne (trappiste, doct. en médecine), *Du suicide, pensées d'un croyant* ; — Caro, *Nouvelles études morales* ; — Franck, *dict. sc. Phil.*, au mot suicide (objectiones) ; — Tissot, *De la manie du suicide et de l'esprit de révolte* (non approbatur ; objectiones) ; — Durkheim, *Le suicide* ; — Belot, *Etudes de morale positive*, p. 311, sq. ; — Alb. Bayet, *Le suicide et la morale*, Alcan, 1922 (de tribus istis auctoribus, cf. append. ethicæ gener.) ; — Proal, *Le suicide et le crime passionnel* ; — *Questions actuelles*, t. CVI, p. 200-203 ; — Roure, *Doct. et problèmes*, p. 304 et sq. (contra Durkheim).

St. Q. 1° Suicidium definitur : « *Occisio sui directa* (i. e. non tantum permissa, sed ut medium aut finis intenta) *ex privata auctoritate* (i. e. seclusa publica jussione aut concessione Dei ex revelatione cognita). »

Unde sensus theseos est : *directe assumere responsabilitatem mortis propriæ* lege naturali semper prohibetur.

2° Præcipui adversarii sunt Seneca (epist. 58, 70), Mon-

TAIGNE, HUME, BENTHAM, SCHOPENHAUER[1], PAULSEN, etc. (Vide CATHREIN, *Moralphil.*, ed. 4, t. II, p. 56 sq. ; CARO, *op. cit.*, speciatim p. 19,35... ; CARRAU circa Bentham, *Mor. util.* p. 178).

3° Probatio theseos difficultate non caret : cf. TISSOT (*op. cit.*, p. 85 et sq.), sed præsertim DE LUGO (*loc. cit.*, n° 2), qui dicit conclusionem esse certiorem quam argumenta a diversis proposita. Vide etiam BAYET (*op. cit.*).

4° ***Nota theseos***. Vi argumentationis philosophicæ et quatenus omnem exceptionem excludimus : certa moraliter lato saltem sensu, ita ut sententia opposita nullam habeat probabilitatem.

DEMONSTRATIO

PROB. (ex inviolabilitate divini dominii).

Destruere rem subjectam *supremo* dominio *sine concessione certa* lædit reverentiam debitam, ideoque prohibetur.

(Tale enim dominium, *infinite magis reverendum ac omnia dominia humana,* exigit esse prorsus illæsum, adeo ut propter *solam dubitationem* homo licentiam non præsumat disponendi de re illi subjecta[2] : cf. N.-B. infra).

Atqui, suicidium semper est talis destructio, nam :

1° Homo primario ordinatur ad Dei gloriam, seu *supremo* ejus dominio subjicitur (cf. *thes.* I et immediate ante th. XXXVI).

2° Præter casus legitimæ jussionis aut divinæ revelationis, *certus esse nequit de concessione Dei.*

Cum enim ratio servandæ vitæ sit *supremi ordinis*, nempe *primaria et directa vitæ ordinatio ad Deum,* sola ratio *certa* concessionis esset desumenda ex eo quod

— vel hæc ordinatio efficacitatem amisisset,

— vel occisio sui posset *directe* reddere Deo gloriam æqualem, imo *necessaria esset* ad fines quos supremus Dominus assignavit[3].

---

(1) Etsi non approbat suicidium, quod æstimat esse « errorem », impugnat eos qui declarant illud esse crimen (*Parerga... sur la religion,* trad. Dietrich, p. 192 ubi ipse SCHOPENHAUER appellat ad suum opus, *Le Monde comme volonté,* trad. Burdeau, t. I, l. IV, § 69, p. 417, 418).

(2) Arguimus ex dominio Dei, qua *supremo*, non qua *exclusivo.* Aliis verbis, in *probatione* præscindimus utrum repugnet annon hominem esse dominum suæ vitæ, sicut est rerum multarum.

Vitare possumus hanc quæstionem quam solvit subtilis Card. DE LUGO (*l. c.* n. 9) ; sufficit hominem subjici dominio absolute reverendo, ut nequeat licite se destruere sine concessione certa.

Ceterum, etiam circa res exteriores, dominium humanum est dependens, ut videbimus (initio capitis de proprietate et th. 47, schol.). Vide coroll. II infra.

(3) Aliud esset si Deus per revelationem concederet aut juberet aliquem se occidere ; posset cedere aliquid sui juris. Seclusa autem revelatione, quomodo talis cessio *certo* cognosci potest ?

Porro, ex una parte, necessario remanet primaria et directa ordinatio vitæ ad Deum, et ita efficax ut homo, vivens, semper possit, servando ordinem moralem, laudare Deum, necnon evadere magis capax Eum laudandi per æternitatem.

Ex alia parte, occisio sui directe hoc impedit, et mediante tantum propria destructione, juvare potest gloriam Dei remote et negative, tollendo occasiones scandali et possibilitatem peccati.

Nullo autem modo est necessaria ad fines quos supremus Dominus assignavit.

N. B. — Ratio qua major argumenti nititur revocari potest ad principium : « in dubio melior est conditio possidentis ». De hac formula multa scripsit P. Vermeersch (*Quæst. de just.*, n° 255 et sq.). Vide etiam Bouquillon (*Theologia moralis fundamentalis*, 1890, n° 296).

Sunt qui axioma restringant ad materiam justitiæ ; alii dicunt illud valere sensu analogico, etiam in ceteris (cf. Gury-Ballerini, éd. rom., 4, p. 71 et sq. et Suarezium quem citat) : Principium est saltem admittendum in eo sensu quod aliquis possessor nequit legitime spoliari sua re, bona fide et pacifice detenta, propter solum dubium superveniens circa jus possidendi. Valet tunc ex solo jure naturæ (cf. P. Vermeersch, n° 257 et auctores quos citat).

Imo, secundum sententiam « *communem* » etsi non certam, ait Lehmkuhl (*Theologia moralis*, ed. 1910, t. I, n. 197), præferendus est possidens, quamvis alter « multo melius jus suum probat ». Præter enim præsumptionem ortam ex pacifico juris exercitio et bona fide, « commune bonum postulat ut stabilitati et securitati proprietatum consulatur » (Bouquillon, *loc. cit.* ; — cf. Noldin, *De principiis theologiæ moralis*, ed. 1922, n. 248).

Fatemur nos ad sensum diversum axioma divertere, cum agatur de Supremo Domino, non autem de possessore humano, et de dubio non circa jus Dei, sed circa concessionem Dei.

Sed primum discrimen non est nisi in favorem nostræ positionis ; secundum ei non nocet[1], ut constat ex declaratione quam majori apposuimus in argumento. Nota autem hanc explicationem valere non tantum ex periculo hallucinationis, quæ homines induceret ad licentiam præsumendam ob minimos prætextus, sed etiam ex frequentia dubiorum quæ possunt movere homines prudentes. Supponamus enim homines non præsumere licentiam disponendi de re aliena nisi ex gravibus motivis, nonne talis modus agendi jam magnum afferet detri-

(1) Cf. Lehmkhul 1910, t. I, n° 1229 qui citat Reuber, t. 3 n° 353, circa condonationem præsumptam creditoris, « si dubitetur, an dominus esset remissurus, petenda est remissio ». Alibi idem Reuber dicit præsumptionem esse licitam « si moraliter certum est dominum non esse invitum. » Agitur ibi de dubio circa concessionem ex parte domini.

mentum inviolabilitati dominiorum et ordini sociali? Et nonne domini realiter inviti possent rationabiliter exigere reparationem?

Si insuper comparatur, respectu dignitatis, humanus ordo cum ordine subjectionis ad Deum, quanto magis requiritur secundi ordinis inviolabilitas? Hinc, ut dicit *S. Augustinus*, nequaquam licet se occidere, etiam ex divina jussione, nisi ista « *nullo nutet incerto* » (*De civ. Dei*, lib. I cap. 26; cf. FERRETTI[3], t. II, p. 226).

CONFIRMATUR : 1° Ex naturali timore mortis,[1] qui manifeste stimulus est ab auctore naturæ intentus, ut quisque curet sui conservationem;

2° Ex damno quod societati homines infligerent, si gravi de causa se occidere licitum esse putarent; timendum enim esset in multis aliis casibus periculum hallucinationis;

3° Ex irreparabili damno sibimet lato, cum jam nullum remaneat tempus pœnitentiæ. Supponit autem hæc ultima ratio probatam jam fuisse malitiam suicidii; tantum ostendit aliunde gravitatem peccati (cf. DE LUGO, *l. c.* n° 5. Præclarus auctor infra proponit aliud argumentum, l. c. n. 9).

COROLL 1. — Pariter dicenda est illicita mutilatio membrorum, nisi ad vitam servandam. Ratio eadem est : Deus est Dominus supremus totius hominis ideoque ejus corporis, cujus dominium tantum utile homo habet (cf. infra de jure proprietatis : notiones). Ob bonum totius, partem a corpore separare iste potest, ut administrator sui ipsius. Præter autem casum vitæ, non constat de concessione Dei.

COROLL 2. — Duplex distinguendum est dominium Dei : unum in personam humanam, quod soli auctoritati politicæ communicat, et quidem in certis casibus tantum (th. 70 et 40), aliud quod participamus in res exteriores, ita ut possimus eas destruere (cf. *Th. 47, de proprietate :* 1ª obj. ex auctoritate).

In omnibus casibus, quærendum est num sit *certa* concessio Dei, quæ *ex necessitate sola* concluditur; v. g. ad victum requiritur ut plantas aut bruta homo possit destruere.

SCHOL. I. — Sancti qui mortem aliquando directe intenderunt, dicendi sunt a Spiritu sancto fuisse inspirati (et tunc non est suicidium ut definitum est) potiusquam erravisse.

SCHOL II. — DURKHEIM, ubi asserit reprobationem suici-

(1) Unde probabiliter illicitum est judicem reo præcipere ut seipsum interficiat, sed ex definitione supra data, talis occisio sui non est suicidium (Cf. CATH., th. 49 ad obj. 6).

dii fundari in natura *hodiernæ* societatis (*Suicide*, 2ᵉ éd., p. 378 sq.), aliud intelligere non videtur nisi communem hominum opinionem ita secum cohærere, cum ista *hodie* tanti faciat valorem personæ humanæ (cf. p. 361, 369). Hinc non redit ad modum rectum et communiter acceptum bonum morale æstimandi, i. e. ut quid absolutum.

Respectu apologetico, utile est apud eumdem auctorem legere (p. 149 sq.) suicidiorum numeros comparatos in Catholicismo et Protestantismo (Vide Quest. Act., l. c.). Difficile admittetur explicatio quam ipse proponit, p. 156 sq. Cf. Roure, *Doct. et probl.*, p. 304 sq.

Obj. 1ª. Suicidium non lædit ordinem Providentiæ. Ergo non est contra voluntatem Dei.

Resp. *Dist. antec.* : Consequentem ad actum humanæ libertatis qui a Deo cognoscitur, physice permittitur, *C.*, ordinem a Deo directe intentum, *N.* — *Pariter dist. cons.* : physice permittentem *C.*, prohibentem, *N.*

Obj. 2ª. Homo potest disponere de suis membris, ergo de sua vita.

Resp. *Dist. ant.* : quoad usum, *C.*, quoad substantiam. *Sdist* : de suis membris collective, *N.*, de aliquo, *Sdist.* quatenus ad se ordinatur, et servando hunc ordinem, *C.*, secus, *N.*

Instantia : Si potest disponere de aliquo membro quoad substantiam, potest disponere de sua vita etiam quoad substantiam, v. g. propter bonum superius, beatitudinem ultimam obtinendam. *Probo* : homo constituitur partibus suis.

Resp. Si potest disponere de membro præcise quatenus est elementum constituens sui ipsius, *C.*, si tantum quatenus ad se ordinatur, et quando bonum totius amputationem requirit, *N.*

Nego enim paritatem ex duplici ratione : *a*) suicidio destruitur non pars hominis propter ipsum, sed unitas compositi exindeque ipse homo ; *b*) aliunde, etiam præscindendo a dominio Dei nego occisionem sui unquam requiri, imo esse proprie utilem respectu beatitudinis ; semper e contra dicenda est simpliciter nociva, nam cum Dei auxilio homo semper potest in hac vita nova merita acquirere ut majorem beatitudinem sempiternam postea obtineat. Effectus bonus, qui esset possibilitatem peccandi tollere, et ita beatitudinem certam reddere, est magis remotus, nam vita ordinatur ad merita et non ad peccata. Hinc ex principiis voluntarii indirecti thesis ibi confirmatur. Nec spectanda est acceleratio in adeptione beatitudinis, nam quod est finitum in duratione est negligendum respectu augmenti etiam infimi beatitudinis sempiternæ.

Insuper nota beatitudinem esse finem tantum secundarium. Porro ratio vitæ servandæ est finis primarius hominis : cf. arg.

Obj. 3ª. Homo potest se occidere ut offerat Deo sacrificium et sic se ordinet ad Deum glorificandum seu ad finem primarium. Ergo suicidium potest esse agnitio divini dominii.

Resp. *Dist. ant.* Secundum subjectivam intentionem et ex errore invincibili, *Tr.*, ita ut sit objectiva ordinatio ad Deum, *N.* Destruendo propriam vitam, homo immediate destruit instrumentum ordinatum ad Dei gloriam ; simul quidem dolorem proprium provocat et impedit futuras voluptates

terrenas, sed hoc sacrificium non obtinetur nisi remote, i. e. mediante destructione compositi ad Deum per se ordinati.

N. B. *Ex ipsa thesis expositione habes principia ad solvendas alias difficultates :*

a) Ex eo quod vita sit *beneficium*, non sequitur nos posse de illa quocumque modo disponere, cum remaneat supremo Dei dominio subjecta.

b) Occisio sui numquam est necessaria ut peccata, sive propria, sive aliena, vitentur. Peccata enim non committuntur nisi libere.

CAPUT III

DE MUTUIS OFFICIIS HOMINUM

Obligatio sive Deum amandi sive dilectionem erga seipsum ordinandi includit officia erga alios homines. Etenim omnes Deum habent ut Dominum supremum et ab eo amantur, eum repræsentant et ad ejus gloriam sunt ordinati. Omnes pertinent ad eamdem societatem, cujus bonum in utilitatem membrorum redundat. Hinc obligatio tum mutuo se amandi, ex quo omnia officia, præter juridica, erga proximum derivantur, tum ea observandi sine quibus humana societas exsistere non potest, unde speciatim officia juridica.

De officio amandi proximum, cf. CATH. Th. 52, S. *Thomas*: 2ª 2æ q. 25, a-1, — q. 23, a. 1 ad 2um. Alia quædam magni momenti spectabimus quæ majorem difficultatem præbent.

ARTICULUS I

DE MUTUIS OFFICIIS CIRCA BONA ANIMÆ

Agemus tantum de obligatione servandæ veracitatis.

THESIS XXXIX. — Mendacium seu locutio contra mentem legi naturali repugnat; — amphibologia autem et restrictio non pure mentalis per se non est illicita.

II ª II æ, q. 109, 110; — DE LUGO, *De fide*, d. 4, s. 4; — THOMASSIN, *Traité de la vérité et du mensonge*, Paris, 1693; — St ALPH., *Theol. mor.*: de 2° præcepto, n. 151 sq., ed. Gaudé, I, 467); — DE LEHEN, p. 379; — TAPARELLI, I, p. 208; — ANTOINE, *Dict. de Théol.*: art. Equivoque; — VERMEERSCH, *Gregorianum*, 1920, pp. 11, 279, 425; — NOLDIN, BULOT, etc.: *theol. mor.*; — MEYER, t. 2, p. 55 sq.; — *Ami du Clergé*, 1896, p. 561; — SERTILL., *La phil. mor. de St Thomas*, p. 298 sq.; — BERARDI, *Praxis confess.*ª, I, p. 652 sq.; — *Revue pratique d'apologétique*, 1er juin 1913, t. 16, p. 400 (bibliog.); — DUBOIS, *Science cathol.*, 1897, p. 886, 1067; 1898, p. 165; — ejusdem, *Rev. du clergé fr.*, t. XXIII, p. 366; t. XXIV, p. 158; — ibid.: LEDUC, t. XXII, p. 530; — *Quest. act.*, t. LVII, p. 426; t. CV, p. 300; — BOUILLER, *Questions de morale pratique*; — *Etude sur la malice intrins. du mensonge*, par un prof. de théol. (Tequi

1899) ; — *Science et Relig.*, n. 245 : *Du mensonge proprement dit et du droit à la vérité*, par un prof. de théol. (1903) ; — Fonsegrive, *Elém. de phil.*[4], t. II, p. 475 ; — Lahr-Picard[24] (1923), t. II, p. 183 sq. ; — Tanquerey, *Syn. theol. mor.*[4], t. III, p. 181 ; — Bulot, *Revue cath. des Institutions et du Droit*, 1901, 2. pag. 159 ; — Vermeersch, *Dict. d'Apol.* art. Restriction mentale.

STATUS QUÆSTIONIS

1) *Definitur mendacium « locutio contra mentem ».*

Opponitur virtuti *veracitatis*, quæ est habitus conformandi signa externa cum mente.

Loqui est manifestare seu exprimere aliis judicium tanquam suum. Significatio autem locutionis est determinanda non tantum ex verbis aut signis adhibitis, sed ex circumstantiis *quæ ab aliis possunt cognosci*, qualis est consuetudo (v. g. « Monsieur est sorti »), interrogatio præcedens et mens aperta interrogantis (v. g. « vidistine hunc hominem ? » supponitur sæpe : « in hoc loco et paucis abhinc momentis »), necessitas servandi secretum, dummodo prudens auditor eam suspicari debeat (Cf. alia exempla : Berardi, *op. cit.*, p. 656).

Ad majorem præcisionem hæc addi possunt :

Locutio materialis esset *complexus verborum, qualia sonant, et gestuum, ut in se fiunt.* Sic præscindit a significatione : nam non habet sensum determinatum *ex se*, at *conventione*, quæ ceterum respicit *diversas* circumstantias, ita ut sensus possit *mutari*.

Locutio formalis est *locutio intellecta secundum normas quæ significationem vocum aut gestuum determinant et quas appellamus regulas locutionis.* Istæ non finguntur ibi, ob necessitatem problematis solvendi ; exsistunt et non sunt mere arbitrariæ. Ad nihilum inservirent verba et gestus si non darentur regulæ.

Porro, cum manifestatio judiciorum, mentis, sit essentialiter quid humanum et sociale, considerare oportet adjuncta concreta in quibus signa ad humanum commercium ordinantur et hoc est una ex præcipuis regulis.

Notio « locutionis formalis » sic proponitur a P. Vermeersch ; est locutio qua « rationabiliter censearis velle communicare mentem tuam » (*Theol. mor.* t. II, 1924, n. 703 sq.). Practice saltem, eximius auctor videtur idem dicere ac nos : undenam enim quis « rationabiliter censetur velle mentem suam communicare », nisi ex prædictis regulis ? Et, ut, patet, non agitur nisi de locutione quæ secundum easdem regulas mentem determinatam exprimit.

2) *Non definimus mendacium « veritatis debitæ negationem*[1]*. »*

(1) « Le mensonge consiste à parler contre sa pensée avec l'intention d'induire en erreur quelqu'un qui a droit à la vérité » (*Sc. et Rel.* 245[4], p. 12) : c'est-à-dire qui ne l'a pas perdu pour une raison spéciale.

Hanc definitionem admittunt quidam catholici[1], doctrinam Grotii (*Gregor.* I, p. 19 sq.) et aliorum protestantium sequentes, quasi aliæ locutiones contra mentem essent per se licitæ (cf. Cath. in fine *St. Q.* et *Science cath.*, p. 891). Negamus requiri ad malitiam mendacii aliam obligationem dicendæ veritatis, præter eam quæ oritur ex necessitate conformandi locutionem cum istius fine naturali, i. e, expressione mentis, independenter a quolibet jure stricto vel « debito legali » et quacumque speciali utilitate auditoris, imo independenter a bono sociali formaliter spectato (IIª IIæ, q. 109, a. 3; q. 110, a. 3, ad 4um; — et q. 80, art. unicum, ubi esse veracem dicitur « debitum ex parte *debentis* » et opponitur « debito ex parte ejus cui debetur »)[2].

3) ***Quæritur utrum intentio formalis decipiendi sit de essentia mendacii.***

Negant fere omnes catholici doctores, etiam scotistae (quidquid dicat Dubois, *Science cath.*, l. cit. p. 888. Cf. Noldin et alios nostros moralistas qui concludunt sicut nos; et circa historiam, speciatim circa Scotum, vide Gregor., *l. c.* p. 14 sq., 18, 19).

Ut sit mendacium, sufficit intentio, *interpretativa*, sive *virtualis ex parte locutionis*, seu quod idem est, intentio falsum ita enuntiandi ut possit a quocumque prudente ut tali credi (c'est l'intention de dire « une tromperie » ; cf. Taparelli, *loc. cit.*, — d'exprimer le faux de telle façon qu'on pourrait, même portant un jugement prudent, s'y tromper)[3].

Cf. S. Thomas, IIª IIæ, q. 110, a. 1, in fine corp. et a. 3, ad 6um : « Mendacium ergo jocosum ex ipso genere operis habet rationem fallendi, quamvis ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum, nec fallat ex modo dicendi[4] » S. Thomas damnat mendacium jocosum ut veniale : cf. *ibid.* a, 4, ad 5um et a. 2.

Non autem est mendacium, si quis intendit ita enuntiare falsum ut homo prudens non posset decipi. « Qui existimat auditores prudentes non credere ea quæ affirmat, non mentitur, ait Noldin (*op. cit.*, 1913, t. II, p. 647) etsi contra mentem ma-

(1) Sic Dubois, l. c., Lesserteur (*Sc. et Rel.* n° 245), Fonsegrive, *op. cit.* — Tanquerey quoad verba est contra nos ; non videtur quoad rem a nobis multum dissentire. Dicit enim « falsiloquium » aliquando licere, sed addit : tunc « decipitur proximus quia non attendit omnibus adjunctis » (*loc. cit.*). — Berardi definit mendacium : « falsiloquium sensu communi reprobatum » (*loc. cit.*).

(2) Attamen auditor *semper* habet jus *negativum* ne lædatur veracitas, etsi non habet necessario jus *positivum* ad talem veritatem.

(3) « *Homme prudent* » ne veut pas dire : « extraordinairement avisé », mais : « jugeant normalement ». Voir la fin du n° 3 du St. Q.

(4) Supponi potest quidam dicens falsa, tantum ut satisfaciat desiderio loquendi, sciens auditores præsentes non esse de facto decipiendos et ideo non intendens eos decipere, quamvis etiam prudentes possent credere. Cf. Sertill., p. 301, n. 3.

terialiter loquatur, quia non habet voluntatem etiam interpretativam fallendi. Ideo non mentitur, qui dicit se vidisse bovem volantem[1], mercator qui dicit merces sibi carius constare, quam eas aliis vendit ».

(Cf. Gregor. I, p. 13 sq. et speciatim nota p. 15, *de mente S. Aug.*; — et IIª IIæ, q. 40, a. 3, de *insidiis in bello*; — præsertim 2ª pars nostræ thesis).

N. B. — Sat raro poterit adesse intentio interpretativa fallendi, sine intentione formali. Attulimus casum mendacii jocosi ex S. Thoma; etiam ibi sæpe aderit intentio formalis decipiendi.

Lessius exemplum sequens proponit (*De just. et jure*, l. 2, c. 47, n. 33, sq. dub. 5; — cf. Lehmkhul, *casus consc.*, nº 450) : Aliquis falsum enuntiat, ne convinci possit, quamquam cognoscit neminem falli de facto.

Et quidem non esset ad rem generatim, si ageretur de reo quem judices interrogant. Cum iste a prudentibus cognoscatur non teneri crimen commissum accusare, ipsa materialis negatio veritatis ex ejus parte habet ob hanc circumstantiam alium sensum quam obvium, sc. ipsum nolle culpam fateri, et sic non est locutio apta formaliter ex se ad decipiendum (Noldin, 1913, *de præceptis*, p. 767; — Bulot, t. I, nº 441). Præter autem hunc casum, aliquando eveniet negationem veritatis ex se formaliter aptam ad fallendum, ideoque mendacium, non posse de facto decipere, sed ob circumstantiam quæ tota se tenet ex parte auditoris, non locutionis, v. g. si fit coram testibus a visu ne obtineant testimonium a reo ipso fatente. Tunc deceptionis impossibilitas, etsi prævisa, est mere per accidens respectu locutionis. Et sic intelligendum est exemplum Lessii[2].

Ex omnibus autem modo dictis mendacium est locutio, quæ formaliter sumpta seu secundum regulas locutionis i. e. cum

---

(1) Noldin fait sans doute ici allusion à ce qui est raconté dans la vie de Sᵗ Thomas. Un moine appelle le saint pour voir un bœuf voler. Le saint accourt, et le moine se met à rire. « J'aurais été moins étonné, dit Sᵗ Thomas, de voir un bœuf voler que d'entendre un moine mentir. » Il semble, — en supposant le fait authentique, — qu'on peut en raison d'un changement dans les usages sociaux, regarder aujourd'hui comme honnête certaine façon de parler qui à telle époque eût été réellement un mensonge. Si en effet certaines plaisanteries sont généralement regardées et comprises comme telles et non entendues à la lettre par les hommes prudents, on pourra les énoncer honnêtement. C'est qu'alors l'usage de plaisanter ainsi est une circonstance que les auditeurs connaissent, s'ils sont prudents, et qui ou modifie le sens des expressions employées, ou, tout au moins, leur communique un second sens possible et en fait des expressions amphibologiques (cf. 2e partie de la thèse).

(2) Alia exempla habet Lugo : *De fide*, d. 5, s. 1, n. 10 sq.; v. g. n. 10 in fine : illius qui falsa proferret « ut memoriæ mandet talem phrasim ». Sed addit : « Hic tamen casus metaphysicus est et nullo modo moralis. » Supponendum esset auditores adesse et posse prudenter falli. Sed alii possunt fingi fines « disparati » : qui, coactus metu, diceret falsa [v. g. captivus miles suis concivibus in epistola quam hostes ab ipso exigerent], posset tamen optare non credi : hoc non est chimericum. Et alia ibidem.

sensu determinato ex circumstantiis ab auditore prudente[1] *cognoscibilibus, est apta ex natura sua et non tantum ex imprudentia auditoris ad fallendum* (Cf. Sertill., p. 307, n. 6).

In locutione formali duplex invenitur relatio : una inter mentem loquentis et signum, altera inter loquentem et audientem. Circa utramque accidere potest deordinatio ontologica quam intendere non licet. Circa enim secundam, loquenti prohibetur velle vel directe audientem decipere, vel ejus errorem sine ratione sufficienti permittere : esset contra caritatem et justitiam, sc. contra bonum proximi et contra jus inalienabile cujuslibet ad veracitatem. Sed peccata hujusmodi non sunt specialia locutioni.

At circa relationem inter mentem loquentis et signum invenitur deordinatio specifica, opposita virtuti veracitatis, nempe falsitas locutionis formaliter sumptæ (II^a II^{æ}, q. 110, a. 1 ; — cf. q. 109, a. 2).

Intentio autem *formaliter* decipiendi quasi complet mendacium (ibid.).

4) *Species mendacii.*

Distinguuntur mendacium *verbale* et *reale* prout fit verbis vel signis : mendacium *jocosum, officiosum, perniciosum,* prout profertur voluptatis aut utilitatis causa, vel alicui nocet injuste.

5) *De adversariis*:

Eorum opiniones ex prædictis notæ sunt : cf. præsertim Gregorianum, *loc. cit.* ; — Meyer, t. II, p. 56 ; — Castelein, *Dr. nat.*, p. 141 ; — *Science cath.*, p. 886, 887 : — Franc. Bouiller, *op. cit.* — Ad complementa historica, cf. *Quest. act.* t. CV, p. 300, t. LVIII, p. 428 et sq...

6) ***Nota theseos :*** Metaphysice certa, quoad 1^{am} partem[2] ; saltam moraliter certa quoad 2^{am}.

PARS I^a. — Mendacium... legi naturali repugnat.

Sensus est : exprimere, ut suum, judicium non suum, repugnat legi naturali.

---

(1) « Ab auditore prudente », seu « per se sine nimia difficultate ». Spectatur « homo prudens » ut criterium *quasi subjectivum* formalis sensus locutionis, fere sicut « recta ratio » est criterium boni moralis. Criterium *objectivum* includit regulas generales locutionis et circumstantias per se ab auditore sine nimia difficultate cognoscibiles.

(2) Censemus cum Noldin omnino tenendam esse sententiam communem (1922, t. II, 638). Audi præsertim Vermeersch : « In ista causa... summi doctores nullo gravi discidio separantur. Eam demonstrationem adhibuimus quam, post S. Augustinum, substantialiter eamdem tradiderunt S. Thomas, Scotus, Suarezius. Quare pluries sæcularis consensus scholarum catholicarum, qui tantæ est auctoritatis ut solus plenam nobis quietem daret, ipsa argumentationis unitate vel similitudine corroboratur » *Gregorianum*, 1920, p. 285). Cf. Sertillanges, *La phil. de S. Thomas d'Aquin*, p. 311.

PROB. — 1° Uti activitate naturali contra finem suum, naturæ legi repugnat (*Suppl.*, q. 65, a. 1).

2° præsertim si finis sit maximæ necessitatis [1].

Atqui 1° loqui contra mentem est uti activitate naturali, nempe *facultate manifestandi*, contra finem suum, nam opponitur :

a) Directe manifestationi mentis præsenti (II^{a} II^{æ}, q. 110, a. 3 ; Quodlib. 8, a. 14 ; in III, d. 38, q. 1, a. 3) [2].

b) Imo indirecte manifestationi futuræ, cum fiduciam destruat, maxime si existimatur licitum aliquando [3].

Ergo...

2° Mutua communicatio mentis requiritur ut societas exsistat (II^{a} II^{æ}, q. 109, a. 3, ad 1^{um} ; — SERTILL, p. 302, 306 ; — LUGO, *l. c. n.* 60 ; — VERMEERSCH, I, p. 33, 37).

Aliter : Dirigere facultatem *contra* finem suum repugnat legi naturali. Atqui exprimere, *ut suum*, judicium non suum est intellectu inducere intellectum alterius, *saltem ex se*, ad falsum, seu dirige facultatem contra finem suum. (C'est l'intelligence se retournant contre l'intelligence, le désordre ontologique de l'erreur provoqué et par l'intelligence, double désordre dans l'être et donc aussi dans la volonté qui y tend ; car les lois de l'être sont les lois de la volonté [4]).

PARS II^{a}. — Amphibologia et restrictio non pure mentalis per se non est illicita.

---

(1) Nota autem *primum* plane sufficere, dummodo bene intelligatur : non dicimus repugnare legi naturali quidquid impedit aliquem finem naturalem, — quod distinctione indigeret ; — tantum agitur de usu seu *directione ipsius facultatis naturalis* contra finem suum (II^{a} II^{æ}, q. 110, a. 3, ad 4^{um}). — Vide 2^{am} formam argumenti : *Aliter...*, cum nota, infra.

(2) Istos textus S. THOMÆ citat CATHREIN ad obj. I. — Hoc argumentum, tam saepe a Doctore Ang. propositum, egregie evolvitur apud VERMEERSCH in fine primi ejus articuli. Notandum est verbum exterius habere relationem transcendentalem ad verbum interius. [C'est l'esprit se découvrant à un autre esprit. Par cet accès et cette sorte de prolongement chez autrui, l'esprit humain tend à la perfection *spécifique*, que, contrairement à l'ange (suivant le système thomiste), il ne possède pas complètement de lui-même].

(3) Cf. diversa loca S. THOMÆ aut aliorum, quæ citat Cathrein ad obj. 1, inst. 1 et 2. — Quod habet S. Thomas, in-III, d. 38, q. 1, a. 4, ad 2, optime resumit NOLDIN : « Arguimus ex semel licito, non ex semel facto. »

(4) Adversarii hoc principium philosophiæ moralis thomisticæ et, ut videtur, inconcussum implicite negant, quando nobis opponunt deordinationem falsæ loquelæ esse mere *physicam* ex se (DUBOIS, *sc. cath.* 1897, p. 891). Ut jam diximus, *moralitas* non est primo et formaliter in objecto voluntatis, vel in actu externo, multo minus in natura agentis rationalis ontologice sumpta. Resultat e duabus causis : una efficiente quæ est voluntas libera, una finali quæ est objectum. *Velle libere quod me decet vel dedecet ontologice et modo irreductibili me decet vel dedecet simpliciter et vocatur formaliter bonum vel malum morale* (Optime apud SERTILL., *Ph. mor. de S. Thom.*, p. 58).

Notiones. — a) *Amphibologia* est *usus verborum quæ ex se sunt ambigua et ideo apta sunt diversum sensum generandi*, ut est v. g. gallus. Sic Dominus Noster dixit Lazarum dormire (Jo. XI, 11); revera Lazarus mortuus erat. Dormire habebat duplicem sensum.

b) *Restrictio mentalis* est « *actus mentis, quo verba loquentis per aliquid quod tacetur seu mente retinetur, ad alium sensum quam naturalem et obvium coarctantur.* » (Noldin, *op. cit.*, p. 650; *de historia*, cf. « Mental Reservation » in *The catholic Encyclop.* (Americ.).

Dicitur *pure mentalis*, si sensus loquentis ita sit occultus, ut homo prudens qua talis poss't decipi. Vg. a me quæris : « Vidistine Romam ? » Respondeo : « Utique vidi », subaudiens, « in pictura ». Est purum mendacium.

Dicitur *late mentalis*, si sensum loquentis homo prudens ex adjunctis debeat aliquomodo saltem suspicari, ita ut non possit qua prudens decipi. Vg. Christus negavit se scire diem judicii (Marc, XIII, 32), sc. scientia communicabili. Aut de festo Tabernaculorum dixit : « Non vado » quamvis postea ivit (Jo. VII, 8); non dixit : « Non ibo. »

Delimitatio 2ae partis. — Usus amphibologiæ et restrictio late mentalis essent quid malum, si finis intentus esset enuntiatio falsi aut deceptio alterius, non autem si finis proximus est enuntiatio veri aliquatenus obscura, finis remotus occultatio incompleta veri, et si deceptio permittitur tantum[1].

Non enim sunt confundendæ *occultatio* et *deceptio, nescientia* et *error*. Sit v. g. confessarius interrogatus a judice circa crimen vere accusatum a pœnitente. Respondere potest « Non commisit »,[2] intendendo judicem non decipi, sed privari probatione illicite quæsita. Imprudenter tum judex, tum alii acciperent tale responsum in positivum favorem accusati. Prudentes æstimare debent confessarium noluisse respondere. Imo dices forsan confessarium in hoc casu ne locutum quidem fuisse (cf. supra definitio locutionis[3]).

N. B. — Si in aliquo casu enuntiatio veri ex circumstantiis necessario deberet esse sat clara ut auditores intelligerent de facto verum sensum ex cujus manifestatione timenda est mala consequentia, adhuc locutionis ambiguæ aut restrictionis usus posset esse opportunus, ut scil. auditores remaneant incerti vel saltem nequeant afferre testimonium, ex. gr. juridicum.

(1) Ut optime dicit P. Antoine (art. cit.) : on veut « instruire avec précaution ».

(2) Ne dicas locutionem in hoc casu esse *formaliter* contra mentem. Circumstantia, i. e. *munus sacerdotis*, mutat omnino sensum verborum, sicut, v. g. *ironice* dicere : « evidenter ! »

(3) Multum insistit P. Vermeersch in hac ultima solutione (I, p. 36).

DEMONSTRATIO

PROB. — Amphibologia et restrictio late mentalis esse nequeunt per se malæ, nisi ex fine remoto aut proximo, vel malo effectu permisso.

Atqui in his actibus per se inspectis,

1° nec finis remotus, i. e. occultatio veritatis incompleta et passiva (seu ex parte auditoris),

2° nec finis proximus, i. e. enuntiatio obscura veri, — naturæ disconveniunt ; imo aliquando debent intendi ;

3° effectus malus, i. e. deceptio aliorum, aliquando licite permitti potest ex principiis voluntarii indirecti. Nota ceterum deceptionem passive sumptam esse malum non morale, sed physicum.

Ergo...

Cf. S. ALPH. (*l. c.*, n. 152, p. 470, cit. a NOLDIN, n. 640) : si istæ restrictiones aut amphibologiæ prohiberentur, « non existeret modus secretum licite celandi quod perniciosum foret humano commercio non secus ac mendacium » vide etiam II^am II^æ, q. 40, a. 3, de insidiis in bello ; — SERTILLANGES, p. 310, n. 9).

Principia ad solvendas difficultates. — 1. Locutio quæ non est mendacium potest tamen esse illicita, quia virtutem aliquam, caritatem, justitiam, etc... lædit, v. g. si quis sine sufficienti ratione utitur restrictione late mentali ut respondeat ei qui jus speciali et strictum habet ad integram veritatem : talis est generatim testis qui legitime interrogatus a judice restrictionem adhibet.

2. Circumstantia quæ auditorem de facto adjuvat ut detegat veritatem, non semper ita complet signa loquentis ut evadant formaliter vera, v. g. si quis prudenter judicat loquentem esse mendacem : tunc enim cognoscit forsan veritatem, sed *ipsam locutionem intelligit ut expressionem falsi ;* locutio igitur per se nata est ad fallendum, quamvis per accidens non fallat. Hinc mendax, cognoscens alios generatim ei non credere, non potest licite, ratione hujus circumstantiæ tantum, verba materialiter falsa adhibere. Hæc enim circumstantia deberet esse cognoscibilis ab auditore, prout præcise juvans loquentem ad complenda sua verba et ad verum obscure enuntiandum. Porro auditor prudens debet e contra eam ita intellectam excludere, cum sit contra consuetudinem loquentis et cum essent ex hujus parte alia media celandi veritatem, quæ deberet adhibere si vellet virtutem colere, ea scilicet quibus uti potest vir honestus

et bonæ famæ. — *Breviter : consuetudo mentiendi est circumstantia quæ se tenet ex parte loquentis non locutionis : i. e. facit non ut locutio intelligatur tamquam expressio veri, sed ut loquens intelligatur mentiri.*

Objectiones. Contra 1am partem.

Obj. 1[a]. Ex eo malum est mendacium, quod bono sociali nocet. Atqui mendacium non semper nocet. Ergo non semper malum est.

Resp. *Dist. maj.* tantum aut præcipue, *nego* ; partim, *conc. ; nego min. aut dist. :* directe, *conc.* indirecte, destruendo fiduciam, præsertim si licitum existimatur in aliquo casu, *nego* (cf. II[a] II[æ], q. 110, a. 3 ad 4[um]).

Instantia. Atqui mendacium ex eo tantum malum est quod nocet bono sociali. Prob. Tota ratio locutionis est bonum sociale. Ergo...

Resp. *Dist. antec. :* bonum sociale (lato sensu) est id ad quod, saltem remote, tota quanta est facultas loquendi constituta est et conformata a Deo, *conc.* (sed nota hanc conformationem proxime tendere ad manifestationem mentis ; exinde regulatur usus instrumenti naturalis et quidem absolute : malum enim ex quocumque defectu ; hinc sequentia) : bonum sociale est id ad quod exercitium facultatis debet totum ordinari ex parte hominis, *subdist. :* tanquam ad finem proximum, *nego* (hic idem debet esse ac finis proximus ipsius facultatis) ; tanquam ad finem remotum, *subdist. :* per se, *conc. ;* semper, *subdist. :* semper directe ex manifestatione perfecta veritatis, *nego* (cum aliquando talis manifestatio noceat auditoribus aut dicenti, exindeque requiratur uti mentali restrictione), semper saltem indirecte, servata veracitate, et sic fiducia inter homines, *conc.*

Instantia. 2° Licet aliquando uti aliqua parte corporis ad usum non naturalem, v. g. ambulare manibus (C. G., l. III, c. 122). Ergo a pari licet uti voce ad finem non naturalem.

Resp. *Dist. :* licet velle diligere facultatem *contra* suum finem naturalem, *nego ;* præter hunc finem, ex motivo rationabili, *conc. :* tunc non est deordinatio. Cæterum recte est attendendum veræ destinationi facultatum ; v. g. : manus sunt ad multa : ad tangendum, prehendendum, resistendum, etc. : pertinet ad hominem usum earum, rationabiliter, magis determinare. Item sensibilitas non est tantum ad fruendum ; possum me castigare (vide th. 13, coroll. 2[us] partis ad obj. 3).

Obj. 2[a]. Nostra argumentatio supponit adesse relationem naturalem inter conceptus humanos et locutionem. Atqui non adest, nam locutiones sunt conventionales (*Sc. cath.*, loc. cit., p. 889). Ergo...

Resp. *Dist. maj.* locutionem *materialem*, i. e. abstrahendo a significatione, *nego*, — *formalem* et quatenus habet significationem determinatam, *conc.* — *Contra dist. min. :* ex conventione talis significatio tribuitur tali locutioni materiali, *conc.*, — statuta significatione, usus locutionis formalis pendet a conventione, *nego*.

Obj 3[a]. Prudentia de qua fit mentio in determinatione conditionum mendacii (Stat. Quaest., 3) non est quid præcisum. Ergo ipsa notio mendacii est quid vagum.

Resp. 1° Ut diximus, « *homo prudens* » est criterium *quasi subjectivum* sensus locutionis : iste sensus determinandus est secundum « *rectam rationem* ». Adest autem criterium *objectivum* (Stat. Quaest., ibid.).

2° *Dist. antec. :* Prudentia non est conceptus præcisus, *nego* (prudens est

enim qui se dirigit secundum rectam rationem) ; non adest regula mathematica ad discernendum num auditor fuerit prudens, si decipiatur ubi circumstantiæ non sunt facile cognoscibiles, *conc.* (sicut non facile est determinare limites regni animalis, quamvis conceptus sit præcisus). Aliud est determinare notas alicujus conceptus seu *comprehensionem*, aliud determinare utrum tale objectum materiale possideat tales notas, quod est *extensio. Pariter dist. conseq. :* Non est præcisa ipsa notio mendacii, *nego ;* non semper facile est determinare utrum talis modus loquendi sit mendacium, *conc.* Ibi erit locus applicandi probabilismum, sicut in multis casibus æstimationis moralis.

Instantia. Locutio est ad alterum, i. e. ad hominem exsistentem, concretum, cum homo abstractus non exsistat. Ergo non æstimanda est moralitas locutionis ex ejus intelligibilitate ab homine abstracto, præscindendo ab auditore concreto. V. g. si ita loquimur cum puero ut ex defectu prudentiæ necessario fallatur, immerito censemus servari veracitatem.

Resp. *Conc. Antec.* Homo quidem non exsistit modo abstracto. Attamen multa sunt prædicanda de homine essentialiter, v. g. : ex psychologia, natura et finis intellectus ; ex ethica, omnia officia et jura naturalia, v. g. jus ad veracitatem.

Dist. Consequens : Moralitas adæquata locutionis est æstimanda secundum multos respectus, v. g. ad justitiam, caritatem. Sed ibi agitur *de moralitate inadæquata*, i. e. de solo respectu ad *veracitatem*. Ad primam pertinent fines accidentales locutionis, quibus aliquando manifestatio concreta cujusdam veritatis accommodari debet ; ad secundam finis essentialis, scil. conformitas *formalis*[1] cum mente.

Adversarii non satis attendunt ad indolem sive intellectus humani, qui est abstractivus, *sive moralitatis, quæ exercetur sub lumine abstractionis.* V. g. qui, sciens, tollit vas sacrum, committit furtum et sacrilegium, quatenus libere consentit duplici malitiæ quam discernit. Item qui loquitur, intendendo falsum *formaliter* enuntiare, jam, ex hoc capite, ex abstractione rationis objectum istud exhibentis, malum morale committit, scil. mentitur. Si autem intendit ita loqui ut auditor attendens *ad regulas locutionis*[2] non sit decipiendus, non peccat contra veracitatem, sed forsan contra aliam virtutem. Adest enim « malum ex quocumque defectu »[3].

Etiam discernere oportet ea quæ *intenduntur* et ea quæ tantum (physice) *permittuntur*, v. g. error auditoris quandoque ex ratione sufficienti ; — ea quæ *loquenti* sunt imputanda et ea quæ aliunde scil. *ex imprudentia auditoris*, proveniunt. In colloquio enim sunt duo agentia. Cur uni tantum inponeretur responsabilitas locutionis et auditionis ? Ad loquentem pertinet *intelligibilitas* signorum, non semper modus quo *intelliguntur de facto*, ut ex principiis *voluntarii indirecti* patet.

Obj. 4ª. Sacerdos, non cognitus ut talis, et interrogatus de pœnitente circa ea quæ ad confessionem pertinent, deberet vel secretum sacramentale lædere vel mentiri ; si nostra definitio mendacii retinetur.

Resp. Ex *natura quæstionis* interrogans prudens suspicabitur adesse multas causas secretum celandi. Hinc non qualitas sacerdotis quidem, sed

---

(1) i. e. *locutionis intellectæ secundum regulas quæ sensum ejus determinant.*

(2) Semper agitur de regulis quæ determinant *sensum*, — non *usum*, — locutionis. Usus locutionis subjicitur multis normis diversis, speciatim moralibus, sicut quælibet actio humana.

(3) Vide Stat. Quæst., n. 3 in fine.

confuse necessitas probabilis secretum celandi cognoscitur, et ex hac circumstantia verba sacerdotis sunt complenda.

Instantia. Aliquando datur necessitas secretum servandi, quin natura quæstionis aut aliquod adjunctum speciale hoc innuat auditori. Mendacium igitur sæpe vitari non posset, aut secretum esset lædendum.

Resp. 1° Dari talem casum, *et insuper impossibilitatem tunc obscure loquendi* vel *prudenter* vel *imprudenter* admittis : si *prudenter*, concludas alios prudentes hoc etiam admittere, et ideo non decipi responsis quæ tunc accipient. Igitur mendacium vitaretur. Si *imprudenter*, ruit objectio.

2° Si revera existentia casus *semper esset sat probabilis*, prudentes deberent semper suspicari verba adhibita esse materialiter falsa, ita ut error non possit excludi nisi advertendo ad circumstantiam secreti forsan servandi. Tantum incommodum, — *quod omnino independens est a theoria mendacii*, — ostendit tuam propositionem, intellectam hoc sensu, esse rejiciendam.

Si autem agitur de mera possibilitate casus, alia sunt notanda :

De secretis quæ silentio protegi non possent.

a) Qui loquitur non debet opinari quolibet incommodum esse vitandum ;

b) ubi vera datur necessitas celandi secreti, si, — quod rarissime forsan accidit, æstimatur recte auditor prudens nullo modo posse eam suspicari, quæri debet expressio veri quæ sit aliunde obscura ;

c) vide Génicot, *Theol. mor.* 8, t. I, n. 416 ; — Viva, *De prop. damn.*, p. 252, i. e. de XXVI^a^ et XXVII^a^ damnatis ab Innocente XI (n. XI) :

1° Secundum Viva « datur via custodienti in omni casu sigillum, et simul numquam mentiendi..., videlicet utendo æquivocationibus... » et hæc sententia videtur manifesta ex eo quod utrumque officium est negativum, cujus violatio utpote intrinsece mala nequit esse necessaria. Unde

2° concludit Génicot rudes, ubi datur *necessitas* servandi secreti, si non percipiunt nisi *unicam* viam celandæ veritatis, posse sine hæsitatione hanc adhibere, etiamsi non cernant « *distincte* » quomodo « e verbis ipsis vel ex adjunctis verus sensus locutioni subsit ». Videtur assertio non tantum practice certa sed conformis nostræ thesi, nam, indirecte saltem, prædictus modus loquendi censeri potest *probabiliter* hæc via quæ, secundum Viva, *semper* adest servandi simul secretum et veracitatem (puisque toujours une route est ouverte, la seule qui se présente doit être celle-là). Nec supponitur loquentem plusminusve præternaturaliter adjuvari, sed tantum *ordinem naturalem naturaliter servari posse* in actibus liberis quibus a lege æterna præscribitur. Cf. definitionem istius a *S. Augustino* (th. 19).

d) P. Vermeersch proponit aliam solutionem (*Gregorianum*, p. 464 sq., speciatim p. 467) : « Si secretum (necessarium, et petitum — etsi inconscie — contra justitiam) silentio protegi nequit, verba quæ adhibebimus ad illum tuendum fiunt modus, et quidem necessarius, defensionis secreti. Secundum se, verba ista non essent (forte) nisi significatio falsi. Injusta alterius aggressio efficit ut sint simul propria defensio. Qua talia adhibentur ; falsa significatio mere permittitur. Quare labes mendacii abest... »

Differt essentialiter solutio a thesi adversariorum (cf. Dubois, *Rev. du Clergé*, 1900, p. 372). Contra istos formaliter negantes, retinet P. Vermeersch realem significationem falsi *directe voluntariam* esse intrinsece malam ; sed negat ibi hanc significationem realem intendi. Unde nec solutio opponitur nostris argumentis quæ prohibent *ne velimus dirigere* facul-

tatem contra finem suum ; ibi loquens alium finem intendit et *permittit tantum* verba dirigi *simul* ad falsum enuntiandum 1.

Quæ ut melius intelligantur, attendere oportet ad naturam locutionis. Facultas quidem loquendi seu mentis communicandæ inter homines est naturalis, sed exercetur mediantibus voce et gestu quibus *conventio* adjunxit significationem 2.

Ista significatio est *aptitudo* ad ducendam mentem in cognitiones determinatas. Igitur fallere, sicut verum manifestare, est *effectus* signi, non ipsum signum materialiter sumptum,

Hoc posito, *falsitas realis*, i. e. talis ut decipi possit auditor etiam ad regulas locutionis attendens, *directe intenderetur* in casu a P. Vermeersch considerato, aut 1° quia non distingueretur ab actione loquentis ; porro, ut diximus significatio additur aliunde vocibus prolatis, nempe provenit a conventione (ibi sumus cum adversariis, cf. Dubois, *loc. cit*) ; — aut 2° quia *ex se* esset conditio *sine qua non* dissimulationis efficacis ; porro hoc non probatur. Ex se, *falsitas mere apparens, sine valore signi*, sicut in amphibologiis, sufficeret ; sed, in nostra hypothesi, menti non occurit. Nulla loquenti apparet circumstantia ab auditore cognoscibilis (alius sensus vocum, natura quæstionis, etc.), quæ falsitatem realem locutionis adhibitæ reducat ad falsitatem mere apparentem, auferendo valorem signi. Tunc ratione effectus boni proportionali et immediati verborum, nempe dissimulationis necessariæ, intenditur quidem sicut in amphibologiis falsitas *apparens*, mere permittitur hæc absentia circumstantiæ valorem signi auferentis, mere permittitur falsitas *realis* 3.

Idem esset de invaso se defendente cum solis armis quæ arripere potest et essent magis nociva quam requireretur 4. Supponimus cum S. Thoma mortem aggressoris non posse licite intendi sed tantum physice permittendam esse. Vide thesim sequentem.

Nec adversarii (Dubois, etc.) ratione *paritatis* invocare possunt pro sua solutione probabilitatem sententiæ Lugonis secundum quam occisio injusti aggressoris potest *directe* intendi. Deest paritas, nam occisio non est intrinsece mala ex se, sed solum quatenus est violatio dominii Dei, quæ excluderetur si, ut supponit Lugo, *Deus concederet* aggressorem directe occidi (*De jure et justitia*, disp. X, s. 6, n. 148 sq.).

Instantia. — Secundum nos, sicut pro adversariis, negare veritatem est mendacium vel non, prout debetur vel non veritas. Ergo idem dicimus.

Resp. 1° ... ita ut ipsa essentia mendacii in eodem ponatur, *nego*. Seu :

2° quatenus, secundum nos, adest mendacium ubi *veracitas* læditur ; secundum adversarios, quatenus *justitia, saltem late dicta*, secundum quosdam forsan *honestas* in genere, læditur.

---

(1) Qui non intelligunt discrimen essentiale inter *intendere* et *permittere*, nec intelligent quomodo Deus, physice et immediate concursum præbens peccatori, causans ipse totam actionem peccaminosam, non intendat peccatum.

(2) Etsi linguarum institutio remote a multis causis pendeat, proxime tamen voces et gestus plerique paulatim electi sunt libera voluntate hominum ad exprimenda diversa intelligibilia.

(3) Aliis verbis, falsitas realis, valor signi, non includitur — saltem evidenter — in objecto formali volitionis, sed cum eo tantum connectitur ; etsi magis ex se efficax ad servandum secretum, non adhibetur ut medium ad hunc finem obtinendum, sed falsitati apparenti præter intentionem conjungitur.

(4) Fingi possunt multæ similes applicationes voluntarii indirecti, v. g. ægrotans sumere consentiens remedium nimis activum, quia aliud non habet, permittit tantum excessum activitatis.

3° secluso debito, non adest mendacium secundum nos, dummodo defectus debiti sit *ab auditore prudente cognoscibilis*; secus, ad summum licet, in casu necessitatis, falsitatem realem physice permittere ; — secundum adversarios (saltem si secum concordant) etsi defectus debiti non est cognoscibilis, falsitatem realem intendere licet.

4° Secundum nos, defectus debiti est una ex circumstantiis, mendacium excludentibus ; secundum adversarios est unica circumstantia ad quam provocant.

5° Insuper, secundum nos, auditor semper jus habet ad veracitatem, etsi forsan non ad talem veritatem.

Cf. cæterum nostrum *Catéchisme du mensonge* (in *Probl. fondam.*..., appendicem).

Contra 2am partem.

*Obj. 1*ª. Occultatio etiam incompleta veritatis opponitur manifestationi. Ergo disconvenit ex parte locutionis.

Resp. *Nego ant.* Opponitur tantum *completæ* manifestationi. Jam naturalis ordinatio nostræ facultatis loquendi est ad manifestationem mentis : manifestatio imperfecta remanet intra limites ordinis.

*Obj. 2*ª. In amphibologia aut restrictione intenditur falsum simul ac verum. Ergo involvitur mendacium.

Resp. *Dist. antec.* Intenditur materialis enuntiatio falsi, *conc.* ; formalis, i. e. spectatis circumstantiis, et ita ut homo prudens possit falsum credere, *nego* (cf. Vermeersch, I, p. 36).

Apud S. Thomam speciatim videndæ sunt objectiones desumptæ ex sancta scriptura : IIª IIæ, q. 110, a. 3. Circa Jacob, nota eum emisse et sic potuisse affirmare sua jura primogeniti, et imprudenter Isaac non eum agnovisse ex voce 1.

Circa applicationes nota : Sæpe fideles dicunt se mentiri debuisse ad discordias, blasphemias, etc... vitanda. In his casibus sæpe simpliciter eis dicendum est eorum responsiones esse licitas, non mendacio, quia de facto audiens debet ex adjunctis intelligere veritatem. Sed generatim ridiculum esset velle eis explicare theoriam de restrictione mentali.

Secundum ordinem Providentiæ multa sunt in philosophia aut theologia morali quæ sic captum superant multorum ; isti sunt a sapientibus dirigendi, quin semper rationes intelligant.

CONCLUSIO

Thesis de mendacio ad sequentia reducitur.

1° Nunquam licet *velle* etiam minimam *deordinationem ontologicam irreductibilem.*

Talis assertio non est systematica :

Deus non sibi contradicit. Volens creare naturam cum ordine

(1) De Angelo apparente Tobiæ (Tob., V. 7, 16 sq.), cf. Crampon, *Bible*, III, p. 101 — Lethielleux, *Bible*, liv. de Tobie, p. 35, 36 ; — Thomassin, *op. cit.*, chap. XII, p. 197 sq. — Ex more sat recepto apud suam gentem, non adeo difficile poterat Tobias suspicari suum cælestem comitem loqui modo figurato.

necessario ex ea surgente, vult hunc ordinem : inde lex æterna « ratio et voluntas divina, *ordinem naturalem* conservari jubens, perturbari vetans (cf. *thesis*, 19). »

Porro error auditoris, aut falsitas realis seu quæ ex se fallit, quippe quæ valorem signi habeat, sunt deordinationes hujusmodi.

Ergo numquam licet ea *intendere*, etiam ut *media ad finem necessarium*.

Ergo thesis Domini Dubois rejicienda est (cf. *Science catholique*, 1897, p. 891 sq. ; — et *Revue du Clergé français*, t. XXIII, p. 372 sq., t. XXIV, p. 162).

2° Sed ex principiis *voluntarii indirecti* licet aliquando *permittere physice* deordinationem.

Inde, data ratione proportionnata salvisque aliis conditionibus, licet permittere physice auditorem *imprudenter* errare. Hinc *theoria restrictionis mentalis aut amphibologiæ*.

3° Licetne etiam, ut ait P. VERMEERSCH, in casu necessitatis, permittere ut in sermone adhibito sit *falsitas realis*, i. e. habens *valorem signi* pro auditore qui attendit ad *regulas sensum locutionis determinantes* ?

Practice nulla est difficultas ; nam necessitas, obligatio finis prosequendi *ostendit* (non dicimus : *efficit*), licitum esse quidquid requiritur.

Theoretice, solutio P. VERMEERSCH probabilis videtur, vide supra.

ARTICULUS II

DE MUTUIS OFFICIIS CIRCA CORPORIS INTEGRITATEM

Homicidium, i. e. « directa occisio proximi privata auctoritate extra casum necessariæ defensionis » violat strictam justitiam non tantum erga Deum, sed etiam erga hominem. Etenim homo habet dominium imperfectum in vitam, seu proprie jus utendi sua vita (« dominium utile »). Jam privatur usu si privatur substantia.

Utrum autem liceat proximum occidere privata auctoritate ad vitam propriam defendendam nunc quæritur.

THESIS XL. — Contra injustum aggressorem se defendere licet usque ad istius occisionem, servato « moderamine inculpatæ tutelæ ».

II^{a} II^{æ}, q. 64, a. 7 ; — LESSIUS, *De just. et jure*, c. 9, dub. 8 ; — FERRETTI, t. II, p. 251 sq. ; — NOLDIN, *De præc.* ; — SCHIFFINI, p. 81, notam. ; — DD. D'HULST, *Conf*, 1896, p. 63-71, p. 362.

STATUS QUÆSTIONIS

« *Moderamen inculpatæ tutelæ* » tres conditiones involvit : primam de *tempore*, secundam de *modo*, tertiam de *intentione*.

1° Requiritur aggressionem esse actualem, saltem moraliter loquendo : v. g. non sufficit insidias positas fuisse ; a fortiori post aggressionem, si tunc adest securitas, interficere inimicum non licet sub prætextu periculi futuri (cf. th. XVIII, damnata ab Alex. VII). Si e contra inimicus jam parat arma, censetur moraliter jam aggredi.

2° Requiritur hanc tantum violentiam adhiberi quæ necessaria est ad se defendendum. Potes tantum vulnerare, si hoc sufficit. Debes fugere, si hoc possibile est sine magno incommodo. Tamen inculpandus non es, si in tanta necessitate versatus, excedis in violentia, ex eo quod non fuit tempus omnia expendendi adjuncta (cf. Noldin).

3° Intentio non ad vindictam, sed ad defensionem dirigenda est.

Nota theseos : Metaphysice certa, si de sola justitia agitur et de casu generali. Ratione autem caritatis et theoretice, saltem aliquando dubitari potest de liceitate utendi jure (vide schol. II). Circa casus aggressoris amentis aut ebrii, adest certitudo saltem moralis lato sensu.

Difficultas thesim probandi exsurgit ex jure aggressoris ad vitam, de quo agetur in scholio.

PROB. — 1° (*præscindendo ab hoc jure, ex necessitate securitatis publicæ*). Certo jus illud admittendum est quod requirit securitas omnis hominis probi.

Ergo...

Declaratur antec. — Quidquid est de difficultate ex jure aggressoris, lex naturalis certo protegere debet innocentem : secus tanta esset audacia improborum ut de ipsa societate mox actum esset (cf. Ferretti, t. II, p. 82 sq. et Lugo quem citat).

PROB. — 2° (ex comparatione jurium).

Inter jura aggressoris injusti et invasi innocentis ad vitam, præstat jus invasi. Ergo vel jus aggressoris periit, et invasus potest, aliquando, etiam directe intendere ejus mortem ; vel utrumque jus remanet, et tunc invasus saltem rationem sufficientem habet quandoque hanc mortem permittendi, i. e. intendendo vulnus *quod* sed non *qua* mortiferum est, seu inten-

dendo tantum reddere aggressorem *impotentem hic et nunc*, non eum occidere (cf. S. Thomas, *l. c.* et Lessius, *l. c.* n. 53)

N. B. — *a*) Hæc explicatio ultima non admittenda esset, si impotentia tantum obtineri posset mediante morte ipsa ; sed hoc non est evidens : ex vulnere gravi sequitur immediate impossibilitas utendi quibusdam nervis et musculis, simul vero ipsa mors quæ permittetur ut mera consequentia ; — *b*) aut si vulnus non posset directe intendi ; hoc autem certe licet in casu, nam est intendere malum mere physicum quod supponimus necessarium ad defensionem innocentis. Utrum de morte aggressoris, idem sit dicendum, vide schol.

COROLL. — 1) Rationes præcedentes extendi possunt ad casum defensionis bonorum magni momenti. Honor et fama sunt excipienda, ut infra patebit (th. sq.)

2) Valent etiam de defensione aliorum.

3) Saltem secundum argumentum probat in casu aggressoris ebrii aut amentis.

SCHOL. I. — Probabilius admittenda est sententia S. Thomæ contra Dom. Soto, Lugo et cœteros[1] : Scil. negatur aggressorem amittere jus ad vitam, quamvis certo amittat jus ad integritatem membrorum, ut patet ex necessitate defensionis ex parte invasi (cf. S. Thomas et Ferretti, p. 254).

PROB. — Aggressor non amittit jus ad vitam, nisi ratione conflictus jurium.

Atqui talis conflictus non datur.

Ergo...

Prob. min. — Non datur conflictus, nisi quatenus unum jus nequit exerceri, quin aliud directe violetur. Atqui in casu, jus invasi potest exerceri, quin directe violetur jus aggressoris. Etenim invasus potest se defendere, quin directe intendat occidere aggressorem.

Cf. Cathrein, th. 54, arg. 2^um^ Schol. ; — Schiffini, *loc. cit.*, notam). Ergo.

Seu : Non præsumenda est concessio divina *intendendi* mortem alicujus, nisi ex necessitate, quæ ibi non est, cum sufficiat *permittere*.

SCHOL. II. — Theoretice caritas posset exigere aliquando ut invasus abstineat a defensione, saltem si aggressor amens

(1) Soto, *De just.*, q. 1, a. 8 ; — De Lugo, *De jure et just.*, disp. X, s. 6, n. 148 sq. — Vide optimam explicationem Cajetani quam citat Vermeersch, *Gregorianum*, 1920 p. 466.

vèl ebrius versatur in periculo damnationis. At optime dicit *Cathrein* : « Id fieri posset, si moraliter certum esset eum in peccato morali versari, et certa et magna spes esset eum salvandi, et insuper moraliter certum invasum in statu gratiæ versari. Sed hæc in praxi vix umquam omnia simul adesse possunt. »

Si autem aggressor non est amens vel ebrius, cum pendeat ab ipso non se exponere, invasus potest *permittere* ejus damnationem, ratione boni non tantum *proprii sed communis*; vide argumentum primum.

ARTICULUS III

DE OFFICIIS MUTUIS CIRCA FAMAM ET HONOREM

II[a] II[æ], q. 73, a. 1 et 2 ; — Lessius, *De just. et jure*, c. 11, dub. 1 ; — De Lugo, *De just. et jure*, disp. 14, s. 1.

Notiones : *Fama* est aliorum de nobis rebusque nostris judicium.

Hic *honor* non intelligitur pudicitia.

Honor fundamentaliter spectatus est probitas et virtus ; — *formaliter* spectatus est testificatio bonæ æstimationis. Sumi potest præcisive vel complete, secundum quod præscinditur a reali bona æstimatione vel ista includitur.

Homo in societate vivens licite potest et aliquatenus debet moderate quærere famam et honorem, cum ista bona sint ei necessaria generatim in relationibus socialibus et insuper bona fama sit magnum præsidium virtutis[1] (cf. Noldin, II, 1913, p. 76 ; — Michel, *Dict. de Théol. Vacant*, art. « Gloire humaine », c. 1426 ; — II[a] II[æ], q. 132, a. 1.)

Cum obligatio per se sit levis, potest interdum negligi ratione boni superioris, et quidem laudabiliter (cf. *Exercitia S[ti] Ignatii*).

THESIS XLI. - **Alium vulnerare vel occidere ad famæ et honoris proprii defensionem est illicitum.**

STATUS QUÆSTIONIS

Nequit esse sermo de defensione contra injuriam jam illatam. Defensio enim est tentamen ad propulsandam aggressionem actualem.

---

(1) Ut notat Cathrein cum Lugo (l. c., n. 36), inde apparet cur læsio famæ, etiam per revelationem *veri* criminis, sit injusta, seclusa causa sufficienti. Sicut enim jus proprietatis quandoque fundatur in solo facto possessionis, ita etiam jus ad famam ; ratio remota eadem est : exigitur a pace sociali.

Nota theseos : Moraliter certa sensu lato, ex argumentis philosophicis (cf. Prop. XVII, XVIII damnat. ab. Alex. VII, a. 1665 et prop. XXX, damn. ab Innoc. X. a. 1769.

DEMONSTRATIO

PROB. — Defendere famam et honorem proprium alios vulnerando aut occidendo caret *generatim* moderamine inculpatæ tutelæ.

Ergo, prohibetur, *et quidem semper*, dato semper gravi periculo hallucinationis (cf. th. 26, schol.).

Prob. ant. — Moderamen prædictum supponit :

a) aggressionem esse actualem,
b) grave et certum adesse periculum magni damni.
c) non adesse aliam viam injuriæ propulsandæ.

Atqui generatim non adsunt saltem simul istæ tres conditiones[1].

Ergo...

THESIS XLII. — Duellum lege naturali prohibetur.

De Lugo, *De Just. et Jure*, d. 10, n. 171 ; — Meyer, t. II, p. 76 sq. ; — *Dict. apol.*, art. « Duel » (P. Rivet) ; — *Dict. de théol.*, art. « Duel » (Comte Estève) ; — *Grande Encycl.*, *Dict. Dupiney de Vorepierre*, art. « Duel » ; — Ferretti, t. II, p. 263 ; — De Lehen, l. 6, p. 138 ; — Taparelli, t. I, p. 396 ; — Gerdil, *Combats singuliers*, c. 5 (Migne 34, XXXIV, 303) ; — Besson, *Décalogue*, 19e conf., 1re partie, t. II, p. 40 ; — DD. d'Hulst, 1896, 3e conf., p. 91 et n. 12 ; — De Maistre, t. VII, 1er paradoxe, p. 283 ; — *Etudes*, t. LI, p. 621 ; t. LXIII, p. 337 ; t. XLIV, p. 35 ; — *Questions actuelles*, 18 janvier 1913 (multa documenta) ; — alios apud Cathrein et P. Rivet.

STATUS QUÆSTIONIS

1. *Duellum* est *certamen singulare privata de causa ex condicto susceptum cum armis ad occidendum vel vulnerandum idoneis*[2]. Igitur non spectamus pugnam etiam singularem, ob causam publicam, v. g. ad bellum dirimendum, et auctoritate publica susceptam ; nec rixam, quæ sine condicto præcedenti de armis, testibus, loco et tempore pugnandi, oritur subito.

2. Ecclesia sæpe reprobavit etiam illud duellum quod medio

---

(1) Circa 2am, cf. DD. d'Hulst : « L'honneur ne se perd pas comme la vie, en un instant » (*Conf.* 1896, de duello).

(2) Secundum jus canonicum intelligenda est *idoneitas* quæ sequatur *ex ipsa natura armorum* (cf. Ojetti). Secundum legem naturalem, ut sit duellum proscriptum, sufficit esse *concrete* timendum grave periculum mortis vel vulneris.

ævo coram judice auctoritate publica fiebat[1]. Severis insuper pœnis « detestabilem duellandi usum » prohibuit (*Conc. Trid.*). Tandem *Bened. XIV* a. 1752 sententiam damnavit theologorum qui docebant duellum non semper repugnare legi naturali (cf. Enc. *Pastoralis officii*, Leonis XIII, éd. Bonne Presse, t. III, p. 85).

3. Honor cujus offensus reparationem intendit in duello non est honor fundamentalis, sed formalis (th. præc.). Porro honor formalis, etiam quando manifestat realem æstimationem et fundatur in vera probitate et virtute illius qui honorem accipit, non est bonum adeo necessarium ut in omni casu naturalis ordo exigat ejus conservationem aut recuperationem esse possibilem per media licita.

4. Duplex adspectus in duello potest, ut videtur, distingui : — *a*) periculum — *b*) formalitas pugnæ cui immerito æstimatio mundana tribuit quosdam effectus, vg. quasi probationem virtutis impugnatæ. Aliquando forsan duellum sub secundo adspectu intenditur periculo tantum permisso. Si hæc distinctio rejiceretur, probatio theseos esset facillima.

Nota theseos : Vi argumentationis philosophicæ moraliter certa, excludens saltem probabilitatem oppositi.

DEMONSTRATIO

PROB. — Duo sunt illicita :

1° Intendere privata auctoritate periculum vitæ propriæ vel alienæ ;

2° Illud permittere sine justa causa.

Atqui duellantes aut primum aut secundum assumunt.

Ergo...

Prob. maj. quoad utrumque : Non sumus vitæ domini.

Prob. min. : Vel 1° duellans adit pugnam ne pro ignavo habeatur et tunc ipsum periculum intendit ut fortitudinem aut potius vanam audaciam ostendat[2].

Vel 2° formalitatem tantum pugnæ, permisso periculo, intendit propter effectum bonum qui aut non obtinetur, aut magis

(1) In quo falso præsumebatur judicium Dei, jura et veritatem protegentis.

(2) Media multo aptiora ostendunt fortitudinem et quidem veram : primum medium est officium suum implere, i. e. spernendo accusationes, denegare duellum. Insuper non defuerunt qui ut roboris præberent testimonia, occasiones arripuerunt pugnandi pro patria, aut ægrotos curandi, etc. (cf. *art. cit.*, c. 1-13, 1214).

remote quam effectus malus ideoque non est justa causa (cf. de voluntario indirecto).

Probatur : periculum vitæ est effectus malus, per se et immediate conjunctus cum duello, e contra effectus bonus :

a) aut esset, *in ipsa formalitate* pugnæ, *reparatio* imposita ; sed ex vana opinione censetur honor reparari per actum qui ad hoc naturaliter ineptus est et novis damnis, i. e. ictibus ipsius offensoris, sine reali necessitate, offensum exponit ; nec ad privatos pertinet reparationem violentam imponere ;

b) aut esset, *mediante duello, legitima defensio ;* sed injuria jam est præterita et nequit impediri ;

c) aut *timor incussus* ad præcavendam injuriam in posterum ; sed periculum istius est remotum et multi, nedum duellum timeant, audaciores fiunt, si, quidquid mali aliis dixerint aut fecerint, medium semper habeant ut æstimationes hominum servent aut recuperent ;

d) aut (*adhuc mediante duello*) *restitutio æstimationis :* — sive ex parte offensoris quasi vi armorum coacti ; sed mentem mutare arma nequeunt : nonnisi mendacium aliquando obtinent ; — sive ex parte aliorum hominum qui accepturi essent duellum ut probationem virtutis, excellentiæ impugnatæ, aut saltem intimæ persuasionis offensi de istis ; sed cum duellum æque faveat probo et improbo, nihil probare potest ;

e) aut esset, mediante æstimationis restitutione, conservatio communis commercii, muneris, etc. ; sed tunc effectus bonus adhuc magis remote obtinetur.

SCHOL. — Etiam *duella studentium* seu *mensuræ*, qualia in Germania fiunt, sunt naturaliter illicita et merito pœnis ecclesiasticis subjiciuntur (*Cong. S. Conc.*, d. 9 Aug. 1890). Etenim ad vitanda vulnera gravia sufficientes præcautiones adhiberi nequeunt. Insuper qui honestatem pugnarum istarum defendunt, negant quidem adesse in eis periculum, sed ex alia parte asserunt « mensuras » utiles esse ut juvenes assuescant non timere periculum ; sibi igitur contradicunt.

Principia ad solvendas difficultates.

1° Quamvis forsan distingui possint ratione formalitas pugnæ et periculum, istud saltem est per se duello connexum. Igitur effectus honestan. pugnam deberet per se etiam aut saltem non mediante aliquo effectu malo cum ea conjungi, secundum principia voluntarii in alio. Inde evincuntur prætextus cujuslibet effectus boni ex duello obtinendi, sed mediante vel æstima-

tione vana hominum vel violentia iniqua, vel mendacio offensoris victi, etc... : vide prob. supra datam.

2° Valet argumentum nostrum, ut ostendat duellum esse illicitum tum intra, tum extra civitatem (contra ea quæ per jocum scripsit De Maistre, *op. cit.* [1] ; — cf. Rivet, *art. cit.*, c. 1204 et 1211 in fine).

3° Vide 4^um^ prænotandum, quod præsertim valet ubi duellantes sunt extra civitatem. Ista enim ex insufficientia hominis privati ad jura ordinate vindicanda probatur præcise a natura intendi.

Hinc solves sequentem objectionem.

Adhibere licet medium aptum et unicum ad honorem servandum aut reparandum.

Atqui tale est duellum. Ergo...

Resp. *Dist. maj.* :... ad honorem *fundamentalem* servandum aut reparandum, saltem si agitur de *virtute, conc.* ;... *formalem, subdist.* : ex hac sola ratione quod medium est aptum et unicum, *nego* ;... si salvantur conditiones ut medium ex alia parte sit licitum, speciatim secundum principia voluntarii indirecti, *conc.* — *Contradist. min.* : duellum est aptum ad reparandum honorem *fundamentalem*, *nego* ; *formalem, subdist.* : natura sua, *nego* ; per accidens tantum ex vana hominum opinione, exindeque illicitum ex argumento supra dato, *conc.*

N. B. — Præsertim de ipsius vitæ periculo arguimus. Sed rationes valent etiam si agitur de integritate membrorum (cf. *art. cit.*, 2um argumentum. : text. Leon XIII).

Vide alia secundaria in eodem articulo.

Aliæ objectiones.

Obj. 1^a^. Licet vitam propriam exponere, etiam ad bonum non æque immediate sequens. Ergo argumentum non probat. — *Prob. Ant.* : Licet in bello se exponere vitæ periculo ad salvandam patriam. Atqui salus patriæ minus immediate sequitur actionem pugnandi ac effectus malus qui est periculum mortis. Ergo.

Resp. *Nego ant.* et *ad probat. dist. maj.* :... ex publica auctoritate vel in casu actualis aggressionis, *conc.*, secus, *nego*. — *Contradist. min.* :... ita ut ex publica jussione jam actio pugnandi sit ipsa aliquod bonum, scil. actus defendendi patriam et obedientia heroica quæ immediata præstatur, *conc.*, secus, *nego*. E contra duellum non est protectio seu defensio honoris nisi ex vana fictione.

Obj. 2^a^. Potest quis ad salvandum suum honorem privatum, v. g. ut se ostendat non ignavum, *directe intendere* periculum mortis in bello justo. Ergo a pari in duello.

Resp. *Nego paritatem* : nam periculum in bello justo jam eohonestatur

(1) Vel : *Lettres et ouvrages inédits* (Vaton, Paris, 1851, t. II, p. 101). De historia opusculi et mente auctoris, cf. ibid. (p. 99, 100). La marquise de Nav. avait demandé quelques paradoxes pour l'amuser. De Maistre s'exécuta, après cet avis préliminaire : « Le paradoxe n'affirme rien, précisément parce qu'il exagère et qu'il s'en vante » *Lettre à la Marquise*, Lausanne, 1^er^ août 1795).

ex alio capite, ut dictum est ; potest igitur ut periculum intendi etiam et secundario, dummodo retineatur primaria intentio, scil. protegere, restaurare vel vindicare patriam, quo intento, jam adire periculum non est violatio divini dominii in vitam.

Obj. 3ª. Licet bellum movere ad honorem publicum salvandum. Ergo a pari duellum adire ad honorem privatum.

Resp. *Nego paritatem*, cum bellum non liceat movere nisi ex auctoritate publica quæ jus habet ut hostes puniat (cf. *thesim de bello*).

Obj. 4ª. Non repugnaret duces supremos inire duellum aut jubere ut bellum cesset. Ergo a pari, data ratione sufficienti, licitum est duellum.

Resp. Semper eadem : privati non habent jus gladii.

Obj. 5ª. Qui sunt sui juris possunt periculum vitæ adire. Atqui *extra civitatem* quisque est sui juris. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* :... si essent independentes a dominio Dei, *conc.* ; si sunt tantum independentes ab auctoritate civili, *nego*.

Obj. 6ª. Moralistæ agnoscunt legitimitatem defensionis vitæ cum armis ab aggressore oblatis.

Resp. Non est duellum, nam deest liberum condictum.

De officiis circa libertatem et speciatim de libertate conscientiæ disseremus cum quæstio erit de liberalismo in Ethica sociali.

CAPUT IV

DE JURE PROPRIETATIS

Ut in 1ª thesi probatum est, omnia in hoc adspectabili mundo sunt propter rationalem creaturam. Sed sunt homines plurimi. Hinc quæstio : quomodo se habeant inter se circa res exteriores ? Quidnam sit regimen a natura intentum aut concessum quoad dominium in terram, ejus fructus et res cæteras ?

Hæc quæstio locum habet inter præcipua problemata socialia. Eam nunc tractabimus, tanquam etiam pertinentem ad Ethicam individualem.

De divisione quæstionis. - Videbimus : 1° notiones generales ; — 2° falsa systemata tum communistarum, — 3° tum socialismi agrarii, — 4° tum eorum qui jus proprietatis privatæ admittentes errant circa ejus fundamentum ; — 5° veram sententiam exponemus ; — 6° de modis dominia acquirendi agemus et speciatim de jure testandi.

ARTICULUS I

GENERALES NOTIONES CIRCA PROPRIETATEM

De jure in genere, recole quid fuerit dictum in Ethica generali.

Jus *dominativum*, seu facultas moralis opponitur juri *præceptivo*, i. e. legi.

Dividitur in jus *jurisdictionis* et jus *justitiæ commutativæ*, prout in bonum subditorum aut in proprium bonum tendit.

Jus vero justitiæ commutativæ seu strictum vocari etiam potest *jus proprietatis lato sensu*. Est « *potestas moralis in rem suam* », ut dictum est.

Hoc jus tandem proprietatis lato sensu versari potest circa *immaterialia*, vg. libertatem, aut *materialia*. Quando objectum materiale habet, vel est *dominium perfectum*, i. e. se extendens

ad omnem dispositionem de hac re a lege non prohibitum, vel *imperfectum*, quod iterum dividitur in dominium *directum* (jus disponendi de substantia rei, immutandi, alienandi), in dominium *utile* (jus utendi), etc... *Jus proprietatis stricto sensu dicitur tantum de dominio aut perfecto aut saltem directo.*

Hæc resumuntur in tabula sequenti.

Jus strictum, seu justitiæ commutativæ, seu proprietatis lato sensu versatur circa	vel immaterialia, v. g. libertatem			
	vel materialia	dominium *perfectum*		*Jus proprietatis stricto sensu.*
		dominium imperfectum	*directum*	
			utile	

Definitio dominii perfecti (*apud hominem*, i. e. *relative perfecti*) : « *est jus perfecte disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur.* » (ANTOINE, XVI).

Limites qui apponuntur in ista descriptione videntur esse per accidens relate ad ipsum jus. Ratione sui et in ordine justitiæ commutativæ istud esset sine limite. Sed quatenus non est nisi elementum ordinis juridici et totius ordinis moralis, quatenus etiam homini non competit nisi per participationem divini dominii, limites habet ratione aliorum elementorum et dependentiæ erga Deum, et quidem tum morales, tum juridicos, imo in ordine ipsius justitiæ commutativæ. — 1° Non liberat hominem a præscriptionibus legis naturalis, ut est officium caritatis ; — 2° non excludit aliquam subordinationem civitati ; — 3° nec plenissimam subjectionem supremo Domino (cf. SCHIFFINI, *Eth. spec.* p. 128 et LUGO quem citat ; vide etiam infra de origine proprietatis veram sententiam in fine theseos).

Divisio proprietatis . — 1. Ratione *subjecti (proprietarii)*, est : — *a) publica* aut *privata*, prout competit aut non communitati perfectæ (i. e. Ecclesiæ, Societati politicæ) ; — *b) collectiva* aut *individualis*.

2. Ratione *objecti* est *mobilis* aut *immobilis* prout bona possessa loco moveri possunt aut non absque mutatione sui.

3. Ratione *finis* dividitur in proprietatem bonorum *productivorum* et *consumptivorum (biens de production* et *de consommation*), secundum quod res possessa immediate ordinatur ad usum et consumptionem, aut ad productionem bonorum aliorum.

ARTICULUS II

DE SYSTEMATIBUS COMMUNISTARUM

Ampla et selecta bibliographia invenitur apud Fallon, S. J., *Princ. d'écon. soc.*[2] (1923), p. 116, 125.

Præsertim commendantur : Cathrein, *Phil. mor.* ; *Socialisme*, trad. Feron ; — Antoine, *Cours d'éc. soc.*, chap. IX, XI, XIII (theorie de Marx) ; — Carnet, *La propriété individuelle et le collectivisme* ; — Vermeersch, *De justitia*[2] ; — Castelein, *Le socialisme et le droit de propriété* ; — Bucaille, *Les écoles socialistes* (1912) ; — Fallon, *op. cit.* ; — *Lettre des ev. de Belgique sur le Socialisme*, Nouv. Relig. 1er oct., 1er novembre 1925.

De historia socialismi : J. Rambaud, *Hist. des doctrines économiques* ; — Gide, *Hist. des doctr. écon.* ; — Gonnard, *Hist. des doctr. econ.* ; — Guggenberger, *L'évolution actuelle du socialisme en France* (1912) ; — du Passage, Études, 5 juillet 1920 : *Avec Marx ou Proudhon* ; — Verdier, *Rev. prat. d'Apol.*, 1919, 1920 ; — Publications de l'*Action populaire*, passim ; — *Correspondant*, passim.

§ I. — Eorum doctrina exponitur.

I. ***De Communismo in genere.*** — A communione bonorum dicitur.

Est *negativus*, si rejiciens omne jus proprietatis æstimat *omnia bona debere communia esse negative*, quibus scilicet pro lubitu quisque uti possit.

Est *positivus*, si docet *bona omnia debere a quibusdam communitatibus possideri.*

Communismus positivus est *absolutus* aut *moderatus* prout bona *sine exceptione* omnia aut *tantum productiva* in commune intendit redigere.

Communismus moderatus in *anarchismum* et *socialismum* subdividitur : 1° Anarchistæ bona productiva tradi volunt *municipiis* aut *communitatibus operariorum inter se independentibus* ; socialistæ societati civili ; — 2° Anarchistæ *auctoritatem politicam* respuunt, non autem socialistæ ; — 3° Anarchistæ *vim* adhibere volunt, socialistæ vero *media politica*, electiones.

II. ***Definitio Socialismi.*** — Est « *systema œconomico-politicum, quod, translato in totam rempublicam dominio bonorum productivorum totam productionem et distributionem bonorum per ipsam rempublicam democratice constitutam ordinandas esse statuit* » (Cathrein ; — Antoine, IX, 1 ; — Schwalm, *Leçons de phil. soc.*, I, 358).

Cum scientifico apparatu præsertim fuit propugnatum a Carolo Marx (1818-1883)[1].

---

(1) Quia, inter omnes, ejus theoria se præbet ut scientificam, imprimis est cognoscenda et confutanda ; theoriæ mitigatæ vel tendentiæ ad socialismum ex aliis thesibus infra evincentur.

III. — ***Expouitur socialismus democraticus Caroli Marx.*** — 1° *Damnat individualismi liberalis principium « laissez faire »*, ex quo sequuntur anarchia productionis, concurrentia, pugna universalis, et inde miseria crescens debilium.

2° *Damnat speciatim injustitiam divitum erga operarios*, non ut injustitiam moralem, sed ut *ex ipso regimine œconomico resultantem*, præcipue arguens ex *theoria valoris* quam ita excoluit.

Duplex alicujus rei valor distinguitur :

a) Valor *usualis* = aptitudo ad usus personales.

b) Valor *commutativus* = aptitudo ad commutationes.

Primus constituitur *proprietatibus naturalibus* rei.

Secundus (*præsupposita sociali utilitate*) *labore* quo res producitur, et qui *in abstracto* consideratus *unicam rationem communem præbet inter res commutandas*. Hic labor *mensuratur ex tempore ad productionem requisito in præsenti statu societatis et conditionibus ordinariis* (Antoine, XI, 2 ; — Gide, *op. cit. : Le marxisme*).

Sicut aliæ merces, *vis operarii ad laborandum*, v. g. per unum diem (*force-travail*) habet :

a) Valorem *usualem*, scil. aptitudinem laboris, per unum diem adhibiti ad augendum valorem commutativum rerum. (*Valeur usuelle du travail = valeur d'échange du produit du travail*),

b) Valorem *commutativum*, qualis æstimatur in contractu locationis (*ne pas confondre avec la valeur d'échange du produit du travail*).

Ex dictis de rei valore in communi : primus mensuratur ex tempore per quod labor operarii quotidie adhibetur ad augendum valorem commutativum rerum ; secundus ex tempore (quotidie) requisito ut operarius vim suam reficiat, i. e. producat ea quae ad subsistentiam propriam sunt necessaria.

Primus autem multum excedit secundum : hinc augmentum valoris soli capitalistæ injuste proficuum. (C'est la théorie du *sur-travail* et de la *plus-value*, cf. Antoine, XIII, 2 ; — Rambaud, p. 451 : — Gide, Gounard, *l. c.* Voir notre tableau synoptique).

3° *Theoria evolutionis materialistica.*

Paulatim debiles a validis, et hi a validioribus spoliantur, usquedum « exproprietatores » ipsi exproprientur a toto populo. Hanc evolutionem œconomicam comitatur *tanquam ejus effectus* generalis transmutatio idearum (Gide, *l. c.* ; — Ram-

	VALEUR D'USAGE	VALEUR D'ÉCHANGE
1° Pour une *marchandise quelconque.*	a) = *utilité propre* de cette marchandise ; b) *résulte de sa nature*, donc varie d'espèce avec l'objet, se refuse à une comparaison ; c) donc *incommensurable* avec les autres valeurs.	a) = *pouvoir d'acquisition.* b) *résulte d'un élément commun* aux objets échanges, qui ne peut être que le *travail humain incorporé* ; — est formellement constituée c) et donc *mesurée par le nombre d'heures nécessaire à la production* (on suppose un travail socialement utile). *Valeur d'échange = Travail humain cristallisé.*
En conséquence : 2° Pour le *travail d'une machine* travail = énergie dépensée	*La valeur d'usage de l'énergie dépensée* est mesurée par la valeur d'*échange* communiquée aux *objets*, c'est-à-dire par le nombre d'heures de travail humain qui fournirait cet accroissement de valeur (cf. 2e colonne, 1°).	*La valeur d'échange de l'énergie dépensée* est mesurée par le nombre d'heures nécessaire pour la produire.
En conséquence : 3° Pour la *force-travail de l'ouvrier* (v. g. louée pour un jour).	*La valeur d'usage* est *mesurée* par le nombre d'heures que la force-travail incorpore aux objets fabriqués, c'est-à-dire par le nombre d'heures pendant lequel l'ouvrier travaille de fait, v. g. 10 heures en un jour.	*La valeur d'échange est mesurée par le nombre d'heures nécessaire pour reproduire la force-travail* de l'ouvrier, c'est-à-dire pour que celui-ci gagne sa subsistance, v. g. 5 heures. C'est cette valeur, — moindre que la valeur d'usage, — que le patron achète, bénéficiant du sur-travail fourni de fait.

BAUD, p. 456 ; cf. p. 462 ; — K. MARX, *Manifeste communiste*[1]).

4° *Novus ordo socialis postulatur et necessario eveniet*, in quo :

a) Societas civilis sola possideat omnia bona productiva ;

b) Regimen sit democraticum omnino et omnia jura sint æqualia *in concreto*, quantum fieri potest (ANTOINE, IX, 2 : *Le socialisme et l'égalité*).

c) Societas totam productionem et distributionem bonorum communi opera productorum ordinet.

Hinc consequentiæ quas multi ignorare volunt : inquisitio universalis, — jugum strictum omnibus impositum — totius ordinis politici, socialis, religiosi subversio (ANTOINE, IX, 2 ; — K. MARX, *Manifeste communiste*, trad. Andler, p. 46-50, 78).

§ II. — SOCIALISMUS REFUTATUR.

THESIS XLIII. — Socialistarum systema falsis fundamentis nititur ; — nec est moraliter possibile, saltem modo stabili.

STATUS QUÆSTIONIS

1. Relativement à la première partie, comme K. Marx s'appuie sur une fausse théorie de la valeur, nous lui opposons les notions suivantes (ANTOINE, XI ; 2 ; cf. plus loin : *du prix*).

La *valeur* en général « *est l'estimabilité d'une chose à cause de sa bonté absolue ou relative.* »

La *valeur économique* : « *est l'estimabilité d'une utilité économique appropriée* » (*économique* : c'est-à-dire d'ordre matériel ; — *appropriée* : c'est-à-dire soumise à un domaine positif, à un droit de propriété déterminé ; tel n'est pas, par exemple, l'air pur que nous respirons).

Ces définitions sont conformes à la façon de parler des hommes. Nous verrons qu'il n'en est pas ainsi des théories de Marx, et qu'il travestit la vérité.

2. Pour ce qui est de la seconde partie, nous prenons la nature humaine telle qu'elle est de fait.

Nota theseos : omnino certa, ut ponitur.

---

(1) « Ce n'est pas la conscience de l'homme qui détermine sa manière d'être, mais sa manière d'être sociale qui détermine sa conscience ». (K. MARX, préface de sa *Critique de l'économie politique*, p. V ; voir tout le passage et d'autres précisions dans GIDE, *op. cit.*, 1re éd., p. 540, 541).

DEMONSTRATIO

PARS I[a]. — Socialismus nititur falsis fundamentis.

1° Falsa est theoria Caroli Marx de valore. — Nam :

a) Non solum labor, sed præcipue utilitas est ratio communis inter res commutandas[1].

b) Hinc non probatur valorem commutativum unice constitui labore incorporato, imo experientia docet valorem præcipue fundari in utilitate (Antoine, XI, 2 refutat Marx ex regulis inductionis : invenimus valorem commutativum labore absente, laborem absque augmento valoris, laborem parem junctum diversis valoribus. — Cf. Cathrein, *Socialisme*).

c) Inde rejicitur conclusio circa augmentum valoris et injustum lucrum capitalistæ, quæ cæterum factis contradicit (Antoine, XIII, 2; — Rambaud, p. 454) : salarium sæpe excedit expensas necessarias operarii, labor directionis debet remunerari[2], mali eventus fortunæ probabiles præcaveri aut compensari ; multi abusus a socialistis exaggerati fuerunt, aut a legibus et consuetudine reformati.

2° Falsa est theoria socialistarum de evolutione. Duo affirmantur ab istis

A) *totius ordinis idearum continua transmutatio ratione tantum factorum ordinis œconomici, — et pugnarum inter varias populi classes* (Gide, *op. cit.* ; — Marx, *Manifeste communiste*, trad. Andler, p. 20).

Resp. (Cf. Fallon, *op. cit.*[3], p. 125 sq.). — Hæc assertio contradicit :

a) universali constantiæ judiciorum moralium circa prima præcepta legis naturalis ;

b) historiæ mutationum in ordine morum aut religionis, quas facta non œconomica v. g. Christianismus aut pugnæ inter diversas gentes et religiones excitaverunt[3].

B) *Duplex stadium evolutionis œconomicæ. — Nunc « centralisatio » productionis in manu paucorum ; hinc crescens multorum miseria.*

---

(1) Sicut Marx spectat *laborem humanum in abstracto*, præscindendo a diversitate activitatis humanæ secundum individua, ita consideramus *utilitatem in abstracto*, præscindendo a specie utilitatis diversarum rerum. In utilitate in communi fundatur æstimatio comparata valorum, partim quidem ex conventione.

(2) Cf. G. Valois, *L'économie nouvelle*, p. 67 sq. : Valor non venit ex labore nisi mediante ordinatione intellectuali, directione,...

(3) Cf. G. Valois, *L'écon. nouv.*, p. 21 sq. : derrière les prétendues luttes de classes il y a *souvent* des luttes de partis politiques qui exploitent les classes les plus puissantes ; et derrière les partis, il y a les idées qui mènent tout.

Postea, dominii translatio omnium bonorum productivorum ad totam societatem.

Resp. (Cf. FALLON, *op. cit.*[2], p. 77 sq.). — Negatur « centralisationem » nunc esse tam generalem. Adversus eam pugnant :

a) Aliqua protectio debilium per leges.

b) Associationes operariorum (syndicats, grèves, etc...).

c) Novarum industriarum creatio quæ multos operarios occupant.

d) Formatio societatum quibus sæpe magni capitalistæ tradunt dominia fabricarum et negotia magni momenti (RAMBAUD, p. 458-460 ; — GIDE, *op. cit.*).

Secundi stadii impossibilitas infra ostenditur (Pars 2ª).

3° Negatur physica possibilitas æqualitatis jurium in concreto. Pendent enim a conditionibus individualibus necessario diversis (cf. CATHREIN, *Socialisme*). Æqualitas concreta esset negatio familiæ, statuum socialium, etc., (vide infra istas quæstiones).

PARS. IIª. — Systema socialistarum est impossibile.

Ut apparet ex difficultate (ANTOINE, XVI. 5 ; — LEVASSEUR, *Quest. ouvr.*, ch. VII ; — FALLON, *op. cit.*, p. 139 sq.) :

1) secernendi bona productiva a consumptivis ;

2) determinandi quantitatem et qualitatem rerum procreandarum... ;

3) ordinandi labores publicos in quaque regione per totum territorium, salva libertate domicilii ;

4) distribuendi individuis labores diversi generis, servata libertate in modo vivendi ;

5) favendi inventionibus, illæsa omnium æqualitate, cum deessent facilitas experientiarum, formatio specialis in artibus, stimulus emolumenti ;

6) distribuendi res in communi productas ; cum enim absurdum sit affirmare tantam fore quantitatem productorum ut quilibet desumere possit quidquid vult, aliqua *norma distributionis* excogitanda esset : vel numerus capitum ; — vel tempus laboris ; — vel ejus valor ; — vel diligentia ; — vel indigentia ; — porro nulla valet, cum sit vel injusta vel impossibilis ;

7) stimulandi laborem, cum omne speciale emolumentum noceat æqualitati, — unde miseria ;

8) inveniendi in magistratibus probitatem et peritiam ; — in subditis obedientiam et abnegationem, quales requiruntur.

Addendum est socialismum destruere, ut dictum est, ordinem socialem et religionem (Cathrein, *Socialisme* ; — *Rev. du clergé fr.*, 1 sept. 1919 ; — *Rev. prat. d'apol.*, 1er août 1920, p. 415).

Confirmat thesim experientia, cum omnia tentamina socialistarum fuerint irrita (Cathrein, *op. cit.* ; — Belliot, *Manuel de sociologie catholique*, p. 312 sq.). *Ipsa theoria K. Marx fere a nemine hodie tenetur* (Gide, *op. cit.*).

SCHOL. I. — De anarchistis.

L'anarchisme est une fusion du libéralisme poussé à l'extrême et du socialisme. En effet, il n'est pas seulement contre-étatiste avec les libéraux, mais il supprime l'Etat ; et en revanche, avec les socialistes, il rejette la propriété. Mais, quant aux fondements de la doctrine, il faut distinguer l'anarchisme philosophique athée, égoïste, représenté par Stirner et l'anarchisme politique, social de Bakounine, Kropotkine, Elisée Reclus, Jean Grave, etc., qui aiment à se réclamer de Proudhon.

Sans doute ceux-ci exaltent comme Stirner, les droits individuels et s'insurgent contre toute autorité, cependant ce qu'ils veulent faire respecter, c'est moins l'individu que sa qualité d'homme. A ce titre, ils réclament pour tous la liberté, et comme l'Etat, la propriété, les engagements de la vie religieuse ou du mariage s'opposent à cette liberté individuelle universelle, ils veulent supprimer tout cela, ne respectant qu'une seule autorité, celle de la raison ou de la science.

Avec la liberté, règnera la fraternité, le bonheur social, jusqu'ici entravé par le gouvernement de l'Etat. Dans son célèbre ouvrage, « *L'entr'aide* », Kropotkine nous décrit la société idéale, sans Etat, composée de fédérations de communes et de groupes de production. Libérés, unis, les hommes tendront d'eux-mêmes au bonheur de la collectivité et il s'ensuivra une prospérité inouïe. Il est vrai qu'il faudra commencer par une révolution... (Gide, *op. cit.*[4], p. 727 sq.).

Anarchistæ incommoda fere eadem incurrunt ac Socialistæ ; præterea : « anarchiam productionis » quam inter singulos intendunt tollere, alio modo servarent, scil. inter pagos, associationes ; simulque privarent societatem unitate et facilitate commercii[1].

(1) Item Syndicalistæ, qui sicut Anarchistæ respuunt auctoritatem politicam. Syndicalistæ spernunt theorias et « intellectuales » (les intellectuels). Volunt tantum agere. Vide Antoine du Passage, *Cours d'écon. soc.*[4], p. 237 ; — Gide, *Hist. des doctr. écon.*, p. 757 ; *Cours d'écon. polit.*[5], t. II, p. 198 ; — *Etudes*, 1913, t. 134, p. 433 (du Passage). — De mente eorum religioni opposita, cf. *La Documentation cathol.*, 15 déc. 1923, c. 1113.

Quant aux « Bolchévistes », voir Gide, *Hist. des doctr. écon.*[4], p. 759 sq. ; — Max Turmann, *Le Correspondant*, 25 févr. 1923 ; — Gautherot, *Le monde communiste* ; — Aymard, *Bolchevisme ou Fascisme?*

SCHOL. II. — Quoad Communismum negativum, tollit omnem stimulum laboris et omnem pacem socialem.

ARTICULUS III

REFUTATUR SOCIALISMUS AGRARIUS

CAPART, *La propriété individuelle et le collectivisme* ; — ANTOINE, XVI, 4 ; XVII, 2 fin ; — CATHREIN, *Le socialisme agraire* (trad. Fritsch) ; — GARRIGUET, *La propriété*, p. 30 sq. et p. 212 sq. ; — GIDE, *Hist. des doctr. écon.*, p. 639 sq. ; *Cours d'économie polit.*[5], t. II, p. 237 ; — *Mouvement social*, oct. 1911 sq. ; — H. JOLY, *L'Italie contemporaine, Enquêtes sociales* (cf. articles du même auteur dans le *Correspondant*) ; — *Année sociale intern.* ; — *Rev. des Deux-Mondes*, 1er juin 1911, 15 janv. 1912 ; — *Rev. apol.*, 15 déc. 1919 ; — *Etudes*, 20 nov. 1919, 5 janv. 1920 ; — M. LAIR, *Le socialisme et l'agriculture française* (Plon, 1922) ; — FALLON, *Princ. d'écon. soc.*[2], p. 279 (cum bibliogr.).

Spectatur nunc socialismi forma quædam mitigata simulque minus logica, scil. eorum qui intendunt « nationalizari », seu in communem proprietatem totius civitatis redigi bona productiva *immobilia* tantum : agros, domos, fodinas, etc... sic præcipue H. GEORGE († 1897) in America (*Progress and poverty*, trad. gall. Mouvier) ; DE LAVELEYE in Belgio (*De la propriété et de ses formes primitives*) ; J. STUART MILL in Anglia, etc. (cf. GARRIGUET, p. 30 sq. ; — GIDE, *Hist.* et *cours*, l. c.).

Duas theses ponimus : in prima refutantur argumenta adversariorum ; in secunda ostenditur impossibilitas regiminis quod propugnant.

THESIS XLIV. — Invalidæ sunt rationes quibus nititur socialismus agrarius.

PROB. — Percurramus argumenta socialistarum.

Arg. I. — *Ex historia* (DE LAVELEYE, postea GEORGE).

Primitus proprietas erat collectiva, nec privata dominia plerumque introducta fuerunt, nisi vi et fraude ; ergo sunt contra naturam.

Resp. 1. — Assertiones de Laveleye historiæ contradicunt. Cf. GENESIM et alia documenta circa Assyrios, Ægyptios, Sinenses (v. g. apud CATHREIN : op. sur le *socialisme agraire* et GARRIGUET, *l. c.*), quæ ostendunt proprietatem privatam omnino antiquam esse, dum silent de collectiva possessione.

Resp. 2. — *a*) Etsi privata dominia primitus non exstitissent, non sequeretur ea esse contra naturam. — *b*) Dato quod paulatim aliud regimen semper et ubique excludant, cultura progrediente, videntur sola conciliari posse cum tali progressu.

Arg. II. — Nonnisi fructus proprii laboris juste potest privatim possideri. Atqui solum non est fructus proprii laboris. Ergo (cf. CAPART, p. 89).

Resp. 1. — Si verum esset principium in majore assumptum, omnia fere bona materialia essent communiter possidenda aut saltem pars eorum valoris esset societati tradenda, cum ex parte saltem valorem habeant independenter a labore. Igitur adversarii socialismum magis completum admittere deberent.

Resp. 2. — Et præcipuum : cf. th. 47.

Arg. III. — Omnes jus habent fruendi fructu sui laboris. Atqui hoc jus includit facultatem utendi commodis a natura cuilibet oblatis, igitur agris, silvis, etc. Ergo.

Resp. : *Dist. maj.* — Fructum laboris sui quilibet sibi vindicare potest, *dist.* : æquivalenter in justa mercede, si pro alio ex contractu laborat, *conc.* ; fructum ipsum, *subdist.* : si materiam quam labore transmutavit possidebat, *conc.* ; secus, *nego*. — *Contradist. min.*

Arg. IV. — Quilibet jus idem vivendi habet. Ergo etiam jus ad usum terræ æqualem.

Resp. 1. — Principium allatum pariter duceret ad socialismum completum.

Resp. 2. — Quilibet in abstracto sumptus jus idem vivendi habet, *conc.* ; in concreto, *subdist.* : jus in se idem habet, *conc.* ; media eadem jus exercendi, *subdist.* : si agitur de mediis necessariis, *conc.* ; secus, *nego* (cf. ANTOINE, XVI, 4, 4°). Speciatim unusquique jus habet : — *a*) ne sua vita ab aliis impugnetur, — *b*) in extrema necessitate, ea sumendi quibus istam pellat. Usus autem terræ immediatus non est cuilibet necessarius.

Arg. V. — Qui in theatrum præveniens alios impediret quominus sedes occuparent, injuste ageret. Ergo a pari qui impedit ne alii agris utantur (*Progrès et pauvreté*, p. 327).

Resp. — Injuste agit qui in theatro præveniens alios arcet a sede quam occupat, *nego* ; qui a cæteris sedibus arceret, *conc.* — *Pariter dist. consequens.* — Insuper jus occupandi indeterminate rem nullius est naturale (*th.* 47) ; e contra jus occupandi sedem in theatro est acquisitum et ex contractu determinatum.

Arg. VI. (Antoine, XVII, 2). — *Notion préliminaire.* En économie politique, on désigne par *rente foncière « cette portion du revenu de la terre que l'on paie au propriétaire pour avoir le droit d'exploiter les forces naturelles du sol »*[1] .Si l'on retranche des produits de la terre l'intérêt du capital engagé (engrais, améliorations, etc.) et les salaires, l'excédent représentera la rente foncière.

Produit = intérêts + salaires + rente.[2]

Argument de Henry George.

a) La rente va toujours en augmentant et en conséquence enrichit de plus en plus le propriétaire.

b) Cette accumulation de richesses est injuste, puisque le travail est le seul titre légitime de la propriété.

c) Conclusion : la rente doit être confisquée par l'Etat.

George prétend prouver l'augmentation de la rente d'abord par l'expérience directe[3], puis par le raisonnement suivant : Partant de l'égalité :

Produit = rente + salaires + intérêts,

il prétend d'autre part que le produit national annuel augmente sans cesse, tandis que les salaires n'augmentent pas et que le taux de l'intérêt diminue. Il faut donc que la rente s'élève. (Pour plus de détails, cf. Gide : *Hist. des doct. écon.*, p. 645 sq. ; — Cathrein, opuscule sur le *socialisme agraire*, trad. Fritsch, p. 37, sq.).

Réponse : 1° Supposons que la rente augmente. Il n'est pas vrai que l'enrichissement du propriétaire soit nécessairement injuste (assertion *b*) : le travail n'est pas, en effet, le seul titre à la propriété (cf. plus haut arg. II).

2° Cette augmentation n'est prouvée :

a) Ni par les statistiques ; car il y a des oscillations, vg. après 1876 une diminution considérable en plusieurs pays d'Europe, puis une hausse récente, difficile à apprécier exactement en raison de la baisse de valeur de l'argent. Cf. Antoine — du Passage, *Cours*[6], l. c.

b) Ni par le raisonnement : car d'un côté la baisse des salaires

(1) C'est donc « cette partie du produit foncier qui correspond à la productivité propre de la terre » ; bien que H. George, avec un grand nombre d'économistes, rejette cette conclusion et lui oppose la thèse de Ricardo sur la *rente foncière « différentielle »* (voir Antoine, XVII, 2). Au propriétaire reviendrait la différence entre le produit total de sa terre et celui de la terre la plus fertile à égalité de superficie.

(2) H. George conserve cette formule, mais en parlant de la rente *différentielle*.

(3) La *rente différentielle* augmenterait spécialement dans un pays où la culture s'étend progressivement des terres les meilleures aux plus pauvres.

est loin d'être démontrée, même pour le travail manuel[1] et George devrait aussi considérer la rétribution des employeurs, directeurs, etc... ; d'un autre côté, si le taux de l'intérêt diminue, la somme totale des intérêts augmente par l'accroissement des capitaux.

THÈSE XLV. — **Les divers systèmes proposés par les socialistes pour supprimer, pratiquement au moins, la propriété privée du sol sont irréalisables.**

1er **système.** — L'Etat exploite le sol par des employés payés à prix fixe.

Ce système n'est proposé que par les partisans du socialisme absolu. H. George le rejette.

Critique. — *a*) De fait, il semble aboutir au socialisme complet. L'Etat devrait avoir le monopole des routes, des usines, des maisons, puisque tout cela est sur son terrain. Il deviendrait pratiquement l'unique producteur.

b) Il supprime le stimulant de la propriété privée pour la bonne exploitation.

c) Les employés manqueraient de cette connaissance expérimentale des ressources et des besoins du sol qui s'acquiert à la longue et s'enrichit par la tradition.

d) La classe des paysans serait supprimée. Plus d'amour pour le sol, plus de stabilité, garanties d'ordre, de paix, de mœurs simples et pures (Cathrein, *op. cit.*, p. 62 sq.).

e) Il suppose d'ailleurs au début que les propriétaires sont dépouillés ou se dépouillent volontairement de leurs domaines.

2e **Système.** — L'affermage à des entrepreneurs privés. Ceux-ci paient alors un prix fixe.

Critique : Les mêmes inconvénients se retrouvent en partie.

a) Les fermiers de l'Etat étant à la merci des changements beaucoup plus que ceux d'une famille, seront souvent ignorants des conditions du sol ou du climat.

b) Ni l'Etat, ni ses inspecteurs, — et il en faudra beaucoup — ne seront stimulés comme le propriétaire privé à entreprendre des améliorations. Les fermiers eux-mêmes ne se résigneront pas à des travaux dont les fruits sont éloignés.

c) La stabilité, l'organisation sociale, l'amour des traditions

(1) Voir : *Question du salaire.*

ne seront guère plus respectés que dans l'hypothèse précédente.

d) L'adaptation des clauses de chaque contrat de fermage aux conditions des diverses contrées sera très difficile, et donnera occasion à des fraudes de la part des agents de l'Etat ou des entrepreneurs.

e) Cathrein (*op. cit.*, p. 65 sq.) ajoute que la population rurale en serait diminuée, le fermier ayant besoin pour vivre d'une plus grande étendue de terre labourable que le propriétaire.

f) Reste la spoliation comme dans le premier système.

N. B. — Une partie de ces inconvénients serait amoindrie avec des concessions à long terme, v. g. 99 ans comme le propose Gide (*Cours d'éc.*[5] (1920), t. II, p. 241) : il avoue cependant que le régime même ainsi modifié n'est guère praticable. Disons qu'ici encore la fin naturelle de la propriété privée n'est pas atteinte (cf. th. 47 et 49).

3e **Système** : On laisse au propriétaire son domaine, puis de quoi fournir les salaires et payer les travaux d'exploitation. Il doit donner à l'Etat la rente foncière proprement dite, sauf ce qu'il en faut prélever pour l'amélioration des entreprises.

Ce régime prôné par George supprimerait la spoliation, et par ailleurs suffirait à remplacer tous les impôts (cf. *Progrès et pauvreté*, l. IX, ch. 1).

Critique. — *a*) La spoliation demeure, bien qu'atténuée.

b) Restent encore à peu près tous les inconvénients auxquels remédie précisément la propriété privée (th. 47 ; — Schwalm, *Leçons de phil. soc.* I, p. 310, sq) : le manque de stimulant, de contentement nécessaire à la paix sociale. Il n'est pas étonnant qu'à un tel système s'oppose l'usage universel du genre humain.

c) Là encore il est difficile de se rendre compte de l'état de chaque propriété, de ce que le possesseur a engagé comme capital, du travail fourni..., pour défalquer exactement du profit total l'intérêt et le salaire.

d) Cathrein ajoute que l'agriculture est déjà trop grevée. Comment la charger davantage ? (*op. cit.* p. 69; — Gide, *Cours*[5], t. II, p. 242, cf. p. 234 sq. avec réserve).

ARTICULUS IV

DE FALSIS OPINIONIBUS CIRCA PROPRIETATIS ORIGINEM

THESIS XLVI. — Jus proprietatis nec in solis legibus humanis, nec in aliquo pacto primigenio, — nec in solo jure hominis ad fructum laboris sui fundatur.

Cf. Cath.; — Anr. XVI, 3; — Garrigues, *Propriété*, p. 147 sq.

STATUS QUÆSTIONIS

1. — Montesquieu (*Esprit des lois*, l. 26, c. 15), Hobbes, Kant (*Rechtslehre* 1, § 8), Bentham (*De legislat.* II, p. 33), aliique multi derivant jus proprietatis a legibus civilibus (Garrigues : p. 148, sq.), cæterum, ut quidam addunt, secundum exigentias naturæ.

2. — Grotius (*De jure belli et pacis*, l. 2, c. 2, § 2, n. 5), Pufendorf, etc. invocant pactum primævum, sive tacitum, sive explicitum (Garrig., p. 147).

3. — H. George cum Locke et Richard, etc., derivat jus proprietatis ex solo jure ad fructum laboris (ibid., p. 193; — *Progr. et pauvr.*, l. VII, ch. I).

Sed nota duplicem sensum istius formulæ, prout jus proprietatis spectatur ut ipsum jus ad fructum laboris aut ut ejus conditio. Etenim aliud est dicere : « Solus fructus laboris possideri potest », ac dicere : « nihil potest possideri nisi ut fructus proprii laboris, præteriti vel futuri, percipi possit. » Prima sententia est opinio H. George, qui insuper non animadvertit se admittere aliam proprietatem (cf. th. 44, arg. 2). Secunda vero sententia, etiam nimis exclusiva [1], non examinatur in hac thesi.

Nota theseos : Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS 1ª.

PROB. — 1° Gratis supponuntur leges humanæ aut pactum constituisse jus proprietatis.

2° Non explicant factum constans et universale quod ante leges civiles vigebat et apud omnes populos saltem quoad bona mobilia apparet.

PARS 2ª.

PROB. — Jus ad fructum laboris non explicat ultimo et ex se solo, ad mentem H. Georges jus ad valorem a labore indepen-

(1) Fructum laboris proprii percipere est finis juris possidendi, sed proximus tantum et sunt alii fines etiam proximi, v. g. victus et habitatio ex parte primi occupantis (cf. thesim seq.). Insuper ubi plures intenderent uti eodem agro ad fructum laboris sui capiendum, aliunde explicandum esset cur unus aliis esset præferendus (ibid.).

dentem. Atqui exsistit jus ad valorem a labore independentem (th. seq.).

Ergo...

Declaratur major. — *a*) Jus ad fructum ipsum laboris, quando exsistit (th. seq. pars 1ª arg. 2um), denotat ut conditionem præviam jus ad materiam quæ labore transmutatur, sed non illud constituit : recurrendum est ad ordinationem rerum materialium in utilitatem hominis (*ibid.* arg. 1um).

b) Multo minus fundamentum præbet ubi res quædam materialis ab aliquo legitime possidetur absque ullo labore.

Declaratur minor. — *a*) Homo possidere potest non tantum res materiales mobiles (*aurum*, *lignum*), sed etiam *solum*, quæ valorem habent independenter a labore (th. seq. pars 1ª).

b) Imo hæc omnia quandoque legitime detinet quin laboraverit (*ibid.* pars 2ª : nota socialistas non dicere occupationem esse laborem).

ARTICULUS V

DE VERA SENTENTIA CIRCA ORIGINEM PROPRIETATIS

THESIS XLVII. — Jus proprietatem acquirendi, sumptum in abstracto, est naturale ; — factum autem primigenium quo determinatur in concreto est occupatio.

Encycl. *Rer. nov.* ; — Arist., *Pol.* l. 2, c. 3 ; — IIª IIæ, q. 66, a. 2 ; — De Lugo, *De just. et jure*, d. 6, a. 1 ; — Capart, *La propriété individuelle et le collectivisme* ; — Castelein, *Le socialisme et le droit de propriété* ; — Ant. XVI, 2 et 6 ; — Schwalm, *Leçons de phil. social*, p. 288 sq. ; — Garriguet, *Propriété*, c. IV seq. speciatim c. VIII et IX (« étendue du droit de propriété privée, devoirs et charges attachés à la propriété privée ») ; — Cf. de eodem : Ant. XX. 3 ; *Dict. apol.* « aumône » ; — Bulot et alios auct. theol. mor. *de Eleemosyna* ; — DD. d'Hulst, *Conf.* 1896 ; — Sortais, *op. cit.*

STATUS QUÆSTIONIS

1. Sententia quam in 1ª parte propugnamus, est — saltem hodie — communis inter catholicos. Agitur de jure ad proprietatem remote et in abstracto, i. e. sibi acquirendi privata dominia, quin ista determinentur. In 2ª parte spectatur jus proprietatis actuale et in concreto, ideo objective determinatum. Ita sumptum, a natura quidem adhuc oritur, sed mediante usu quodam juris remoti ad proprietatem.

2. Factum *primigenium*, privatam proprietatem determi-

nans, vocamus : illud factum ex quo actu oritur privata proprietas, *nullo alio dominio positivo*[1] *ex parte hominum præsupposito*. Sic etiam excludimus v. g. « accessionem » qua res nullius fit privata proprietas, sed ut complementum cujusdam proprietatis jam supposita ; aut facta ex quibus proprietas publica evaderet privata.

Dicimus factum primigenium esse *occupationem*, i. e. « *apprehensionem rerum nullius animo eas habendi ut proprias* ».

Sed requiritur :

a) *ex parte rei occupandæ*, ut *nulla impossibilitas physica* nec *ordo moralis* impediat quominus apprehendatur et exclusive possideatur : v. g. aer, persona humana nequeunt occupari ;

b) *ex parte occupantis*, ut *apprehensio externe satis ostendatur, et quidem modo stabili*. Hoc fit *signis* ex *natura* vel ex *consuetudine* aut *conventione* determinatis.

Nota theseos : Metaphysice certa quoad 1^am^ partem, saltem probabilior quoad 2^am^ (vide initium istius).

DEMONSTRATIO

PARS 1^a^.

PROB. — 1° Argumentum generale.

Ex necessitate stimuli, ordinis et pacis, ut homo labore suo convenienter prosequatur fines suos.

Metaphysice certum est auctorem naturæ providisse mediis etsi moraliter tantum sed per se necessariis ad humanos fines (seu fines homini proprios) congrue prosequendos.

Atqui jus stabiliter acquirendi privata dominia est medium moraliter quidem, sed per se necessarium ad humanos fines congrue prosequendos.

Ergo...

Major 1° Declaratur :

« *Metaphysice certum* », ut jam notatum est (*St. Q.* 1^æ^ th. in fine), vocamus quod in ipsa rerum essentia fundatur, seu quod reducitur ad aliquod principium per se evidens, aut per meram analysim conceptuum et judiciorum, aut mediante experientia quadam omnino certa.

« *Moraliter* », i. e. lato sensu.

« *Per se* », i. e. spectata solum natura, non ex aliqua suppositione contingenti, ut esset peccatum.

---

(1) Dominium *positivum* seu *determinatum et ceteros homines excludens*, opponitur dominio *negativo* seu *generali*, quo omnes homines possunt *re qualibet nullius uti*.

2° Probatur.

Stricte repugnat Sapientiam et Bonitatem infinitam condidisse naturam cui moraliter et per se sit impossibile congrue prosequi proprios fines.

Prob. min. (agimus de jure abstracto, non de ipsis dominiis in concreto, quæ generatim quidem, sed non semper sunt necessaria).

a) *Negative* : ex morali impossibilitate communismi tum negativi, tum positivi (cf. th. 43, part. 2am) : Non est circulus, cum prædictæ refutationes non supponunt actualem thesim.

b) *Positive* : Labor necessarius est homini, tum morali respectu pro ipso, tum œconomico respectu pro ipso, familia et societate.

Atqui ut homo congrue præstet hunc laborem, jus stabiliter acquirendi privata dominia requiritur per se et moraliter saltem, ratione stimuli, pacis et ordinis...

Ergo...

Major declaratur ex descriptione effectus moralis et œconomici laboris, — *probatur* ex ordinatione hominis ad propriam perfectionem et ex munere eidem commisso sibi aliisque providendi.

Minor probatur ex indole hominis per experientiam cognita.

a) *Effectus laboris.* — Effectus *œconomicus* est transmutare in individui societatisque utilitatem rem corporalem cui applicatur activitas humana, v. g. obtinere majorem productivitatem terræ, etc... Effectus *moralis* est avertere a tentationibus et exercere ideoque perficere facultates, intellectum, voluntatem, physicas aptitudines. Effectus moralis est finalis ratio effectus œconomici secundum ordinem intentionis divinæ ; voluit Deus hominem stimulari : « *Le but suprême du travail est la vertu et non la richesse* » (Le Play).

b) *Munus sibi aliisque providendi.* Munus est homini commissum congrue providendi et sibi et familiæ et (saltem indirecte et præter intentionem sæpissime), toti societati. Hoc constat tum ex indigentiis humanis, tum ex naturali inclinatione ad necessitates proprias et suorum sublevandas, tum ex facultate prævidendi et ordinandi, tum ex eo quod res materiales ad creaturam rationalem ordinatæ, non sunt generatim satis aptæ ad immediatam utilitatem hominis.

c) *Necessitas stimuli ad laborandum.* Necessitas juris proprietatis ut stimuli apparet ex indole hominis qui intensius excitatur commodo proprio quam aliorum utilitate, magis igitur stimulatur ad augendam productivitatem terræ et mutandas res alias corporales si potest fructus propriæ activitatis sibi stabiliter vindicare, quam si est provisurus non sibi speciatim sed magnæ collectivitati, adeo ut vix terra sufficeret indigentiis hominum sublevandis, multo minus pros-

peritati atque perfectionis mediis procurandis, si unusquisque directe deberet intendere non proprium et stabile commodum, sed omnium communem utilitatem.

Cf. ipsum Gide : « Somme toute, l'histoire et les faits nous montrent que la propriété individuelle a été, jusqu'à présent, le meilleur moyen et même la condition *sine qua non* de l'utilisation des richesses, le plus énergique stimulant de la production. » (*Cours*, t. II, p. 149).

d) *Necessitas pacis et ordinis ut laborando homo congrue provideat sibi aliisque.* Pax et ordo societatis generatim non adessent nisi unusquisque posset, re sua contentus, istius curam assumere et fructus percipere, aliis nunc et in posterum exclusis. « Videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident frequentius jurgia oriuntur. » (IIª IIæ, q. 66, a. 2). Hinc sine jure ad proprietatem munus providendi non satis adimpleretur (cf. Ant. ; — Enc. *Rerum nov.* B. presse, t. III, p. 21 ; — Castelein, *op. cit.*, ch. XIII ; — Capart, *op. cit.*, p. 75 sq.).

N. B. — Ut finis naturæ attingatur, non est necesse quemlibet esse proprietarium. Sufficit homines generatim *stimulari* ex possessione actuali vel speranda, et frui immediate aut mediate prosperitate cui favet regimen *pacificum* et *ordinatum*, scil. proprietatis sat divisæ.

Prob. 2° ex jure ad fructum laboris.

Homo jus habet ad fructum proprii laboris, dummodo aliorum jura non lædat. Habet enim in seipsum dominium utile cum habeat ut finem secundarium, suam felicitatem, et ejus activitates ad hanc etiam sint ordinatæ.

Atqui tale jus, etiam spectata prædicta restrictione, includit aut supponit jus, certis in adjunctis, stabiliter acquirendi privata dominia.

Ergo...

Prob min. — Quando v. g. rem nullius homo transmutat ad fructus post longum tempus percipiendos : *a*) vix sperare posset suum jus in istos exercere, secluso stabili dominio, quod, *b*) ceterum spectata hypothesi, jura aliorum relinquit illæsa ; *c*) imo in istis casibus dominium postulat esse non tantum stabile, sed perpetuum, ratione pacis et ordinis socialis quæ tam facile turbarentur litibus circa durationem proprietatis.

Confirmatur ex historia : Cf. Cathrein, *Le socialisme agraire* ; Thiers, *La propriété*, p. 20, sq. (quædam vera, alia autem falsa) ; — Garriguet, *Propriété*, p. 36 sq.

N. B. — Vide Encycl., ubi notabis gradationem argumentorum.

PARS IIª. — Factum primigenium est occupatio.

Necessario dari aliquod factum primigenium privatam proprietatem determinans sequitur ex necessitate et indetermina-

dentem. Atqui exsistit jus ad valorem a labore independentem (th. seq.).

Ergo...

Declaratur major. — *a*) Jus ad fructum ipsum laboris, quando exsistit (th. seq. pars 1ª arg. 2um), denotat ut conditionem præviam jus ad materiam quæ labore transmutatur, sed non illud constituit : recurrendum est ad ordinationem rerum materialium in utilitatem hominis (*ibid.* arg. 1um).

b) Multo minus fundamentum præbet ubi res quædam materialis ab aliquo legitime possidetur absque ullo labore.

Declaratur minor. — *a*) Homo possidere potest non tantum res materiales mobiles (*aurum*, *lignum*), sed etiam *solum*, quæ valorem habent independenter a labore (th. seq. pars 1ª).

b) Imo haec omnia quandoque legitime detinet quin laboraverit (*ibid.* pars 2ª : nota socialistas non dicere occupationem esse laborem).

ARTICULUS V

DE VERA SENTENTIA CIRCA ORIGINEM PROPRIETATIS

THESIS XLVII. — Jus proprietatem acquirendi, sumptum in abstracto, est naturale ; — factum autem primigenium quo determinatur in concreto est occupatio.

Encycl. *Rer. nov.* ; — Arist., *Pol.* l. 2, c. 3 ; — IIª IIæ, q. 66, a. 2 ; — De Lugo, *De just. et jure*, d. 6, a. 1 ; — Capart, *La propriété individuelle et le collectivisme* ; — Castelein, *Le socialisme et le droit de propriété* ; — Ant. XVI, 2 et 6 ; — Schwalm, *Leçons de phil. soc.le*, p. 288 sq. ; — Garriguet, *Propriété*, c. IV seq. speciatim c. VIII et IX (« étendue du droit de propriété privée, devoirs et charges attachés à la propriété privée ») ; — Cf. de eodem : Ant. XX. 3 ; *Dict. apol.* « aumône » ; — Bulot et alios auct. theol. mor. *de Eleemosyna* ; — DD. d'Hulst, *Conf.* 1896 ; — Sortais, *op. cit.*

STATUS QUÆSTIONIS

1. Sententia quam in 1ª parte propugnamus, est — saltem hodie — communis inter catholicos. Agitur de jure ad proprietatem remote et in abstracto, i. e. sibi acquirendi privata dominia, quin ista determinentur. In 2ª parte spectatur jus proprietatis actuale et in concreto, ideo objective determinatum. Ita sumptum, a natura quidem adhuc oritur, sed mediante usu quodam juris remoti ad proprietatem.

2. Factum *primigenium*, privatam proprietatem determi-

nans, vocamus : illud factum ex quo actu oritur privata proprietas, *nullo alio dominio positivo*[1] *ex parte hominum præsupposito*. Sic etiam excludimus v. g. « accessionem » qua res nullius fit privata proprietas, sed ut complementum cujusdam proprietatis jam suppositæ ; aut facta ex quibus proprietas publica evaderet privata.

Dicimus factum primigenium esse *occupationem*, i. e. « *apprehensionem rerum nullius animo eas habendi ut proprias* ».

Sed requiritur :

a) *ex parte rei occupandæ*, ut *nulla impossibilitas physica* nec *ordo moralis* impediat quominus apprehendatur et exclusive possideatur : v. g. aer, persona humana nequeunt occupari ;

b) *ex parte occupantis*, ut *apprehensio externe satis ostendatur, et quidem modo stabili*. Hoc fit *signis* ex *natura* vel ex *consuetudine* aut *conventione* determinatis.

Nota theseos : Metaphysice certa quoad 1^am^ partem, saltem probabilior quoad 2^am^ (vide initium istius).

DEMONSTRATIO

PARS 1^a^.

PROB. — 1° Argumentum generale.

Ex necessitate stimuli, ordinis et pacis, ut homo labore suo convenienter prosequatur fines suos.

Metaphysice certum est auctorem naturæ providisse mediis etsi moraliter tantum sed per se necessariis ad humanos fines (seu fines homini proprios) congrue prosequendos.

Atqui jus stabiliter acquirendi privata dominia est medium moraliter quidem, sed per se necessarium ad humanos fines congrue prosequendos.

Ergo...

Major 1° Declaratur :

« *Metaphysice certum* », ut jam notatum est (*St. Q.* 1^æ^ th. in fine), vocamus quod in ipsa rerum essentia fundatur, seu quod reducitur ad aliquod principium per se evidens, aut per meram analysim conceptuum et judiciorum, aut mediante experientia quadam omnino certa.

« *Moraliter* », i. e. lato sensu.

« *Per se* », i. e. spectata solum natura, non ex aliqua suppositione contingenti, ut esset peccatum.

---

(1) Dominium *positivum* seu *determinatum et ceteros homines excludens*, opponitur dominio *negativo* seu *generali*, quo omnes homines possunt *re qualibet nullius uti*.

2° **Probatur.**

Stricte repugnat Sapientiam et Bonitatem infinitam condidisse naturam cui moraliter et per se sit impossibile congrue prosequi proprios fines.

Prob. min. (agimus de jure abstracto, non de ipsis dominiis in concreto, quæ generatim quidem, sed non semper sunt necessaria).

a) *Negative* : ex morali impossibilitate communismi tum negativi, tum positivi (cf. th. 43, part. 2am) : Non est circulus, cum prædictæ refutationes non supponunt actualem thesim.

b) *Positive* : Labor necessarius est homini, tum morali respectu pro ipso, tum œconomico respectu pro ipso, familia et societate.

Atqui ut homo congrue præstet hunc laborem, jus stabiliter acquirendi privata dominia requiritur per se et moraliter saltem, ratione stimuli, pacis et ordinis...

Ergo...

Major declaratur ex descriptione effectus moralis et œconomici laboris, — *probatur* ex ordinatione hominis ad propriam perfectionem et ex munere eidem commisso sibi aliisque providendi.

Minor probatur ex indole hominis per experientiam cognita.

a) *Effectus laboris.* — Effectus *œconomicus* est transmutare in individui societatisque utilitatem rem corporalem cui applicatur activitas humana, v. g. obtinere majorem productivitatem terræ, etc... Effectus *moralis* est avertere a tentationibus et exercere ideoque perficere facultates, intellectum, voluntatem, physicas aptitudines. Effectus moralis est finalis ratio effectus œconomici secundum ordinem intentionis divinæ ; voluit Deus hominem stimulari : « *Le but suprême du travail est la vertu et non la richesse* » (Le Play).

b) *Munus sibi aliisque providendi.* Munus est homini commissum congrue providendi et sibi et familiæ et (saltem indirecte et præter intentionem sæpissime), toti societati. Hoc constat tum ex indigentiis humanis, tum ex naturali inclinatione ad necessitates proprias et suorum sublevandas, tum ex facultate prævidendi et ordinandi, tum ex eo quod res materiales ad creaturam rationalem ordinatæ, non sunt generatim satis aptæ ad immediatam utilitatem hominis.

c) *Necessitas stimuli ad laborandum.* Necessitas juris proprietatis ut stimuli apparet ex indole hominis qui intensius excitatur commodo proprio quam aliorum utilitate, magis igitur stimulatur ad augendam productivitatem terræ et mutandas res alias corporales si potest fructus propriæ activitatis sibi stabiliter vindicare, quam si est provisurus non sibi speciatim sed magnæ collectivitati, adeo ut vix terra sufficeret indigentiis hominum sublevandis, multo minus pros-

peritati atque perfectionis mediis procurandis, si unusquisque directe deberet intendere non proprium et stabile commodum, sed omnium communem utilitatem.

Cf. ipsum Gide : « Somme toute, l'histoire et les faits nous montrent que la propriété individuelle a été, jusqu'à présent, le meilleur moyen et même la condition *sine qua non* de l'utilisation des richesses, le plus énergique stimulant de la production. » (*Cours*[3], t. II, p. 149).

d) *Necessitas pacis et ordinis ut laborando homo congrue provideat sibi aliisque.* Pax et ordo societatis generatim non adessent nisi unusquisque posset, re sua contentus, istius curam assumere et fructus percipere, aliis nunc et in posterum exclusis. « Videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident frequentius jurgia oriuntur. » (II[a] II[ae], q. 66, a. 2). Hinc sine jure ad proprietatem munus providendi non satis adimpleretur (cf. Ant. ; — Enc. *Rerum nov.* B. presse, t. III, p. 21 ; — Castelein, *op. cit.*, ch. XIII ; — Capart, *op. cit.*, p. 75 sq.).

N. B. Ut finis naturæ attingatur, non est necesse quemlibet esse proprietarium. Sufficit homines generatim *stimulari* ex possessione actuali vel speranda, et frui immediate aut mediate prosperitate cui favet regimen *pacificum* et *ordinatum*, scil. proprietatis sat divisæ.

Prob. 2° ex jure ad fructum laboris.

Homo jus habet ad fructum proprii laboris, dummodo aliorum jura non lædat. Habet enim in seipsum dominium utile cum habeat ut finem secundarium, suam felicitatem, et ejus activitates ad hanc etiam sint ordinatæ.

Atqui tale jus, etiam spectata prædicta restrictione, includit aut supponit jus, certis in adjunctis, stabiliter acquirendi privata dominia.

Ergo...

Prob min. — Quando v. g. rem nullius homo transmutat ad fructus post longum tempus percipiendos : *a*) vix sperare posset suum jus in istos exercere, secluso stabili dominio, quod, *b*) ceterum spectata hypothesi, jura aliorum relinquit illæsa ; *c*) imo in istis casibus dominium postulat esse non tantum stabile, sed perpetuum, ratione pacis et ordinis socialis quæ tam facile turbarentur litibus circa durationem proprietatis.

Confirmatur ex historia : Cf. Cathrein, *Le socialisme agraire* ; Thiers, *La propriété*, p. 20, sq. (quædam vera, alia autem falsa) ; — Garriguet, *Propriété*, p. 36 sq.

N. B. — Vide Encycl., ubi notabis gradationem argumentorum.

PARS II[a]. — Factum primigenium est occupatio.

Necessario dari aliquod factum primigenium privatam proprietatem determinans sequitur ex necessitate et indetermina-

tione juris abstracte spectati. Illud factum dicimus esse occupationem.

Duo asserimus : 1° *Occupationem valorem habere facti primigenii : hæc positiva assertio est metaphysice certa.*

2° *Nullum aliud factum vim habere facti primigenii : hæc assertio exclusiva est saltem valde probabilior.*

Prob. 1um punctum. — Illud factum valorem habet facti primigenii quod nullum dominium positivum ex parte hominum præsupponit, et aptum est ut immediate statuat ac manifestet nexum dependentiæ rei corporalis ad personam (cf. Ant. cap. XVI, a. 2 in fine, et in St. Q. definitionem facti primigenii).

Atque talis est occupatio, ex sua definitione.

Ergo...

Major patet ex notione facti primigenii, collata definitione juris strictæ proprietatis.

Minor evidens apparet, data prima parte theseos : nempe, ex sua definitione, occupatio est exercitium juris naturalis ad proprietatem acquirendam, seu ad rem aliquam in usus proprios proxime et determinate ordinandam, salvis aliis juribus (Ant. l. c. ; Schiff., *Eth. spec.*, p. 166).

Consensus populorum hoc primum punctum comprobat.

Prob. 2um punctum. — Facta proposita ut tituli primitivi proprietatis, sc. *labor, pactum, politicæ auctoritatis decretum*, vel æquivalent *occupationi*, vel præsupponunt dominium positivum.

Ergo, seclusa *occupatione*, nullum videtur esse factum primigenium proprietatis privatæ.

Prob. antecedens. — 1° *Ad laborem quod attinet,* — non videtur proprietatem actuare, nisi conjungatur animo, aliis ex ipso opere aut aliter expresso, eos a fructu laboris et a libera dispositione de rei substantia stabiliter excludendi. Porro laborare seu de re disponere cum tali intentione est formaliter rem *occupare*, nisi istud præsupponitur.

2° *Circa alia facta.* — Libere et legitime disponere de substantia rei corporalis præsupponendo exclusionem aliorum hominum præsupponit dominium positivum, cujus est exercitium, ideoque non est factum primigenium[1].

Atqui facere *pactum* aut *decretum*, qualia fingerentur pro-

(1) *Objicies :* auctoritas civilis, ob necessitates sociales, v. g. ad vias exstruendas, potest sibi vindicare jus disponendi de fundo subditi alicujus, quin ipsa habeat altum dominium ; igitur major non valet.

Resp. Etiam in hoc casu, præter jurisdictionem *remote* præsuppositam vi cujus imponi potest subdito cessio proprietatis, legitime de fundo disponere præsupponit *proxime* apud auctoritatem dominium positivum, *mediante cessione.*

prietatem privatam actuare et determinare, esset vel rem occupare vel de ea prædicto modo disponere.

Prob. min. — *a*) Esset natura sua vel rem primum apprehendere vel de substantia disponere.

b) Ut actuet et determinet proprietatem, dispositio debet esse libera et legitima.

c) Debet esse talis ut jam alii homines legitime exclusi supponantur ; nempe non erit postea titulus obligans alios homines, nisi isti jam fuerint legitime exclusi ab ipsa determinatione proprietatis. (S'ils avaient voix au chapitre, pourquoi ne pas les avoir consultés et pourquoi se soumettraient-ils? Et même en supposant que tous les hommes actuellement existants ou tous les princes aient ainsi déterminé les propriétés pour toute la terre, pourquoi un nouvel homme créé par Dieu devrait-il accepter ?)

Cf. Cath. ; — Costa-Rossetti, *thes.* 128 ; — contra Schiffini, *Ethica specialis*, p. 167-168. — Vermeersch evolvit positionem fere nostram in quæst. *De justitia*, thes. 13.

N. B. — 1° Cathrein videtur (cf. quæ habet vg. de decreto) quæstionem ponere paululum aliter ac P. Antoine et nos, et considerare primitivum factum ex quo oritur dominium privatum, sive antea objectum dominii fuerit res nullius, sive fuerit in communi positive possessum. Nos primam hypothesim tantum spectamus.

2 Ceterum ex refutatione Collectivismi (th. 43, in parte 2ª) sequitur privatum dominium vix aut tantum per exceptionem posse oriri ex dominio sociali. Hinc generatim directe consequitur ex rebus nullius aut per derivationem provenit ex alio dominio privato.

COROLL. I. — Cum privata dominia sint, generatim saltem, necessaria, ut constat ex 1° argumento 1ª partis, jus proprietatis acquirendæ, in abstracto sumptum seu remotum, et ex parte objecti indeterminatum, pertinet ad jus naturale præcipiens, non tantum concedens, i. e. non pendet a lege positiva. Ista enim utpote contingens non responderet generali necessitati. Imo et ob eamdem rationem jus indeterminatum ad proprietatem est immediate naturale, i. e. independens a quocumque facto contingenti. Hoc etiam ex eo constat quod nullum factum, ne occupatio quidem, potest jus conferre, nisi præsupposito jure remoto.

2. Socialismus duplici modo peccat contra justitiam, tum dominia actualia intendendo privatis auferre, tum studendo impedire quominus singuli sibi propria acquirant.

3. Disputatur num occupatio sit causa proxima an tantum conditio sine qua non juris in concreto. Cum Cath. et contra

Schiff. (n° 339) dicimus occupationem esse causam, nam statuit, actuat nexum dependentiæ rei ad personam.

4. Igitur jus concretum est immediate humanum, quamvis sit remote naturale. Hoc etiam apparet ex modo quo cessare potest et ex ejus subordinatione legibus civilibus, de qua infra (cf. Cath.).

SCHOL. — **Extension du droit de propriété.** — [Ant. : Fin du ch. Propriété, — ch. Misère et Bienfaisance, art. 3, — art. Aumône (Dict. apol. et theol.) ; — Garriguet, p. 241 sq. que nous résumons ici].

Trois théories sont en présence :

Une *première* amoindrissant le droit de propriété : il ne serait qu'une fonction sociale. Ainsi disent les Saint-Simoniens, Aug. Comte, et avec des atténuations quelques dissidents de l'école libérale (Gide, *Cours*, 1909, p. 527 ; 1920, t. II, p. 150), quelques démocrates chrétiens (cf. *Catéch. du Sillon*, n^cs 475, 466, 567, etc... il emploie l'expression ; la doctrine est correcte, sauf que le dernier numéro cité serait à préciser).

Une *seconde* exagérant ce droit : il serait absolu, illimité, moralement et juridiquement.

a) Moralement, c'est le « jus utendi, fruendi et abutendi », en donnant à ce mot le sens d'abus qui n'est pas la signification juridique (juridiquement « abuti » se traduit : consommer et disposer jusqu'à l'anéantissement de la chose possédée).

b) Juridiquement, il ne doit souffrir aucune réglementation. (Ainsi Beauregard, Leroy-Beaulieu).

Une *troisième*, moyenne et vraie, catholique : le droit de propriété est :

a) vraiment un droit, et non d'abord une fonction : la chose possédée est, du point de vue utilitaire, tout d'abord pour le possesseur ;

b) mais limité, car subordonné au domaine de Dieu et dans une certaine mesure au bien social, à la nécessité des pauvres. Le propriétaire doit donner *de* son superflu (cf. l'*Encycl.* « *Rerum novarum* » édit. Bonne Presse, III, p. 36, le texte latin, que la traduction a exagéré, et les commentaires, v. g. Bulot, quand il parle de l'aumône). Si la propriété est privée, l'usage, dans une certaine mesure, est commun (II^a II^æ, q. 66, a. 2).

L'*appréciation* de ces théories est une conséquence de la thèse et des connexions qui existent entre les divers éléments de l'ordre moral (Cf. plus haut la définition du *dominium perfectum*, p. 262).

a) (Antoine, XIII, 2 : *Défense du capital*). Dans le contrat du salariat, le capitaliste apporte une utilité économique et le fruit du travail actuel ou passé (matière première, outillage, organisation, etc.). Et ceci reste vrai, même si l'on distingue le capitaliste de l'entrepreneur. Sans doute c'est au travail des parents ou des ancêtres qu'il faut souvent faire remonter l'origine de la fortune, mais nous avons prouvé la légitimité de l'héritage. Vouloir que chacun soit uniquement fils de ses œuvres, selon la théorie individualiste, c'est méconnaître les lois profondes de la continuité et de la solidarité familiale.

b) (Antoine, XIX, 2 : *Théorie de l'association*). L'abandon que fait l'ouvrier est compensé par l'affranchissement des risques. L'apport quasi constant de son activité reçoit son payement constant, tandis que les bénéfices variables dédommagent ceux qui risquent gros ou dont l'initiative est facteur du succès.

Objections. 1° Gide (*Cours* 1920, t. II, p. 337) prétend qu'on ne peut déterminer en justice ce qui revient respectivement au capital et au travail. La réponse est donnée au paragraphe suivant (Voir aussi Antoine, XIX-2). Remarquons que la difficulté se rencontre dans les autres systèmes de coopération.

2° L'ouvrier subit les conditions du contrat.

Rép. Cela est faux quand l'ouvrier est syndiqué (cf. Schwalm, l. c., Levasseur, p. 408) ; l'abus du régime en certains cas n'est pas d'ailleurs une raison suffisante pour une condamnation générale.

(Comme conclusion, cf. Levasseur, *Salariat et salaires*, p. 412).

§ IV. — Juste salaire.

Etat de la question. — Nous cherchons à déterminer le salaire *minimum de droit*, c'est-à-dire « *la limite au-dessous*

(1) Nous traitons plus bas des diverses sortes de coopération et spécialement de la participation ouvrière aux bénéfices et à la gestion ; cf. Quest. soc. : *l'association* IV et V.

de laquelle le salaire doit être déclaré injuste ». Est-ce le salaire *individuel*, c'est-à-dire suffisant à l'entretien de l'ouvrier isolé, ou le salaire *familial*, correspondant à l'entretien de la famille ? Nous nous plaçons du point de vue de la justice commutative.

Pour la fixation du juste salaire, on a imaginé les théories de la *liberté contractuelle* et du *prix courant* (cf. Thiéry, *op. cit.* et Mgr d'Hulst, *Conf.* 1896[1]). Leur insuffisance est démontrée par l'exposé qui suit.

L'Encyclique Rerum novarum et le juste salaire (éd. Bonne Presse, p. 55).

1° Elle traite la question générale ex professo : les mots du début en font foi.

2° Elle donne une règle de justice stricte, comme le montre surtout l'opposition, affirmée tout d'abord, aux théories qui prétendent en établir une autre. (Voir d'ailleurs le *document romain*, cité par Vermeersch et par Mgr d'Hulst : *Conf.* 1896, note 18 ; nous en parlerons plus bas).

3° Elle ne dit rien explicitement du salaire familial : nous examinerons ce qu'a dû être la pensée du Pape.

4° Elle ne considère que le cas normal, bien entendu.

Vraie théorie. Détermination du salaire minimal.

Le juste salaire réalise l'équivalence objective avec le travail. D'où deux questions :

I. — *Critères* de l'équivalence.

II. — *Juges* de l'équivalence.

I. — CRITÈRES.

Ce sont :

a) la valeur *naturelle*,

b) la valeur économique *spéciale* du travail dans *tel métier*.

La première se rapporte au caractère *nécessaire* du travail et détermine le *salaire minimal absolu* ; la seconde se rapporte au caractère *personnel*[2], détermine le *salaire minimal relatif*.

---

(1) Item : Beaucourt, *Le contrat du travail*, 1912, p. 174 sq.

(2) Le mot « *personnel* » dans l'Encyclique veut dire « *individuel* » et non pas « *humain* ».

Délimitation du problème :

On suppose :

1° **Les conditions normales de l'industrie.** — Dans un cas de crise générale, le patron pourra, parfois devra, par charité, (afin de pouvoir conserver ses ouvriers) diminuer le salaire. Le travail n'a pas alors sa *valeur normale*. Dans un cas de crise particulière, il assumera les pertes, devra le juste salaire ; s'il ne peut le payer, qu'il congédie les ouvriers. Ceux-ci peuvent alors trouver ailleurs.

2° **Les conditions normales d'utilité du travail.**

Le patron peut recevoir pour un moindre salaire l'ouvrier dont il n'a pas besoin.

3° **Les conditions normales du coût de la vie**, v. g. *des loyers.*

4° **On suppose une vertu moyenne chez l'ouvrier.** — Dès lors, par subsistance, on entend ce dont l'ouvrier a besoin normalement.

Détermination des deux minima.

Et d'abord, rappelons la *théorie du prix*. L'évaluation est fondée sur deux facteurs : sur les *frais de production* et la *valeur intrinsèque d'utilité.*

Appliquons cela à la force-travail considérée successivement comme activité naturelle et comme activité qualifiée (métier déterminé). Nous considérerons pour chacun des deux cas les deux facteurs ; d'où résultera une détermination des deux minima (avec oscillation possible pour chacun d'eux, provenant de ce que l'évaluation n'est pas mathématiquement déterminée).

A) ***Minimum absolu du salaire*** : minimum au-dessous duquel, au moins dans les conditions normales, le juste salaire ne peut tomber, de par la volonté du patron, quel que soit le métier donné.

Il se déduit du caractère naturel et nécessaire du travail, d'après les deux facteurs mentionnés.

1° **Frais de production.** — La force-travail [1] de l'ouvrier vaut naturellement *au moins* ce que naturellement elle a coûté ; c'est à-dire la *subsistance journalière* (ce qu'il faut entendre d'une façon large, normale, conforme à la nature. — Cf. ANTOINE, *l. c.* : limite de la formule, 3°).

(1) La force-travail, c'est l'activité, l'énergie humaine que l'ouvrier loue au patron pour être employée, transformée en travail, à la façon d'une énergie mécanique. Dans tout ce qui suit, nous supposons que l'ouvrier met son activité intégrale au service de l'employeur. Un travail moindre, v. g. la journée de 8 heures, s'apprécierait proportionnellement.

Nous disons : « au moins ». La force-travail vaut plus, si l'on persiste à l'estimer à la façon des autres biens économiques. Telle qu'elle est louée concrètement par le patron, elle provient :

a) et des *moyens extérieurs de subsistance* ;

b) et de la *transformation vitale*, sorte d'intérêt quotidien de ce qu'on a appelé le « capital biologique » et qui n'est autre que le principe de vie de l'individu ;

c) et de la *direction intelligente* que l'ouvrier peut imprimer à son activité.

2° **Valeur intrinsèque d'usage.** — La force-travail vaut naturellement ce que naturellement elle doit donner, c'est-à-dire les moyens normaux de subsister (ce qui comporte possibilité d'élever une famille, avec les restrictions dont il sera fait mention).

B) ***Minimum relatif*** : Ici c'est la valeur économique spéciale du travail qui est considérée ; elle s'évalue en fonction des frais de production spéciaux (instruction, formation technique, développement des aptitudes) et de l'utilité spéciale du travail qualifié. Cette utilité se traduisant par une augmentation de valeur des objets soumis au travail, il n'est pas impossible de l'apprécier à la façon des autres marchandises en tenant compte de ce qu'il faut attribuer à l'effort du capitaliste, à son travail d'organisation, à son outillage, sans oublier que le patron risque sa mise, tandis que l'ouvrier est assuré d'un émolument fixe. Il ne s'agit nullement d'ailleurs d'une appréciation mathématique, pas plus que pour le prix d'une denrée quelconque.

II. JUGE DE L'ÉQUIVALENCE

L'évaluation ne pouvant être laissée au sentiment privé ou à l'une seulement des deux parties, le salaire est normalement déterminé par la commune appréciation des patrons et des ouvriers[1] (voir d'ailleurs ANT. art. 7 du même chapitre sur le *Rôle de l'Etat*, et le texte de l'Encycl. § *Rem hoc loco*).

N. B. Ceci semble répondre aux objections de M. THÉRY, *op. cit.*, XI, XIII, etc... Le P. Antoine présente bien les choses de ce point de vue. (Voir la remarque de BOISSARD, *op. cit.*, p. 49).

(1) Cette question se rattache à celle du « *contrat collectif* », c'est-à-dire conclu par des syndicats. Cf. *Guide social de l'Action pop. 1912*, p. 163, 166 ; — *Mouvement social*, nov. 1910 ; — POEY : *Manuel de sociol. cathol.* (1914) : ch. 43, p. 299, sq. ; — GIDE, *Cours* (1919), t. II, p. 319 ; — BUREAU, *op. cit.*, ch. VII, sq. ; — RAMBAUD, *Cours* (1911), t. II, p. 246 ; — P. NOURRISSON, *Tout par l'Etat*, p. 80 avec bibl. en note. — De nombreux ouvrages ont été écrits sur ce sujet.

III. SOLUTION

Dans les conditions normales, pour le travail intégral de l'adulte, le salaire familial absolu est dû en justice commutative.

Définition :

Nous appelons salaire familial absolu celui qui représente l'entretien journalier de la famille ouvrière normale. Son minimum, c'est ce qui est nécessaire au père de famille, déduction faite du concours modéré de la mère, pour élever un nombre normal d'enfants (déterminé par les statistiques dans chaque région : on indique généralement trois ou quatre enfants pour nos pays), avec possibilité d'épargner pour les mauvais jours.

Noter que dans les controverses, on parle souvent d'un salaire familial variable avec les besoins de chaque famille. Ce n'est pas celui que nous considérons.

Etat de la question. — Nous cherchons *ici*, non ce qui est *le plus avantageux du point de vue social*, mais ce qui est *dû*, et *à titre de justice commutative* : « *secundum æqualitatem rei ad rem* ». La question *récente* du *sursalaire*, *variable avec le nombre d'enfants*, a un tout autre caractère (cf. la note à la fin des objections).

Nous supposons toujours les conditions normales de l'industrie, du travail et du coût de la vie (voir : Obj. 5).

Les tenants de notre opinion sont nombreux : le P. Donat dit qu'elle est *la plus commune aujourd'hui* (voir la liste donnée par Vermeersch, *Q. de justitia*[3], n. 450, p. 566). Citons Manning, Liberatore, Marres, Nicotra, Steccanella, de T'Serclaes, Collationes Tornacenses (1895, n. 353), Verhaegen, Esbach, Périn, Dehon, Gayraud, Pottier, Lehmkuhl, Noldin, Cathrein (voir 9[e] édit., chap. sur les contrats, n. 490). Donat (th. II, p. 46 sq.), Fallon, *Princ. d'éc. soc.*[2] (1923), p. 215 sq.), etc. Cf. *Documentation cathol.*, 27 mars 1920.

Par contre, le P. Antoine ne regardait pas le salaire familial comme dû à titre de justice commutative. Le P. du Passage est moins catégorique.

Notre thèse est bien exposée par Vermeersch, *op. cit.* — Cf. Noldin (1913) : *de præceptis*, n° 610. — Schwalm donne des références et est contre nous (*Op. cit.*, t. I, p. 337 ; t. II, p. 184). La *Documentation catholique* (27 mars 1920) fournit beaucoup de renseignements, l'argument est bien présenté. — Voir encore Max Turmann, *Le développement du cathol. soc.*, p. 58 sq., etc.

Réponse aux adversaires et preuve de notre assertion.

Voici l'argument du P. ANTOINE *ici contre nous* (avant les modifications introduites par le P. DU PASSAGE) :

La justice commutative exige seulement que le travail soit payé. Or, le travail étant l'œuvre personnelle de l'ouvrier et non celle de la famille, ne requiert comme paiement que le salaire individuel. Donc la justice commutative ne requiert que le salaire individuel.

C'est la mineure que nous nions. Nous accordons que le travail est l'œuvre de l'individu ; mais il ne s'en suit pas que *seul* le salaire individuel est dû.

1° Du côté de la *provenance*, la force-travail vaut *plus* que la subsistance journalière.

2° Du côté de *ce qu'elle doit donner*, elle vaut de quoi fournir à l'ouvrier les moyens de vivre normalement, donc de pouvoir élever famille.

La famille entre en considération non directement, mais indirectement[1] *en raison :*

a) *De la capacité et du besoin de l'ouvrier.* Il a de par *la nature* la faculté et généralement le besoin de se marier et d'être père de famille : lui imposer le célibat et la chasteté, c'est réclamer de lui-même de l'héroïsme[2]. *Son travail est le moyen normal fourni par la nature de subvenir à ses besoins normaux. Donc il a le droit strict de recevoir du patron, auquel il le cède, l'équivalent de ces besoins : c'est la valeur de son activité.*

b) *De la propagation normale du genre humain.* Un moyen normal de vivre doit la permettre. Cf. les réponses du P. VERMEERSCH (*l. c.*, n. 439) au P. ANTOINE.

c) *De l'estimation commune elle-même (ad hominem :* cf. THÉRY, ch. XII, p. 121 sq. Voir VERMEERSCH, 1er arg. et les statistiques que nous citons plus bas).

En résumé :

Argument. — Le juste salaire est celui qui représente la valeur du travail. Or, — *si l'ordre de la nature n'est pas de soi en défaut*, — dans les conditions normales, le travail intégral de l'adulte vaut de quoi vivre selon les fins de la nature, c'est-à-dire selon les besoins normaux de l'individu et de l'espèce : ce qui comporte la possibilité d'élever une famille normale. Donc...

---

(1) L'abbé THÉRRIEN dit très bien : « non la famille à proprement parler, mais le but familial du travail » (*Doc. cathol.*, l. c.).

(2) Cf. S. THOMAS, C. G., l. III, c. 137 ad 4um : « communem hominis modum excedit ».

Objections. 1° Les autorités.

a) On nous oppose le « *document romain* » (Cf. VERMEERSCH, *Quæst. de justitia*[3], n. 420, et Mgr d'HULST, 1896, note 18).

Rép. Remarquer que le P. ANTOINE ne s'appuie pas sur lui en tant qu'autorité. — Il y aurait peut-être une raison de déférence dans le cas où Léon XIII vivrait encore. Les documents officiels comme l'Encyclique se doivent interpréter d'après les sources officielles de renseignements, nous semble-t-il. Or le texte qu'on nous oppose n'a qu'un caractère officieux. Mais de plus, s'agit-il dans le document du *salaire familial tel que nous l'avons défini* ou du salaire *variable avec les besoins de chaque famille* ? La question n'a jamais été tranchée[1].

b) *Autre document.* Discours de M. DURAND au Congrès de Sarlat (8 oct. 1912 ; cf. *Quest. actuelles,* t. 113, p. 239), chaudement approuvé par le card. Merry del Val (*ibid.*, p. 203) : on ne doit à l'ouvrier que le strict nécessaire.

Rép. Nous ne réclamons pas pour lui le bien-être[2]. On pourrait d'ailleurs opposer la déclaration des évêques américains (*Nouvelles relig.* mai 1919 ; cf. *Doc. Cathol.* 13 mars 1920, p. 360) : le salaire doit dépasser le strict nécessaire. — *L'Encyclique* elle-même ne dit-elle pas (p. 47) qu'à l'ouvrier doit revenir une part convenable de son travail, pour qu'il vive avec moins de peine et de privations ? Mais peut-être s'agit-il du bien social, plutôt que de la stricte justice.

2° Objections de raison.

1re Obj. — Il n'existe de devoir strict de justice, que corrélativement à un droit strict ; donc en particulier le patron n'a le devoir strict de justice de payer le salaire familial, que si l'on suppose chez l'ouvrier le droit strict d'avoir famille. Or ce droit n'est pas prouvé.

Rép. Il ne s'agit pas de prouver un droit strict chez l'ouvrier avant la prestation du travail ; il y aurait là des distinctions à faire. Mais l'ouvrier adulte a le besoin normal de se marier, et c'est aussi un besoin de l'espèce qu'il puisse normalement le faire. D'autre part le travail est le moyen normal voulu par la nature de subvenir aux besoins normaux de l'existence, et (conséquemment aussi) aux nécessités de la propagation normale de l'espèce. De cette relation de moyen normal à fin normale se déduit la *valeur normale du travail,* et donc le droit strict de celui qui livre son travail au patron : non le droit strict de se marier, mais celui d'être payé selon la valeur de l'activité fournie.

2e Obj. Nos arguments conduiraient au salaire variable. Car la valeur du travail se déduit de la fin qui est de faire vivre l'ouvrier avec sa famille.

Rép. C'est confondre l'ordre d'intention et l'ordre d'exécution. Le travail de l'homme *doit* lui permettre de vivre, lui et sa famille, puisque telle est la finalité naturelle, prochaine et d'ordre économique. *Donc il le lui permettra de par soi, lorsque les conditions normales seront vérifiées* tant du côté du travail, etc., que de celui de la *famille.* On ne peut plus l'affirmer, si les conditions sont anormales : à la finalité naturelle (à l'ordre d'intention), la réalité (l'ordre d'exécution) ne correspond qu'hypothétiquement.

En résumé le travail est donné par Dieu à l'homme comme moyen *normal* de vivre ; donc il a comme fin de le faire vivre dans les conditions

---

(1) Cf. VERMEERSCH, n. 420, 421 ; — Mgr d'HULST : note citée ; — SCHWALM, t. I, p. 337 (la note) ; t. II, p. 207 ; — *Assoc. cath.,* 1er juin 1895, p. 631, 632.

(2) M. THÉRY nous oppose d'autres autorités (ch. XI) : Voir les réponses du P. VERMEERSCH, n° 440 ; — cf. POTTIER, *De just. et jure,* p. 234, sq.

normales; mais il ne varie pas de valeur d'un individu à l'autre par le seul fait qu'ils n'ont pas le même nombre d'enfants.

Instance. Le nombre normal d'enfants est bien plus que 3 ou 4 ; il est variable... et donc le patron, d'après nos principes, devrait payer un prix exorbitant.

Rép. Pour établir le prix familial, on considère, non pas le nombre total d'enfants dans une famille, mais le nombre d'enfants en bas-âge. Or, d'ordinaire, même dans les familles nombreuses, il n'y a que trois ou quatre enfants qui soient incapables en même temps de subvenir, même partiellement, à leur entretien.

2e Instance. L'ouvrier qui a dix enfants a le droit strict de les faire vivre, même si le chiffre dépasse la famille normale[1].

Rép. Si le droit est une conséquence immédiate de circonstances extraordinaires, il lui répond un moyen extraordinaire d'y satisfaire (normal *per accidens*): si la charité en effet ne l'aide pas, ou l'autorité, l'ouvrier peut prendre dans les cas d'extrême nécessité.

Quant à la juste estimation de la valeur naturelle du travail, elle n'a rien à voir avec les circonstances extrinsèques et anormales.

Remarquons d'ailleurs que les tenants du salaire individuel auraient des difficultés analogues touchant la subsistance journalière de l'ouvrier ; les besoins varient en effet... avec les individus. Dans les deux cas il faut établir un salaire normal[2].

3e Obj. La fin immédiate du travail n'est pas la subsistance, mais le salaire (Schwalm).

Rép. 1° Transeat. Le travail n'en a pas moins une relation naturelle à la subsistance ; les intermédiaires semblent importer peu.

2° Nous avons dit: Transeat. On pourrait nier, le salaire n'étant que le substitut conventionnel des ressources que l'ouvrier désire se procurer.

4e Obj. (tirée des impossibilités particulières). Notre théorie obligerait parfois un industriel à fermer son usine, faute de pouvoir payer le juste prix.

Rép. 1° Il en est de même dans la théorie du salaire individuel. — 2° Celui qui au moment d'avoir à payer un cheval se voit denué des ressources nécessaires pourrait-il tirer de sa détresse un argument contre la valeur du cheval ? — 3° Nous n'avons pas à résoudre ici les cas de conscience particuliers.

5e Réponse à l'objection tirée de l'impossibilité générale.

A. *Notre thèse suppose que tout soit normal :*

a) Du côté de la prestation du travail (intégral[3], laborieux, suffisamment dirigé).

---

(1) Non contra sed aliquo modo extra ordinem.

(2) Le P. Fallon envisage le « nombre d'enfants auquel, étant données, d'une part, les exigences raisonnables de la civilisation, à l'époque et dans les milieux considérés, et d'autre part, les richesses disponibles [du pays ou des colonies...] il est généralement possible de pourvoir ». Nous n'osons porter sur ces précisions complexes un jugement définitif. En tout cas le sociologue ne peut conseiller de *limiter* le nombre des enfants ce mot s'employant d'habitude dans un sens inacceptable.

(3) Nous avons déjà noté que la journée de 8 heures n'est pas cela (note, p. 308).

b) Du côté du rendement industriel général (conditions suffisamment favorables de l'industrie).

c) Du côté du coût de la vie, ou tant du côté des disponibilités (denrées nécessaires, suffisamment abondantes) que de celui des prix librement établis par ailleurs (*loyers*, etc...).

B. *Si l'état des choses est anormal*, ce n'est pas l'*équivalence artificiellement établie entre le salaire et le coût de la subsistance familiale* qui rendra cet état normal. Et là on a raison de préconiser d'autres moyens généraux, d'autant que l'équivalence susdite ne sera généralement pas celle du *salaire* et de la *valeur actuelle du travail*. Et là spécialement vaut la formule : *le bien social exige que le travail vaille le salaire familial* (voir la fin du chap. sur le juste salaire, Antoine — du Passage). Nous n'avons jamais dit que la première réforme nécessaire était le paiement du salaire familial.

C. *Si au contraire tout est normal*, le payement du salaire familial sera possible, et si cela est vrai, la thèse est sauve.

D. *On dira :* la thèse est vraie théoriquement, non pratiquement, car l'état des choses n'est jamais normal.

Nous répondons que l'état normal doit *a priori* être facile. Quant à savoir si par la faute des hommes il est relativement rare, c'est une question de fait. Il n'existe évidemment pas depuis la guerre. Pour la fin du XIX[e] siècle et le début du XX[e] les témoignages sont discordants. Cependant quant à l'*état général* en France, nous ne connaissons qu'une source sérieuse d'information, les enquêtes officielles interprétées par Béchaux (*Correspondant*, 10 février 1912)[1] ; elles sont favorables à des vues optimistes. (Voir Levasseur, *Salariat et Salaires*, p. 430 sq. ; — *Catéchisme du Sillon* 1, note p. 270).

E. *Pourtant* il y a lieu de prendre en considération la probabilité extrinsèque de l'opinion adverse, et la difficulté de fait, qui vient d'être soulevée, celle de savoir si l'état normal est vérifié. Dès lors il sera souvent difficile

---

(1) Les statistiques dont Béchaux fait le plus grand cas semblent montrer avec évidence qu'avant la guerre 90 familles d'ouvriers sur 100 ont ce qu'il leur faut pour vivre, grâce à la grande augmentation des salaires depuis 50 ans. Ils ont en général doublé, tandis que le coût de la vie n'a augmenté que dans le rapport de 30 à 40 %. Dix ou douze familles sur 100 ayant plus de 3 ou 4 enfants passent par un moment de crise. La charité ou à son défaut l'assistance publique sont alors nécessaires.

Les travaux du vicomte d'Avenel cités plus haut montrent que le salaire réel a été à certaines époques de l'Ancien Régime supérieur à ce qu'il était à la fin du XIX[e] siècle. On remarquera que les années qui ont suivi la Révolution étaient un temps de crise économique aiguë. Quant aux époques antérieures, l'ouvrier avait souvent d'autres ressources que son salaire (Vermeersch, n. 44).

Sur la situation actuelle, il faut mentionner une enquête fort bien menée : *Echo de l'Union sociale d'Ingénieurs catholiques*, spéc. juillet 1923. Voici les principales conclusions :

« Sans allocations familiales, le salaire viril seul des ouvriers les moins favorisés est souvent insuffisant pour élever convenablement une famille de plus de deux enfants. Le salaire de la mère de famille, joint à celui du mari, ne suffit même pas, dans bien des cas, à équilibrer le budget d'une famille de quatre enfants, si d'autres ressources n'interviennent pas » (p. 232). On note que ces familles de quatre enfants sont assez peu nombreuses, mais on veut précisément qu'elles se multiplient... (*ibid.*).

On remarque aussi « que la mère de famille est trop souvent obligée de négliger son foyer pour travailler au dehors et parer à l'insuffisance des ressources familiales » (p. 236).

Certains enquêteurs avouent la difficulté « de déterminer ce qui est exactement nécessaire à l'existence », les ouvriers « plus que nul autre » étant portés à dépenser ce qu'ils gagnent (p. 252).

d'inquiéter un patron qui paye le prix courant et le salaire au moins individuel. Au point de vue social la question du *sursalaire* [1] demeure intacte : la justice commutative n'est plus en jeu.

---

1) La pratique se répand d'un sursalaire, variable avec le nombre d'enfants et payé par une caisse collective qu'alimentent les patrons de la profession [illegible] de la région, chacun suivant l'importance de son industrie. Cf. lettre de Mgr Gerdaïl, *La Paix sociale par l'organisation chrétienne du travail* (Action popul.), p. 11 ; — *Souv. relig.*, 15 juin 1919 ; — Max Turmann, *Problèmes sociaux du travail industriel* (1921), ch. III, p. 82 sq. ; — *Documentation catholique*, 13 et 27 mars 1920 ; — *Études*, 1921, t. II, p. 403 sq. ; art. du P. de Passage ; — *Cours*, Antoine — de Passage, etc.

Nous ne pouvons qu'approuver cet effort d'équité et de bienfaisance.

LIBER SECUNDUS

ETHICA SPECIALIS SOCIALIS

Hominem hucusque secundum naturam individualem consideravimus. Jam de ejus natura sociali agimus.

Datis in cap. I notionibus de societate universim, deinde in cap. II et III de utraque societate naturali, sc. domestica et civili seorsim disseremus.

Tandem in cap. IV quædam dicemus de jure internationali.

CAPUT I

DE SOCIETATE UNIVERSIM

De naturali indole societatis. — Hominem esse animal sociale ostendit S. Thomas initio op. de Reg. principum, et argumenta breviter recolit Leo XIII in Enc. Diuturnum[1].

Constat : 1° ex necessitate, seu ex indigentia hominum ; 2° ex aptitudine, speciatim ex facultate loquendi ; 3° ex inclinatione — ne seu ex sensu mutuæ benevolentiæ.

ARTICULUS I

QUID SIT SOCIETAS

Zallinger, *Inst. juris nat.*, n. 166 ; — Meyer, I, n. 347.

1° ***Definitio.*** — « *Est conjunctio moralis et stabilis plurium in communem aliquem finem suis actibus conspirantium.* »

(1) Cf. I, *Polit.*, lect. 1 ; — de Quatrefages, *L'espèce humaine*[6], p. 327.

Ut enim exempla obvia ostendunt, vox « *societas* » evocat ideam

a) *unionis, congregationis inter plura* ; sufficiunt *duo* : « pluralis locutio duorum numero est contenta » (sec. reg. 40 juris canon. in VI) ;

b) *inter entia moralia*, i. e. prædita intellectu et libertate (Examen apum non est proprie societas) ;

c) *stabilis* : simplex contractus venditionis aut quilibet transiens etsi communis conatus, non est societas ;

d) *in se seu formaliter moralis*, quæ duplicis est rationis. In ordine *juridico* aut saltem *ethico* sunt mutua officia et jura membrorum ; in ordine *facti* est conspiratio membrorum in aliquem finem, naturæ consentaneum, mediis non semper paribus, sed coordinatis.

2° ***Elementum morale et formale.***

a) **Elementum materiale seu determinabile est multitudo.**

b) **Elementum formale seu determinans est unio moralis et, ut videtur, juridica.**

PROB. : Etenim fingi potest formam quasi physicam[1] esse
a) vel *conspirationem de facto in finem*,
b) vel *auctoritatem*, quæ imponit unitatem actionibus,
c) vel *vinculum juridicum*, complectens mutua jura et officia.

Hæc tria sunt intrinseca, ponunt aliquam unitatem, determinationem.
Porro *non videtur esse*

a) *conspiratio*, quæ deest inter conjuges post divortium, inter patrem et filium aliquando... manente tamen societate ;

b) *nec auctoritas*. Etenim id sine quo societas concipi potest, non est ejus forma. A. societas concipi potest, præscindendo ab auctoritate. Ergo...

Prob. min. — 1. ex definitione societatis supra data ;

2. ex factis : societas conjugalis, aut societas libere ad agendum commercium constituta omnino concipitur, etiam præscindendo ab auctoritate...

---

(1) Forma metaphysica est ipsa essentia, includit materiam et formam physicam aut quasi physicam.

Confirmatur ex analogia : formæ physicæ toti materiæ communicantur : porro auctoritas patris vg. est tantum in aliquo membro societatis.

Vide alia argumenta apud CATHREIN.

Obj. Quidam auctores, v. g. MEYER loc. cit., ut probent auctoritatem esse formam societatis, arguunt ex ejus necessitate et provocant ad opus S. THOMÆ *de regimine principum* (*lib.* I, c. I).

Resp. Auctoritas requiritur, non ut adsit societas, sed ut vita socialis recte exerceatur. Notandum est vinculum juridicum concipi posse independenter ab auctoritate. Ponimus istam esse tantum proprietatem, necessario ex essentia societatis consequentem.

c) *Ergo forma non videtur esse nisi tertium elementum, sc. vinculum juridicum,* datis, ut patet, capacitate et convenientia conspirandi, sine quibus ipsa obligatio non existeret,.. Ceterum ex eo confirmatur, quod supposito hoc vinculo in multitudine, intelligitur societas ; hoc vinculo non supposito, societas non concipitur.

3° ***De personalitate morali societatis.***

Vi unionis juridicæ et conspirationis in finem societas analogiam habet cum persona physica et inde vocatur persona moralis.

VERMEERSCH (*de just. et jure,* 1904, p. 675 sq.) aliique hanc vocem dicunt esse parum rectam, ex eo quod talis personalitas non habet effectus juridicos. Omnia jura societatis, ait VERMEERSCH, *ab ipsis individuis, communiter quidem,* possidentur.

Videtur hæc ratio nimis subtilis. Plane concedimus societatem non adæquate distingui ab individuis ; sed homines *associati et communiter possidentes jura quæ nullus singillatim habet,* revera præcise constituunt *subjectum aliquo modo novum non tantum ratione, sed realiter ;* et hoc subjectum activitatem habens specificam simul cum novis bonis et juribus, videtur recte dici moralis persona, ex analogia.

Cf. MICHOUD, *Théorie de la personnalité morale,* spec. Append., t. I, p. 492 sq.

ARTICULUS II

DE ACTIVITATE SOCIALI

Præcipue notanda sunt *finis* et *norma* socialis activitatis.

Socialis finis : Est bonum (a) *commune,* sc. in quo omnia membra participant aliquomodo. Secus non esset cuilibet

motivum cooperandi, cum nullus possit intendere quod non est sibi aliquomodo proprium (debet tamen intelligi commune *sensu lato* : sunt vg. societates ad salvandos naufragos ; quodammodo commune est omnibus membris bonum proximi, communis est perfectio zeli et misericordiæ) ; — (b) *externam*, ut possit activitate sociali attingi ; hoc saltem verum est de societate mere humana ; — (c) *subordinatum fini cuilibet superiori, præsertim ultimo.*

Norma. — Sicut norma rectitudinis actus humani ab individuo elicita, est natura individui, sic *norma rectitudinis actus socialis est natura societatis.*

ARTICULUS III

SOCIETATIS PARTITIO

Speciatim duæ retinendæ sunt distinctiones.

1° Distinguitur societas *naturalis* et *libera. Societas naturalis ea dicitur quæ, et secundum finem et secundum constitutionem a natura determinatur,* sic natura inclinat ad scientiam acquirendam, aliis communicandam ; tamen academiæ doctorum non sunt naturales societates. Item *nec tales sunt associationes inter operarios (valde notandum). Nonnisi familia et civitas sunt societates naturales.*

2° Distinguitur societas *perfecta* et *imperfecta,* et quidem duplici ratione. *Primo sensu ea societas est perfecta, quæ ordinatur « ad perfectam sufficientiam vitæ humanæ*[1] *» et sibi sufficit ad hunc finem.* Sic est sola civitas. *Secundo sensu perfecta dicitur societas possidens actu vel virtute media ad suum finem et non directe dependens ab alia societate ;* ita sunt Ecclesia et civitas tantum.

(1) Hæc « *sufficientia* » est complexus omnium conditionum quæ *externe* sufficiunt ut membra societatis possint *propriis viribus* efficaciter propriam perfectionem intendere cf. thesis 61).

CAPUT II

DE SOCIETATE DOMESTICA

C. G., l. III, c. 122 sq. ; Suppl. q. 41 sq. ; — Taparelli, t. III, p. 217 sq. ; — de Lehen, t. II, initio ; — Félix, *Conf.*, 1860-61 ; — Monsabré, *Car.* 1887, cf. notæ (2ª præsertim, p. 272) ; — Taudière, *Dict. apol.* : art. « Famille » ; — de Margerie, *Famille* ; — Janet, *Famille* ; — Faguet, *De la Famille* (les 10 commandements) ; — *Science et religion* : Funck-Brentano, *La famille fait l'Etat* ; — Villien, *Dict. de théol.* art. « divorce » ; — Castillon, *Dict. apol.* ; art. « Mariage et divorce » ; — Noldin et alii : *Théol. moral.* ; — Rosset, *De matrimonio* ; — Fonsegrive, *Mariage et union libre* ; — Vuillermet, *La vocation au mariage* ; — Mis de Roux, *L'Etat et la natalité* ; — Lavedan, *La famille française* ; — *Quest. act.* : voir les tables aux mots divorce, domestiques, etc. ; — *Année soc. internat.* : passim, voir les tables ; — *Semaine sociale* de 1912, compte-rendu ; — Gemelli, *L'origine de la famille* (coll. Peillaube) ; — de Pully, *La morale domestique* (item).

Societas domestica est prima inter alias, fundamentum civitatis (*cellula organismi politici*), primo igitur loco tractanda.

Est societas *composita* societate
- *conjugali* : inter maritum et uxorem.
- *parentali* : inter parentes et filios.
- *herili* : inter herum et servos.

ARTICULUS I

DE SOCIETATE CONJUGALI

§ I. — De natura et necessitate matrimonii.

THESIS L. — Conditor naturæ intendit conjunctionem sexuum : nonnisi tamen in matrimonio, seu in stabili societate viri et mulieris.

C. G., l. III, c. 122 ; *Suppl.*, q. 41, a. 1.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I[a]. — Auctor naturæ vult conjunctionem sexuum.

PROB. — Sine tali conjunctione : 1° tum aptitudo, tum inclinatio ad procreandum esset frustra ; — 2° mox careret terra suo fine immediato, cum non existeret humana natura (ad quam irrationalis creatura ordinatur, cf. th. 1[am] : coroll).

PARS II[a]. — Auctor naturæ vult conjunctionem stabilem sexuum seu matrimonium [1].

PROB. — 1° Absque stabili unione deesset necessaria opera patris ad instruendam et defendendam prolem, eique statum convenientem procurandum (*Suppl.*, q. 41, a. 1, in corp. et ad 1[um], præsertim finem).

2° Deesset regula objectiva, stabilis et clara in usu voluptatis venereæ et consequenter moderamen, dignitas, securitas propagationis. Cf. DD. d'Hulst, 1894, note 3, sq., p. 361 sq. circa theorias evolutionistæ Letourneau, p. 14 sq. — Eodem modo confutarentur alii evolutionistæ, sicut Westermarck (*Origine du mariage*), Tillier (*Le mariage, sa genèse, son évolution*). Vide præsertim Gemelli, *op. cit.*

§ 2. — De fine matrimonii.

THESIS LI. — Præcipuus finis matrimonii est condecens generis humani propagatio per prolis generationem congruamque educationem.

Suppl. q. 4, a. 1.

STATUS QUAESTIONIS

1° Agitur de conjunctione stabili sexuum. — 2° Sunt plures fines matrimonii, qui in hac quæstione inter se comparantur. — 3° Hæc thesis maximi est momenti contra hodiernos adversarios indissolubilitatis matrimonii. Isti enim arguunt ex fine secundario, quasi esset primarius (cf. Fonsegrive, *op. cit.*).

Nota theseos : omnino certa.

(1) Optime P. Castillon, *art. cit.*, c. 88 sq.

DEMONSTRATIO

PROB. — Ille est principalis finis matrimonii ad quem primario est 1° *necessarium* ; 2° *aptum*. Atqui talis est condigna generis humani propagatio. Ergo.

Minor probatur ex comparatione inter diversos fines. Præter enim propagationem speciei, matrimonium præbet 1° mutuum obsequium et subsidium inter conjuges ; 2° remedium concupiscentiæ, quatenus simul imponit regulam et modum procurat convenientem satisfaciendi inclinationibus naturæ (*Suppl.*, l. c. in corp.). Facile apparet matrimonium non esse necessarium et aptum ad istos fines, nisi secundario et consequenter ad primum finem : sexus enim dantur ob generationem, cui ut stimulus adjungitur concupiscentia : cf. MONSABRÉ, *l. c.* ; FONSEGRIVE, p. 286 sq. optime, aliique.

COROLLARIUM. — De gravitate luxuriæ. — *Leges entis sunt leges voluntatis. Inde gravitas deordinationis moralis mensuratur ex momento tum legis ontologicæ cui opponitur, tum ipsius violationis. Porro leges generationis sunt maximi momenti, nam habent ut finem propagationem recte ordinatam generis humani*[1] *; hinc gravitas luxuriæ in genere* (cf. SERTILLANGES, *La phil. mor. de S. Thomas*, p. 476, n. 3).

Sunt autem gradus.

« *Simplex fornicatio* », i. e. usus facultatis generandi extra matrimonium, sed rectus aliunde, jam est peccatum mortale, quatenus opponitur conditionibus idoneis ut vita prolis se evolvat. « Elle a le poids d'une vie ». (C. G., *l. c.*, in fine ; — SERTILLANGES, *op. cit.*, p. 478 ; — VERMEERSCH, *De castitate*, p. 304 sq. ; — HEURTEBIZE, *Dict. de la Bible*, art. « Osée », c. 1909-1912).

Peccata « *contra naturam* », ut pollutio, sunt graviora[2].

Imo *positive consentire venereæ voluptati* (*proprie carnali*), *extra ordinem*, est etiam grave, quia hæc voluptas inde amittit suam indolem stimuli ad scopum ex natura assignatum ; nec tantum iste vehemens impulsus evadit inutilis, at pugnat contra ordinem : nam qui delectationem quærit quin onera vitæ

---

(1) En istæ leges *ontologicæ* : 1° venerea voluptas est stimulus actionis generandi ; 2° hæc actio ordinatur remote ad formationem hominis in statu perfecto, quod supponit cooperationem ad educandum et igitur unionem stabilem viri et mulieris, i. e. matrimonium.

(2) ... *ex se* ; sed *subjective* et *concrete* fornicatio dicenda est gravior, cum supponat voluntatem magis determinatam quam sola pollutio seu effusio seminis sine congressu cum alio. Præterea luxuriæ malitiæ malitia scandali aliaque peccata adduntur.

assumat, magis ac magis ea fugit. Ideo *non datur ibi levitas materiæ.*

E contra deordinatio sæpe levis est in actionibus quæ malæ non sunt nisi ob periculum pollutionis vel consensus in delectationem veneream, v. g. in quibusdam colloquiis leviter incongruis.

Actus vel situs, utiles sed periculosi, sunt liciti, secundum principia voluntarii indirecti, dummodo adsint ratio proportionata gravitati periculi, recta intentio, cautiones sufficientes (oratio, firmum propositum non peccandi, etc...) : ita studia quædam[1].

§ 3. — De præcepto matrimonii.

Negamus *singulos* homines ad matrimonium contrahendum teneri, etsi generi humano sit necessarium et præceptum.

Suppl., q. 41, a. 2 ; C. G., l. 3, c. 137 ; — Sertillanges, *op. cit.*, p. 464 sq. ; — cf. Bibl. supra.

THESIS LII. — Cælibatus per se non prohibetur lege naturali : — imo conjugali statu perfectior est, si ad Dei plenius obsequium ordinatur.

Cælibatus latiori sensu est conditio ejus qui a matrimonio, motivo non inhonesto, abstinet. Strictiori sensu supponit motivum esse Dei perfectius obsequium. In I^a parte, priorem sensum spectamus ; in II^a parte, alterum.

Nota theseos : omnino certa.

PARS I^a.

PROB. — Obligatio ex fine mensuratur. Atqui finis matrimonii generatim non exigit singulos nubere. Ergo.

Ad min : a) non finis primarius, i. e. generis humáni propagatio, hoc exigit, nisi homines sint pauci, cum generatim sat multi inclinentur ad nuptias. Ex alia parte altiora bona genus humanum a cælibatu accipere potest (*Monsabré :* p. 247 sq. ; —

(1) De castitatis educatione difficile est breviter simulque clare disserere. Optima invenies apud Castillon, *Etudes*, 1909, t. CXIX, p. 825 sq. ; — Gillet, O. P., *Innocence et ignorance* ; — Bureau, *L'indiscipline des mœurs*, p. 509 sq. ; etc. — Improbanda est institutio technica, præsertim coram pluribus pueris ; educatio prudenter et privatim a confessario aut parentibus tradenda est.

De possibilitate castitatis, contra asserta quorumdam, vide Auffroy, *Etudes*, 1912, CXXXIII, p. 206 sq., optime ; — Bureau, *op. cit.*, spec. p. 295 sq. ; etc...

C. G. *l. c.*). Potest genus humanum ex matrimonio crescere *extensive*, ex cælibatu *intensive* : cf. 2ª pars.

Confirmat Cathrein istam primam considerationem ex dictis quorumdam œconomistarum inter quos Malthus (cf. Antoine, XXVIII, 6) ; hoc videtur tantum opportunum *ad hominem* : scil. non tam cupiendum est rapidum incrementum generis humani, siquidem multi admittunt numerum populi celerius crescere quam quantitatem subsidiorum ad vitam sustentandam[1].

b) Nec finis *secundarius* exigit ab omnibus matrimonium, cum alia sint auxilia et remedia concupiscentiæ.

PARS IIª.

PROB. — Ille status est præstantior, qui liberat a curis terrestribus, elevat ad spiritualia, Deo conjungit et quodammodo assimilat. Ergo (cf. Monsabré ; — Balmès, *Protest. comparé avec le cathol.* c. 26 ; — H. Auffroy, *Le célibat des prêtres*, Etudes, 1912, t. cxxxiii, p. 5, 206 ; — Lavedan, *La famille française*[6] (1917), ch. IX, p. 77 sq. optime ; — P. Bureau, *L'indiscipline des mœurs*, spec. p. 326 sq. ; — Rev. apologétique, 15 déc. 1923, p. 32, *Le célibat ecclésiastique et le problème de la population*, par Mgr Lavallée ; — Vermeersch, *De castitate*).

N. B. — Ad theologiam moralem pertinet quæstio de vocatione omnium ad consilia evangelica. Communiter admittitur vocatio omnium remota ; sed negandum est omnes, etiam si voluerint, gaudere possibilitate proxima sive ingrediendi in religionem, sive etiam, saltem moraliter loquendo, virginitatis servandæ, quæ, ut dixit S. Thomas, « communem hominis modum excedit » (C. G., *loc. cit.*, ad 4um. — Vide Bulot[2], t. ii. n. 126 ; — Lehmkuhl[11], t. i, n. 658).

§ 4. — De matrimonii unitate.

Suppl., q. 65, a. 1 et 2 ; C. G. l. 3, c. 124 ; — Monsabré, *l. c.* note 2, p. 273 ; — Ferretti, t. III, p. 81.

Matrimonium in individuo pendet ab electione viri et mulieris et initur *contractu*. Insuper est pro christianis *sacramentum*, de quo theologi. *Ut contractus, requirit ad validitatem liberum consensum, habilitatem personarum ad finem matrimonii, voluntatem se obligandi ad mutua officia hujus status.*

(1) Sed malthusianismus et præsertim neo-malthusianismus sunt omnino damnandi : vide Antoine, *loc. cit* ; — Cf. Doléris et Bouscatel, *Néo-malthusianisme...* (non approbamus totum librum).

Duæ quæstiones possunt jam a philosopho considerari, quæ ampliorem et validiorem solutionem habent in theologia : scil. de *unitate* et *indissolubilitate* matrimonii (§ 4 et 5).

Circa primum ipsa ratio postulat nonnisi unum virum et nonnisi cum una muliere saltem simultanæ posse conjungi. Hinc « *polygamiam* » rejicimus. Duo casus spectandi sunt :

1 una mulier simul habet plures viros : « *polyandria* ».

2 unus vir simul habet plures uxores : « *polygynia* ».

Utrumque adversatur legi naturali, non tamen eadem ratione.

Scimus ex thesi 51ª quid sit finis primarius matrimonii, quid secundarius. Porro :

Polyandria[1], ait S. Thomas, *a*) quantum ad aliquid totaliter tollit finem primarium, cum de vero patre dubitatur, qui educationem curare debet, *b*) quantum ad aliquid, aliqualiter impedit finem eumdem, quia fecunditas uxoris incommodum subit ex pluralitate consortii (*Suppl.* q. 65, a. 1 ad 8ᵘᵐ).

Polygynia non adversatur fini matrimonii nisi secundario. Ibi enim : *a*) relate ad educationem, non est dubitandum de veris parentibus ; *b*) relate ad procreationem prolis, vir non detrimentum patitur ex conjugio cum pluribus, sed *c*) ex polygynia facile oritur perturbatio pacis domesticæ ; patitur amicitia conjugum præsertim ob inæqualitatem inter virum et mulierem, et quia, dispersus circa multos, affectus intensus non est ; præterea inæqualitas jurium quæ inducitur est contra exigentias contractus matrimonii.

Hinc apparet cur : 1° numquam polyandria permissa fuerit ; — 2 Deus, sed ipse solus, possit dispensare quoad polygyniam.

Ut enim jam fuit explicatum (th. 26, cum schol.), præcepta legis sunt immutabilia sed diversis modis. Numquam Deus dispensat directe, sed aliquando indirecte, mutata materia (v. g. dando licentiam quam sibi reservavit[2]).

Circa præcepta primaria, seu quæ ob finem primarium a natura intentum imponuntur, Deus nequit dispensare etiam indirecte (saltem dispensatione generali) ; hoc facit circa secundaria, quæ scil. fines secundarios tantum respiciunt, nam finis primarius v. g. potest hanc dispensationem postulare (*Suppl.*, q. 65, a. 1 et 2 ; q. 67, a. 2). Nec obstant in casu jura conjugum, cum pendeant a divina jurisdictione.

---

(1) Cf. *Grande Encyclopedie*, t XVII, p. 1146-1149, circa historiam praxis.

(2) Non est tunc mutatio aut dispensatio proprie dicta : lex in hoc casu enuntiatur : hoc non facietis, nisi ipse permittam. » Ita enuntiata, lex est sine exceptione adimplenda.

Notemus etiam præcepta secundaria facilius ignorari. Cf. MONSABRÉ, *l. c.*, p. 272.

§ 5. — De matrimonii indissolubilitate.

THESIS LIII. — Conjugii vinculum jure naturæ ita indissolubile est, ut non nisi auctoritate divina solvi queat.

C. G., l. 3, c. 123 ; *Suppl.*, q. 67. a. 1 ; — Cf. Bibl. initio capitis.

STATUS QUAESTIONIS

Matrimonium spectari potest in *fieri* et in *facto esse*. In fieri est *contractus* ; in facto esse, ut jam elucet ex præcedentibus assertis, est *stabilis conjunctio sexuum, qualis ad condignam generis humani propagationem intenditur a natura. Vinculum* designare potest sive *contractum*, sive *mutuam obligationem consequentem*. Istam obligationem dicimus esse *perennem, ita ut nec intrinsece*, scilicet mutuo consensu conjugum, *nec extrinsece*, scilicet auctoritate aliqua, saltem in ordine mere naturali *solvi possit*. Non negamus Deum per revelationem posse nobis manifestare dispensationes sibi soli reservatas (cf. paragraphum præc., in fine) ; istæ ceterum multo difficilius videntur tribuendæ esse quam in casu polygamiæ : vide MATTH., c. 19 ; — cf. *Suppl.* q. 65, a. 2 et q. 67, a. 2, 3, 4 ; — VILLIEN, *Dict. de théol.*, col. 1459. Nec agitur de divortio imperfecto nempe quoad torum et cohabitationem.

Circa extensionem declarationum Ecclesiæ, vide : VILLIEN, *Dict. de théol.*, art « divorce », col. 1473. — Documenta præcipua sunt : *Syllabus*, th. 67 et Encycl. *Quod apostolici*, ubi *Leo XIII* docet : « *rectam hujus* [domesticæ] *societatis rationem secundum juris naturalis necessitatem in indissolubili viri et mulieris unione primo inniti.* » Non forsan stricte sunt sumenda in ordine, scilicet mere naturali, ita ut omnem exceptionem amoveant[1]. Forsan etiam agitur tantum de lege objectiva, non de possibilitate probandi, seclusa revelatione.

De adversariis, cf. FONSEGRIVE, *Mariage et union libre* (v. g. p. 122, 142 sq., 144, 145. — Voir aussi chap. précédent).

De nota theseos, cf. *Dict. de théol.* c. 1473 : Certo divortium repugnat legi naturæ in generalitate casuum, probabilissime etiam in casu sterilitatis, sive solutio procedat ab intrinseco, sive ab extrinseco, quamvis in hac secunda hypothesi argumenta minus sint valida. — Concedimus etiam posse sat facile dari ignorantiam in particularibus adjunctis.

(1) Cf. PEECH, *Compend.* IV, p. 271 ad obj. 1.

DEMONSTRATIO

PROB. — Ad majorem claritatem primo probamus perennitatem requiri *generatim* ; dein *exceptiones* removemus.

PARS I^a^. Perennitas matrimonii saltem per se, seu generatim **ex ipsa indole talis societatis requiritur.**

Etenim : 1° Divortium reddit difficiliorem finem *primarium* matrimonii, scil. educationem, tum quia aliquando dubitandum est de vero patre, tum generalius ob necessariam separationem prolis vel a patre, vel a matre (C. G., L. III, c. 123, n. 4 ; — Félix, 1860, p. 210).

2° Partim aut totaliter impedit fines *secundarios*. Nam :

a) *bonis moribus conjugum* multum nocet, tum : 1° ob *possibilitatem solutionis*, unde minor amicitia, et frequentiores tentationes infidelitatis, tum ; 2° ob ipsam *solutionem* quæ mulierem præsertim sæpe relinquit absque novo auxilio, cum ista, juventute cessante, ea amisit ob quæ a viro quæritur (Félix, p. 190 sq. ; — C. G., l. III, c. 123, 2).

b) *saluti familiæ* quæ forsan erit mox dispersa, conjuges minus studebunt.

c) *bono tandem publico* multum nocet instabilitas familiæ, traditionum, pacis.

Cf. *Dict. apol.*, art. « Mariage », c. 97 sq. ; — Vuillermet, *op. cit.*, II, p. 34 sq., optime.

PARS II^a^. — Exceptiones omnes probabilissime removentur, ex principio S. Thomæ in schol. th. 26 declarato circa dispensationes Deo reservatas, i. e. :

a) ex difficultate determinandi casus excusantes. Quidam vellent *sterilitatem* esse justam causam divortii. Sed, concessa exceptione, alii dicent : cur non etiam concederetur in casu morbi necessario transmittendi pueris, amentiæ, voluntatis constantis unius conjugis non adimplendi obligationes, incapacitatis circa educationem, adulterii ? Et semper fingentur novæ rationes matrimonii dissolvendi.

b) ex periculo hallucinationis præsertim in istis materiis, cum homines ad indulgentiam nimis proclives essent sive erga seipsos, sive erga sollicitantes, amicos, conjunctos... Hinc solubilitas matrimonii etiam extrinseca rejicienda est (cf. les statistiques, v. g. Durkheim, *Suicide*, l. II, c. V, § 4 ; — Fonsegrive, *op. cit.*, eum resumit, p. 218).

c) Confirmatur ex consideratione malorum quæ divortii legalem possibilitatem sequuntur (cf. I[a] pars ; — *Encycl. Arcanum* ; — DD. D'HULST, *Conf.* 1894, p. 385 ; — ROSSET, *De matrim.*, I, p. 476 sq., speciatim citationes : p. 481 sq. — Optime tota 2[a] pars apud CASTILLON, *Dict. apol.* : Mariage..., c. 100 : § *e*).

Cf. conclusiones FONSEGRIVE, *op. cit.* ; — J. SIMON, *Liberté civile*, I, § 4.

N. B. — 1° Cf. *Dict. de théol.*, c. 1472-1473 circa opiniones.

2° Exsistente autem ordine supernaturali, tota matrimonii legislatio circa christianos et quoad effectus non mere civiles pertinet ad Ecclesiam. Quoad effectus civiles, habet Ecclesia potestatem indirectam, quoties connexio materiæ utriusque juridictionis reddit conflictum possibilem (vide infra th. 64, 65) ; cf. ceterum *Dict. de théol.*, in fine art. cit. ; — et VALTON, *ibid.*, art. « Empêchements de mariage », spec. 2450-2453[1].

3° De legislatione matrimomii circa christianos, cf. theol. Hæc breviter notentur : *a*) Ecclesia potest in quibusdam casibus matrimonium infidelium dissolvere, si una pars convertitur. — *b*) Insuper adest circa infideles « *privilegium Paulinum* » (I *Cor.* 7,12) ex jure divino : si una pars convertitur, et altera pars non vult cum illa cohabitare sine contumelia Creatoris, tunc illa potest novum matrimonium contrahere. — *c*) Ecclesia potest solvere aliquando matrimonium ratum, non consummatum, i. e. post contractum, sed anteusum. — *d*) Idem dissolvitur per professionem religiosam unius conjugis.

Nec debemus confundere *dissolutionem* cum « *declaratione nullitatis* », qua denuntiatur tantum contractum fuisse invalidum (cf. *ex. historica* : DE LA SERVIÈRE, *Dict. apol.* : art. « Divorces des princes »).

Cf. alia apud Cathrein.

---

(1) Hinc, si agitur de baptizatis, lex civilis nequit, v. g. ratione *sanitatis publicæ*, privare effectibus civilibus matrimonii eos quibus secundum Ecclesiam licet nubere (contra placita quorumdam ; cf. APPERT, CUÉNOT..., conférences à l'Ecole des hautes études sociales : *Eugénique et sélection*, Alcan, 1923 ; — vide VALTON, *art. cit.*, 2451 ; — NOLDIN, *De Sacramentis* : de matrimonio, q. 1, a. 5, n. 514 ; — comparare juvat *Suppl.*, q. 64, a. 1 ad 4).

Vox « eugénique » videtur fuisse primum adhibita a sir GALTON, in opere *Inquiries into human faculty* (London, 1883). Designat methodos a pluribus nuper propugnatas quarum scopus est « *perfectionner les races humaines* » et efficere « les conditions que chaque individu, chaque couple doit s'efforcer de remplir pour avoir de beaux et robustes enfants » (*op. cit.*, initio). R. P. Fallon, S. J., in duobus articulis, qui fuerunt in linguam anglicam translati, crisi subjecit istas methodos. Specialim bene ostendit magna incommoda legislationis hac in re (*Eugenics*, translated by C. Messenger).

ARTICULUS II

DE SOCIETATE PARENTALI

Natura sua societas conjugalis in societatem inter parentes et filios, seu parentalem se extendit, de qua non disseremus nisi infra, cum agemus de educatione. Ad hanc enim parentalis communitas tota ordinatur.

ARTICULUS III

DE SOCIETATE HERILI ET SERVITUTE

Societas *herilis* est « *conjunctio duorum, quorum unus propriæ utilitatis gratia ad alterius commodum operam suam ordinat.* »

THESIS LIV. — Societas herilis generatim a natura intenditur ut complementum familiæ.

Meyer, t. I, n. 410 ; t. II, n. 115 sq. ; — Antoine, c. XII, a. 4 ; — Bourdaloue, *Sermon sur les devoirs des maitres et des domestiques* ; — Mgr d'Hulst, 1894, 6e conf., cum nota 26 ; — Bouniceau-Gesmon, *Domestiques et maîtres* (multa et optima).

DEMONSTRATIO

PROB. I. — Experientia docet societatem herilem sæpe moraliter esse necessariam ob bonum tum familiæ, tum famuli :

Nam 1° familia generatim indiget cooperatione externa et quidem stabili et ordinata, ratione proprii finis, i. e. educationis puerorum ;

2° Sæpe famulus nonnisi in alia familia invenit omnia ad vitam necessaria, morale subsidium quo indiget.

Ergo...

PROB. II. — Ex generali praxi hominum.

SCHOL. I. — Societas herilis stricte intellecta duo requirit : 1° stabilem cooperationem ; 2° quamdam participationem famuli in bonis familiæ, præsertim in re morali et religiosa. Hinc :

SCHOL. II. — Ab ordine naturali recedunt heri et famuli qui ob falsas ideas liberalismi negligunt has relationes morales et religiosas. Cf. auct. citati[1].

De alio modo deflectendi a naturali lege, cf. th. seq.

THESIS LV. — Servitus proprie dicta quælibet parum decet dignitatem humanam et est periculosa ; — per se tamen non stricte repugnat legi naturæ, nisi hominis tollat jura essentialia et inalienabilia.

Arist., *Polit.*, I, 2, 7 ; — S. Aug., *De Civ. Dei*, XIX, 14, 15, 16 ; — I^a, q. 96, a. 4 ; II^a II^{ae}, q. 104, a. 5 ; q. 106, a. 3, ad 4^{um} ; *Suppl.*, q. 52, a. 4 ; — Lugo, *De just. et jure*, disp. 3, s. 2, 3 ; disp. 6, s. 2, 3, 4 ; — Balmès, *Le protestantisme comparé au catholicisme*, I, 15-20 ; — Leo XIII, *Epist. ad Episc. Braz.*, 5 mai 1888 ; *Epist. ad Card. Lavigerie*, nov. 1890 ; — Paul Allard, *Esclaves chrétiens ; Esclaves, serfs et main-mortables* ; art. « Esclavage » (*Dict. apol.*) ; — Dutilleul, art. « Esclavage » (*Dict. de Théol.*) ; — Costa-Rossetti, th. 148, schol. ; — DD. d'Hulst, 1894, 6^e conf. ; — Schiffini, p. 407 ; — de Lehen, II, p. 47 ; — *Rev. apol.*, 1910, IX, p. 376 ; 1912, XIII, p. 721 ; etc.

STATUS QUÆSTIONIS

Servitus proprie dicta est « famulatus perpetuus pro nulla alia mercede quam victu et vestitu ». Hæc servitus proprie dicta non includit in suo conceptu antiquæ servitutis abusus.

Conspectus historicus: Ante Christum (cf. *Schol.* III ; — *Dict. apol.*, col. 1467 ; — *Dict. de théol.*, c. 458 sq.) servus erat quasi non homo, cum ejus jura inalienabilia tollerentur.

Secundum jus romanum (*Dict. apol.*, c. 1471) servus erat non persona, seu subjectum juris, sed res ; poterat alienari, ad libitum tractari, destrui.

Religio christiana non potuit omnem servitutem statim in praxi abolere ; sed sana principia induxit, decreta opportune statuit ut servitus mitigaretur (ibid., col. 1475 sq. ; Balmès, *op. cit.*). Ne facile Ecclesia accusetur circa sive doctrinam, sive modum agendi, omnino distinguendi sunt modi servitutis ; videndum est quomodo : 1° catholici doctores, speciatim S. Thomas, omnino damnaverint antiquam servitutem, mitiorem autem parum saltem probaverint ; 2° ipsa Ecclesia diligenter sapienterque providerit dignitati humanæ, tolerantia quidem necessaria utens, multum tamen agens ut ubique pagana servitus aboleretur (cf. multa de istis in iisdem dict., speciatim vide conclusiones).

Nota theseos: Pars I^a saltem probabilissima ; pars II^a metaphysice certa.

---

(1) Vide etiam optima apud Redier, *Capitaine*, de arte moderandi hominibus.

DEMONSTRATIO

PARS I[a].

PROB : *a*) Servitus proprie dicta quælibet parum decet dignitatem humanam, cum natura humana immediate ordinetur ad Deum, hinc parum eam deceat ad bonum alterius hominis quasi ordinari.

Cf. S. THOMAS, *IV Sent.*, d. 44, q. 1, a. 3, c. et ad 1um. « Unus homo natura sua non ordinatur ad alterum sicut ad finem ». En certe damnatio servitutis antiquæ, attingit etiam aliquomodo servitutem de qua agimus.

In I[a] parte, q. 96, a. 4, explicite tractat de *servitute* ; nam duplex distinguit dominium hominis circa alios homines : vel dominus dirigit *servos*, scil. ad propriam utilitatem, vel dirigit *liberos*, scil. ad eorum bonum commune. Jam dicit : omnis status servi est sequela peccati, tanquam ejus pœna. (Nota : — 1. famulatum actualem non attingi, cum ordinetur etiam ad bonum servientis ; — 2. S. Doctorem loqui de ista tantum pœna quæ privat donis naturam excedentibus, nam agitur de peccato originali ; hinc non dicit servitutem bonis proprie debitis naturam privare).

b) servitus... est periculosa, tam pro servo qui facile parvi facit propriam dignitatem, quam pro hero, cujus superbiæ et egoismo favet.

PARS II[a].

PROB. — *a*) Servitus in laborando non stricte repugnat. Jura enim essentialia non per se tollit, cum homo naturaliter habeat dominium suæ operæ, possitque istud in alium transferre. Sunt insuper exempla analoga : alii contractus laboris, pœnæ inflictæ (cf. infra diversa scholia).

b) Quædam autem non licet alienare, v. g. libertatem conscientiæ, jus ad vitam.

SCHOL. I. — De titulis servitutem cohonestantibus (MEYER, t. II, p. 119 et CATHREIN ; — *Dict. de théol.*, c. 508). De quibusdam vix esse potest difficultas : 1. *Voluntaria traditio* ; — 2. *Justa pœna* ; — 3. *Captivitas* in bello justo, certis in adjunctis ; — 4. *Venditio* et *emptio*, servatis tamen quibusdam conditionibus ; — 5. *Æs alienum*.

SCHOL. II. — Speciatim de titulo nativitatis servilis.

S. *Thomas* eum defendit ex eo quod « partus sequitur ventrem ». (Suppl. q. 52, a. 4). Durum videtur ; nota prævalentiam juris civilis hoc tempore.

Idem iisdem verbis dicit : *In IV*, d. 36, q. 1, a. 4 ; — cf. LESSIUM, *De just. et jure*, l. II, c. 5, dub. 5 ; — GROTIUM, *De jure belli ac pacis*, l. 2, c. 5 § 29 ; — DE MAISTRE, *Quatre chapitres sur la Russie* ; — apud MEYER, II, p. 121.

Cathrein merito rejicit hanc explicationem. Homo non est fructus, sed persona ; neque dominus habet jus nisi in operam servæ, et servitus immerito supponitur integre pertinere ad solam animalitatem, cum sit ordinatio liberæ activitatis ad alterum.

Lugo autem (*De just. et jur.*, d. 6, n. 12 et 16) recte videtur quæstionem solvere ratione solidaritatis, cujus gratia quis potest puniri in bonis externis ob aliorum culpam. Additur ratio defensionis propriæ, v. g. post bellum, simul cum indulgentia in modo se defendendi : libertas tollitur potius quam vita. Nota morum asperitatem, his temporibus, speciatim occasione belli.

Corroborat has rationes difficultas statim mutandi institutiones (De Lehen, II. 54 ; — Nota ea multo minus dura, quæ in aliis locis S. Thomas scripsit de dignitate servi : IIª IIæ, q. 104, a. 5 ; q. 106, a. 3, ad 4um ; q. 50, a. 2).

SCHOL. III. — De mente Aristotelis.

Ex ejus doctrina *servus* definiri potest « *instrumentum animatum, activum, separatum, alterius, homo existens* » (Sylv. Maurus : In 1 Pol., c. 3, n. 8). Insuper multi essent natura servi, seu naturaliter ad servitutem ordinati. Servi essent incapaces felicitatis et virtutis. Passim tamen eorum humanam dignitatem agnoscit : inter dominos eosque potest esse amicitia ; jura habent : optandum est libertatem eis promitti.

Cathrein post S. Thomam vult salvare Philosophum. Potius forsan fatendum est Aristotelem sibi contradicere (*Dict. apol.*, col. 1468 ; — *Pol.* I, 2-7, 20 ; III, 5, 11).

ARTICULUS IV

DE FAMILIA COMPLETE SPECTATA

Familia complectitur societates conjugalem, parentalem, herilem, quæ, cum se naturaliter compleant, societatem naturalem efficiunt *vere unam unitate naturæ, finis, auctoritatis.*

1. Natura *seu* definitio. Cum Aristotele (*Polit.* I. 2) et S. Thoma, familia dici potest « *communitas per ipsam naturam constituta in omnem diem, i. e. ad actus qui quotidie agendi occurrunt.* ».

2. Finis igitur seu commune bonum familiæ est « *quotidianus usus et ordo vitæ* », quo societates conjugalis, parentalis, herilis indigent ut fines suos obtineant.

3. Auctoritas tandem aliqua ibi requiritur ut in omni socie-

tate ad communem activitatem dirigendam. Hinc thesis sequens :

THESIS LVI. — Parentibus in filios naturalis inest potestas cujus autem primatus per se apud virum residet.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I[a].

PROB. — Talem enim potestatem exigit tum — *a*) finis conjugii, sc. educatio, tum — *b*) ordo familiæ, tum — *c*) naturalis dependentia filiorum a suo principio.

Auctoritas utrique parenti competit, cum — *a*) societas conjugalis in amicitia fundetur ac proin sit per se æqualis, et — *b*) parentes sint commune principium familiæ et commune munus educandi habeant.

PARS II[a].

PROB. — 1° Ut activitas familiæ cum ordine regatur, unus debet habere primatum. Ergo vir hunc habet, cum — *a*) generatim ad gubernandum meliores dotes ei competant, major prudentia, fortitudo, constantia, majores vires, et ex alia parte — *b*) rectitudo naturalis sit statuenda ex iis quæ sunt per se (th. 26, schol. ; — C. G., l. 3, c. 122).

2° Paterfamilias est fundator familiæ ejusque activum principium.

3° Confirmatur usu hominum.

Complebitur infra : vide quæstionem de feminarum emancipatione, cap. III, art. 3 ; — Sertillanges, *Nos luttes*, p. 240-245.

SCHOL. I. — *Auctoritas viri est temperanda*, nam mulier est non ancilla, sed socia.

SCHOL. II. — (*Contra paganos philosophos*). *Limitatur auctoritas paterna ex ejus fine*. Pater debet punire pueros, prout istorum educatio aut ordo familiæ hoc exigit (cf. *Prov.*, 13, 24 ; 23, 13, 14), sed cum *moderamine* (*Eccl.* 30, 1. — *Eph.* 6, 4). Si media moderata non sufficiunt, non violentia est adhibenda, cum ad educationem non conferat et vel expulsio liberorum, vel recursus ad auctoritatem civilem possint ordinem familiæ restituere. Jus gladii speciatim patri non competit (II[a] II[æ], q. 65, a. 2, ad 2[um]).

Item *paterna potestas decrescit, cessante ejus fine.* Distinguuntur tria tempora secundum statum pueri :

1° Tempus *imperfecti judicii.* Puer pendet a patre in omnibus suis actibus, cum sit incapax se regendi.

2° Tempus *perfecti judicii.* Quamdiu in domo paterna remanet, puer a patre non pendet nisi circa ordinem domesticum. Educatio enim supponitur peracta.

3° Tempus *emancipationis.* Cum domum paternam reliquit jam proprie a parentibus non pendet, tenetur tamen ad amorem, reverentiam, gratitudinem, quantum ipsi licet.

CAPUT III

DE SOCIETATE CIVILI

Antoine, *Cours d'écon. sociale*, I, 2 sq.; *Dict. apol.*, art. « Etat » (cum bibl. in fine); — Valton, *Dict. de Théol.*, art. « Etat »; — T. Rothe, *Droit naturel*; — Sertillanges, *La politique chrétienne*; — de Vareilles-Sommières, *Les principes fondamentaux du droit*; — Meyer, II, n. 265 sq.; — Schiffini, II, n. 408 sq.; — *Encycl.* « *Diuturnum* » (29 Junii 1881); « *Immortale Dei* » (1 nov. 1885), « *Libertas* » (20 Junii 1888); — Zeiller (ex Univ. Fribourg) *L'idée de l'Etat dans S. Thomas d'Aquin.*

Ex familia, ut modo ostendemus, oritur civitas, tamquam a cellula vivens organismus. De hac altera naturali societate nunc est dicendum et 1° de civitatis ejusque auctoritatis *origine*, 2° de *fine*, 3° de *elemento quasi materiali*, 4° de *auctoritate*.

ARTICULUS I

DE ORIGINE SEU CAUSA EFFICIENTE CIVITATIS ET AUCTORITATIS POLITICÆ

Arist., *Polit.*, I, c. 1; — C. G., l. III, c. 85; I[a], q. 96, a. 4; — Suarez *De lege*, III, 1 sq.; *Def. fidei*, III, 2; — Ferretti, t. III, p. 178 sq.; — Schiffini, II, p. 307 sq.; — Meyer, II, p. 241 sq., 339 sq.; — de Pascal, II, 143 sq.; — de Lehen, II, 544; — de la Brière, *Dict. apol.*, art. « Pouvoir politique (origine du) »; — Descoqs, *A travers l'œuvre de Ch. Maurras*[3], p. 430 sq.; — Sortais, *Rev. apol.*, 1[er] mai 1913; *Les catholiques en face de la démocratie*, III, p. 199 sq.; — Féret, *Le pouvoir civil devant l'enseign. de l'Eglise*; — Quilliet, *De pot civilis origine*; — Costa-Rossetti, *Phil. mor.*, p. 574 sq.; — de Scorailles, *Fr. Suarez*, II; p. 178; — de Vareilles-Sommières, c. 11 sq.; — Taparelli, *Droit naturel*, l. II, c. V, VI, IX, X; *De l'origine du pouvoir*; — Bossuet, *Politique tirée de l'Ecriture sainte*; — Balmès, *Protestantisme comparé au catholicisme*, c. 50; — Leonis XIII, *Encycl.* « *Diuturnum* »; *Lettre aux Évêques et cath. de France*, 16 fév. 1892; *aux Cardinaux*, 3 mai 1892; Lettre de Pie X *aux Év. français*, 25 août 1910; — *Etudes*, 1903 (de la Servière), Une controverse au début du XVII[e] siècle. — De mente S. Thomæ, cf. infra : ante th. 59.

Definitio. — Secundum vulgarem conceptum, *civitas* seu *societas civilis, politica, describitur* : « *Cœtus perfectus*[1] *plu-*

---

(1) Vide supra, p. 319 : i. e. *independens et sibi sufficiens ad omnes necessitates vitæ*, saltem *de facto*, secundum voluntatem hominum; in thesibus sequentibus, quæretur utrum *de jure* seu ex quanam necessitate talis coetus habeatur.

rimarum familiarum juris fruendi et communis boni gratia sociatus ». Thesi autem sequente probata, eis collatis quæ infra de fine civitatis dicentur, ista recte erit definienda secundum *Aristotelem* « *societas naturalis et perfecta* » (Polit. 3. c. 3).

Conspectus prævius. — Cum civitas et potestas politica partim saltem ex eodem fonte oriantur, simul de utraque agemus.

Sunt autem duæ quæstiones omnino distinguendæ :

1ª de origine civitatis et ejus potestatis secundum se. — Quæritur ex quanam causa oriatur civitas ut civitas (th. 57), præscindendo a determinatione magis concreta. De potestate ut potestate eadem ponitur quæstio (th. 58).

Ut ostendetur, Deus, auctor naturæ, est utriusque sic consideratæ immediata causa, excludens omnem aliam causam proprie dictam et liberam, eo quod tum civitas, tum potestas politica, secundum se, necessario oriantur a natura.

2ª de origine civitatis et ejus potestatis secundum concretam determinationem (Eadem enim realitas potest habere diversas causas secundum diversos respectus : sic determinatio voluntatis creatæ prout est ens aut determinatio : cf. theod.). Secundum nostram sententiam, civitas, prout in tali multitudine et cum tali regimine constituitur, non necessario exsurgit ex aliquo pacto sociali [1].

§ I. — Quæstio 1ª: De origine civitatis et auctoritatis politicæ secundum se.

THESIS LVII. — Civitas secundum se inspecta naturam humanam per se necessitate morali consequitur.

STATUS QUÆSTIONIS

1. ***Adversarii***. — Sunt præsertim ii qui societatem civilem derivant ex pacto libero tanquam fundamento *adæquato* : sic Hobbes et Rousseau.

Cf. *Dict. apol.*, art. « Etat », c. 1527 ; — de Vareilles, fusius, *op. cit.* c. XII sq. — Beaudoin, *La vie et les œuvres de Rousseau*, spec. t. II initio : de contractu sociali (optime) ; — Nourrisson, *Rousseau et le Rousseauisme*, spec. ch. XIV, XX ; — Dicros,

(1) Contra Bellarminum et Suarezium speciatim. Ut intelligatur eorum opinio, juvabit comparare civitatem cum matrimonio, quod secundum se est naturale et igitur a solo Deo, in concreto autem necessario exsurgit ex libero contractu.

J.-J. Rousseau, t. II, p. 126 sq. ; — Robet, *Le contrat social et les idées politiques de Rousseau* ; — Faguet, *Rousseau penseur*, et alia ejusdem auctoris ; — J. Lemaître, *J.-J. Rousseau* ; — Morlot, *J.-J. Rousseau et le siècle phil.* ; — Mgr Farges, *La religion de J.-J. Rousseau* (Bonne Presse, petite brochure) ; — Sortais, *La philosophie moderne*, t. II, p. 367 sq. de *Hobbes*.

Hobbes fingit statum quemdam primitivum humanitatis *antisocialem*, in quo omnium contra omnes bellum perpetuum erat. — Secundum Rousseau status primitivus erat *extrasocialis* : omnes erant felices, omne dominium commune ; societas ex pacto constituta nequit esse legitima, nisi quisque servet libertatem et æqualitatem innatam (cf. *Discours sur l'inégalité des hommes et sur le contrat social*).

Darwin autem libertatem negat, et societatem ex necessaria evolutione oriri contendit. In hoc tamen cum præcedentibus convenit quod rejicere debet *naturalem* indolem civitatis ; etenim ne conceptum quidem retinet naturæ humanæ, scil. alicujus principii constantis et immutabilis.

2. ***Sensus theseos :*** Asserimus naturam humanam per se, seu directe ex sua ordinatione ingenita, necessitate morali tendere ad civitatem efformandam, ita ut moraliter ista nequeat non exsurgere. Ut autem dictum est et ut ex enuntiato appareret, agitur de civitate modo indeterminato, non de tali aut tali civitate in individuo.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — 1° (*ex historia*). Quod semper apud homines quasi ab initio exstitit et ut legitimum agnitum est, eo magis se evolvens quo perfectior fuit natura humana, dicendum est ex ista per se consequi necessitate saltem morali.

Atqui talis est civitas.

Ergo...

(Antoine, *op. cit.*, I, 2, initio).

PROB — 2° (*ex propagatione familiarum* [tanquam evolutione organica] Taparelli, I, n. 511 sq.).

Quod morali necessitate et per se oritur a familia, eadem ratione a natura exsurgit.

Atqui civitas ob naturalem mutuum amorem et indigentiam hominum sic oritur a familia, ut constat v. g. ex evolutione regiminis patriarchalis (cf. infra).

Ergo...

PROB. — 3° *Ex inclinatione et indigentia naturæ humanæ* (arg. magis directum ac primum, et generalius quam secundum : optime apud Cathrein et Antoine).

Ibi certe civitas oritur, ubi : — 1° congregantur familiæ modo stabili ad omnimodam prosperitatem communem prosequendam ; — 2° exsurgit auctoritas suprema ad hanc multitudinem regendam.

Atqui ex inclinatione et indigentia naturæ humanæ, hæc duo morali necessitate oriuntur, tanquam bona per se a natura intenta. Ergo.

Major admittenda est etiam ab his qui nobis adversantur circa formam societatis (cf. cap. I). Sive enim auctoritas sit forma, sive tantum proprietas, ubi adest, adest et forma. Speciatim vinculum juridicum (quod secundum nos est forma) necessario exsistit in multitudine quam regit auctoritas, sive ista vinculum antecedat et constituat, sive consequatur et firmet tantum.

Brevius etiam : major patet ex eo quod, utroque dato (familiis ita conjunctis cum auctoritate) adest id quod homines vocant societatem politicam.

Prob. minor : I. *Generatim saltem congregantur familiæ ad omnimodam prosperitatem communem prosequendam :*

a) ratione amoris inter similes et inclinationis ad mutuam mentis ceterorumque bonorum communicationem ;

b) ex necessitate se protegendi contra mala, v. g. inundationes, bestias, latrones, etc...

c) ex indigentia auxilii ad vitam tum sustentandam, v. g. ut labor dividatur, ut uniantur vires ad diversa negotia ;

d) tum perficiendam, v. g. doctrinam a sociis accipiendam.

II. *In tali communitate necessario exsurgit auctoritas* (tanquam caput in sociali corpore), ex necessitate directionis communis simulque efficacis in finem prosequendum, datis :

1° diversitate mediorum quæ a diversis sunt adhibenda,

2° diversitate judiciorum,

3° inclinatione cujusque ad bonum privatum collectivo bono præferendum,

4° inclinatione quorumdam ad propria jura inordinate defendenda et vindicanda, cum magno periculo pacis socialis (Antoine, optime ; — Suarez, *De lege*, III.1.3 ; — cf. Descoqs, *A travers l'œuvre de Ch. Maurras*[3], generales considerationes de ordine, spec., p. 11).

COROLL. I. — Sic confutamus Hobbes et Rousseau, cf. ANTOINE, *Dict. apol.*, art. « Etat », c. 1529, puncta specialia; — DE VAREILLES, c. XII-XVII ; — BEAUDOIN, *op. cit.*[1]).

II. Etiam ANARCHISTÆ et SYNDICALISTÆ refutantur, cum civilem auctoritatem rejiciant, nec societates admittant nisi ad particularia commoda sine sufficienti principio unitatis (cf. supra : *de communismo*).

III. Societas civilis, utpote opus naturæ, non artis, naturalem essentiam habet, quæ jam ex dictis quodam modo cognoscitur, ex dicendis autem magis adæquate concipietur (cf., *init.* art., definitio).

IV. Deus est solus auctor civitatis secundum se (vide th. 58, in statu quæst. ea quæ sentit SUAREZIUS de causa potestatis secundum se ; possunt hic applicari, sicut etiam argumenta saltem 1[um] et 3[um] ejusdem theseos).

V. Vinculum juridicum, seu complexus mutuorum officiorum et jurium civilium, secundum se, procedit etiam a Deo, tanquam unico auctore, cum sit elementum essentiale (formale) civitatis.

Videtur etiam probari ex eo quod causa propria cujuslibet perfectæ obligationis est auctoritas alicujus superioris præcipientis. Porro cum, secundum nostram sententiam, vinculum juridicum constituatur antecedenter ad auctoritatem civilem (cf. cap. I art. I), remanet officia civilia immediate a Deo solo procedere.

THESIS LVIII. — Potestas politica secundum se immediate a Deo descendit.

STATUS QUÆSTIONIS

1. Explicantur termini.

Secundum se. i. e. abstrahendo a forma particulari potestatis et a subjecto in quo residet (sic v. g. BELLARMINUS, *De laïcis*, l. 3, c. 6).

Immediate : i. e. non mediante alio auctore, seu causa alia per se (scil. proprie dicta) et libera. Ita affirmamus Deum et non hominem esse immediatum auctorem civilis potestatis secundum se. *Hominum voluntas* non potest esse istius causa,

---

(1) Speciatim impugnat Rousseau, ostendendo : *a*) impossibilitatem pacti, quale supponitur, scil. universorum consensio (t. II, p. 8) ; — *b*) vanitatem fictionis, qua unusquisque cedens propriam libertatem eam recuperaret ex pari aliorum concessione (p. 12) ; — *c*) fragilitatem pacti quod dissensus aliquorum rumperet, ex ipso testimonio Rousseau (p. 13). — Cf. DUCROS, t. II, p. 187 : nil fere remanet alicujus valoris ex hac theoria tam celebrata.

nisi per accidens (scil. improprie dicta, non vere influens : de terminologia S. Thomæ, cf. SCHIFFINI, *Princ. phil.*, p. 653). *Tantum apponet conditiones ut a Deo conferatur potestas*, v. g. conglomerationem familiarum, designationem subjecti. « Non æstimamus sufficere, ait SUAREZIUS, ut Deus tanquam prima et universalis causa potestatem tribuat », ratione influxus immediati in omnem actum et effectum voluntatis creatæ, sicut v. g. in omni societate omnino libera ; sed dicimus potestatem civilem proxime dari a sola voluntate Dei[1]. Hæc autem collatio non est supernaturalis, sed consequitur naturam humanam et naturali lumine rationis promulgatur (SUAR., *Def. fidei* III. 2, 2 ; *De leg.*, III, 3, 5).

« *Potestatis politicæ* » nomine intelligimus « *jus societatem civilem ad finem suum dirigendi* ».

2. *Thesis est corollarium præcedentis*, et dirigitur contra Hobbes, Rousseau, aliosque qui non aliam auctoritatis politicæ originem admittunt, nisi humanam conventionem.

3. *Nota theseos :* Metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — 1° (*Ex eo quod potestas civilis consequitur naturam humanam*) : « Quæ consequuntur naturam, immediate dantur a proprio et immediate auctore ejusdem naturæ. Sed hæc potestas est proprietas quædam consequens humanam naturam, ut in unum politicum corpus congregatam. Ergo datur immediate a Deo, ut est Auctor et Provisor talis naturæ ». (SUAR., *Def. fidei*, III. 2, 6).

PROB. — 2° (*ex indole transcendenti potestatis*).

Qui solus præcontinet aliquem effectum solus est auctor effectus istius.

Atqui solus Deus præcontinet jura transcendentia potestatis civilis, v. g. jus puniendi malefactores usque ad mortem.

Ergo... (cf. SUAR. *De leg.*, III, 3, 3 ; — MEYER, t. II, p. 341).

PROB. — 3° (*Ex eo quod homines nequeunt eam directe impedire aut minuere*). Institutio quæ nequit directe ab hominibus impediri aut restringi, non habet homines ut auctores, sed est immediate a Deo.

Atqui talis est auctoritas civilis secundum se.

Ergo...

---

(1) Non ita v. g. de potestate cujusdam præfectus dicendum esset.

Minor 1° *Declaratur.* Possunt quidem homines impedire quin talis auctoritas existat, impediendo v. g. aut solvendo talem congeriem familiarum ; sed eorum actio circa potestatem secundum se est mere indirecta : subtrahit nempe conditiones ejus exsistentiæ in tali multitudine.

2° *Probatur.* Eo ipso quod homines secundum tendentiam suæ naturæ volunt vivere in unum collecti, auctoritas civilis a natura requiritur cum omnibus juribus, quæ fini societatis respondent (in quonam subjecto, videbitur infra). Cf. Bellarm., *De laicis*, III, c. 6 ; — Suar., *De lege*, III, 2, 4 ; — Ferretti, l. c., p. 189.

(Item parentes non possunt impedire *directe* creationem animæ).

Corol. — *Ergo subjectum potestatis non est proprie et essentialiter minister populi, sed Dei ;* seu populus non est causa *efficiens*, sed *finalis tantum* potestatis secundum se.

§ II. — Quæstio II[a] : De origine civitatis et auctoritatis politicæ secundum concretam determinationem.

Tres sententias præcipuas distinguimus (*cf. alias apud* de Vareilles) :

1. Pufendorf non negat societatem civilem esse naturalem et a Deo intentam (Meyer, II, p. 248) et sic a Rousseau essentialiter dissentit. Sed *assignat aliquod pactum tanquam proximam et propriam causam* vinculi juridici, saltem prout ad talem multitudinem se extendit. Deinde aliud pactum fingit ut homines determinato regenti subjiciantur.

2. Suarez et Bellarminus etiam *tenent pactum ad constitutionem civitatis requiri*, sed, ut videtur, *solum tanquam conditionem sine qua non* (Meyer, ibid., n. 281 et de Vareilles, p. 115 non distinguunt tales positiones).

3. *Secundum multos recentiores :* Taparelli, Meyer, Schiffini, Cathrein, de Vareilles, Rothe, etc..., *pactum non requiritur ; potest adesse aut abesse.*

Ex refutatione secundæ sententiæ a fortiori prima evincetur.

De sententia scholasticorum multorum et præsertim Suarezii.

Propter connexionem inter quæstiones, simul consideramus eorum mentem et *circa originem vinculi civilis juridici* et *circa originem potestatis in concreto.*

1° Secundum interpretationem P. Cathrein, Suarez admit-

teret *vinculum juridicum* (*mutua officia et jura civilia*) *oriri directe et immediate ex lege naturæ, supposito, tanquam mera conditione, implicito saltem pacto multitudinis de efformando corpore politico.*

Sic videtur posse intelligi *Doctor eximius* (*De opere sex dierum*, V, 7, 3, et *De leg.*, III, 2, 4, collato forsan ibid. III, 1, 4). Nempe homines intenderent directe conjunctionem socialem ; tunc autem vi naturæ, præsupposita tali intentione (et quamvis hoc explicite Suarez non dicat), vinculum juridicum enasceretur, sicut forsan dato mutuo consensu heri et servi exsurgeret ex natura subordinatio unius ad alterum (*ibid.*, III, 1, 4. Vide etiam III, 3, 2).

Obligatio deinde se extenderet ad eos omnes qui vivere volunt in media multitudine.

2° *Potestas politica etiam vi naturæ enasceretur* :

a) *Tanquam proprietas et non forma societatis.* Etenim, ut Suarez dicit explicite, est proprietas quæ consequitur « humanam naturam ut in unum politicum corpus congregatam » (*Def. fidei*, III, 2, 6) ; et alibi (*De leg.*, III, 3, 6) : corpus politicum constituitur priusquam sit in hominibus talis potestas.

Ne dicas auctoritatem, ex mente Suarezii, esse formam societatis quia isti, secundum ipsum, necessariam. Ratio et caput in homine sunt quid necessarium, nec sunt tamen forma. Unde non arguas cum Quilliet (*De civil. potestatis origine*, p. 104) ex iis quæ Suarez habet (*De leg.*, III, 2, 4), scil. « Sine gubernatione... vel ordine ad illam non potest intelligi unum corpus politicum » : hæc verba « vel ordine ad illam » denotant forsan necessitatem tantum et non actualitatem gubernationis.

b) *Subjectum primitivum potestatis tamen necessario esset tota communitas,* cum nulla persona, nec ullus cœtus determinetur a natura ut alios regat (*Def. fid.*, III, 2, 7).

c) *Auctoritas tandem non esset apud totum populum ex jure naturæ præcipiente, sed tantum ex jure concedente* (ibid. n. 9) ; potest in alium transferri, imo generatim hoc est necessarium (*De leg.*, III, fin, n. 1) ; item Bellarminus (*De laïcis*, c. 6, 3° nota : apud Meyer, p. 353).

d) *Distinguendæ sunt duæ propositiones veterum circa emanationem potestatis in aliquem regem* (Meyer, p. 349 sq, 370).

1) *Reges constituerentur necessario mediante populi voluntate, sed forsan per meram designationem,* ita ut multitudo non necessario primitus possideret potestatem.

2) *Acciperent a populo communicationem, collationem potestatis ; nec sufficeret designatio.*

Prima propositio est sat communis medio ævo.

Secunda multo minus clare proponitur. Ubi apparet, forsan orta est ex jure romano, tunc prævalenti, et cujus ceterum aliquæ formulæ, v. g. Ulpiani, ad originem popularem *romani* imperii alludentes, facile intelligi poterant de originaria constitutione *omnis* principatus (Meyer, II, p. 352). Hæc altera propositio propugnatur a Suarezio (*Def. fid.*, III, 2, 16 sq.) contra *Jacobum I*, regem Angliæ, sicut a Bellarmino (*De laicis*, c. 6 ; vide Cathrein schol. th. 79).

Inter recentiores, eximium doctorem Féret sequitur (*op. cit.*, avant-propos, XI) ; item Costa-Rossetti (*Phil. mor.* p. 574 sq.). Sed generatim ii qui hodie tenent sententiam veterum, primam propositionem tantum defendunt : sic Quilliet, *De civ. pot. origine* ; — Sortais, *op. cit.* ; — Billot, De *Ecclesia* (1909, t. I, p. 494 sq.) ; — Castelein, *Droit nat.*

De mente S. Thomæ, cf. *Rev. Thomiste*, sept.-oct. 1911 ; — Zeiller, *op. cit.*, p. 17 sq. ; — Schwalm. art. *Démocratie* (Dict. de théol., c. 281). — Istæ interpretationes nullo modo nobis placent ; multo melius videtur quod habet Schiffini (*Eth. spec.* p. 424, n. 459), quem sequitur P. Descoqs, *A travers l'œuvre de Ch. Maurras*, p. 439. Id est : non probatur Doctorem Angelicum admisisse theoriam originis democraticæ principatus. Legas ceterum loca quæ a diversis citantur, sed cum contextu.

THESIS LIX. — Veterum doctrina de origine civitatis et potestatis politicæ multum differt ab ea quam Rousseau aliique proponunt.

Utraque doctrina defendit quidem hæc duo :

a) *Societatem civilem oriri ex pacto.*

b) *Potestatem residere primitus in toto populo.*

Adsunt autem sequentia discrimina.

1° *Quoad pactum*, Rousseau dicit :

a) Civitas non est opus naturæ, sed artis ; — Scholastici : civitas est societas naturalis.

b) Pactum est causa adæquata ordinis juridici et moralis ; alii dicunt : Deus tanquam Auctor naturæ est fundamentum ordinis juridici et moralis.

2° *Quoad originem et translationem potestatis.* Rousseau dicit :

a) Potestas est tota ab hominibus, quasi conflans ex collatis juribus ; alii : potestas immediate quoad se est a Deo.

b) Potestas tribuitur separatim singulis ; ALII : vi naturæ in communitate qua tali enascitur.

c) Potestas essentialiter et inalienabiliter populo inhæret ; ALII : oportet generatim eam transferri ad aliquem cœtum aut ad personam determinatam.

d) Sola democratia et quidem perfecta est legitima ; ALII : monarchia generatim est præferenda (*De leg.*, III, 4, n. 1 in fine).

e) Principes sunt essentialiter mandatarii, possunt judicari, deponi ; ALII : sunt vere possessores potestatis ; vera cessio a populo facta est (*De leg.*, III, 4, 6 ; — cf. DE VAREILLES, p. 106 sq.).

Circa hoc ultimum punctum, vide tamen SUAREZ, *Def. fid.*, III, 3, n. 1-5 præsertim n. 3 : in quibusdam casibus populus posset potestatem resumere ; non autem si princeps recte gubernat.

SCHOL. — Utrum positio veterum scholasticorum reprobata fuerit a Leone XIII (*Encycl. « Diuturnum », 29 juin 1881*) et Pio X (*Lettre sur le Sillon, 25 août 1910* ; éd. Bonne Presse, t. V, p. 129, 130).

Cf. hæc documenta : SORTAIS, *Les catholiques en face de la démocratie*, (1914), p. 199 sq. ; — DE LA TAILLE. *Les principes de l'action sociale*, discours prononcé à Poitiers le 29 janv. 1911 ; — MEYER, t. II, p. 370. — QUILLIET, p. 350 ; — DESCOQS, *A travers l'œuvre de Ch. Maurras*, p. 439, etc.

In antecessum, de positione MARCI SANGNIER aliquid notandum est. Admittit quidem *auctoritatem a Deo accipi*, sed hæc *necessario et stabiliter resideret in solo populo ; reges et magistratus non essent nisi mandatarii.*

Hinc apparet istam positionem esse *intermediam inter theorias Rousseau et Suarezii* eamque omni theoriæ præstare vim auctoritatis, cum divina ejus indole, auferenti.

Hoc posito, *a*) *certe* ROUSSEAU *et* SANGNIER *reprobantur ; b*) VETERES SCHOLASTICI, — *saltem ii qui tenent reges initio designari quidem a populo, non ab eo accipere potestatem, — certe non ; c*) SUAREZIUM *non reprobari quidam sentiunt* ; sic PP. DE LA TAILLE, SORTAIS, vix etiam DESCOQS, DE LA BRIÈRE (*Luttes prés. de l'Eglise*, t. I, p. 49), contra MEYER (loc. cit.), etc... Quoad verba quidem, Suarezius enuntiat propositionem reprobatam : cf. *Def. fid.*, III, 2, 16 et 17 : V. g. in. n. 17 circa finem habet ; « *sola naturalis ratio non inducit trans-*

lationem potestatis ab uno homine in alium per solam designationem personæ, sine consensu efficaci voluntatis ejus a quo potestas transferenda seu conferenda est... Potestas autem regia non ex divina institutione positiva, sed solum ex ratione naturali ducit originem, media libera voluntate humana ; et ideo necessario est ab homine immediate conferente et non tantum personam designante ». Aliud dicendum est de *potestate Summi Pontificis* (ibid. n. 16)[1].

Præter considerationes indirectas, contextum, declarationes subsequentes quæ veram mentem Leonis XIII et Pii X ostendunt, rationes, quibus positio Suarezii salvari potest apparent ex sequenti comparatione.

Potestas gubernantis

1° *quoad concretam determinationem in tali gubernante*, secundum Suarez et Sangnier, dependet a populo non tantum *designante* sed volente ut in tali subjecto resideat (*hic sensus probabiliter non fuit reprobatus*);

2° *ut potestas* :

a) Secundum Suarez est auctoritas *politica, secundum se a Deo immediate descendens*, populo illam omnino *cedente*, non *delegante* ; populus non est ejus auctor, sed eam renuntians, ponit conditionem ut Deus eam conferat principi ;

b) Secundum Sangnier, est auctoritas *mere delegata, secundum se institutio mere humana* (hic sensus fuit reprobatus : cf. de la Brière, l. c.).

Hinc consequentiæ sunt diversæ. Secundum Suarez, populus nequit resumere potestatem *nisi in certis casibus* ; neque rex *simpliciter* pendet a populo in sua potestate (*Def. fidei*, III, 3, 4). Conferre juvabit de causis *in esse* et *in fieri* (Schiffini, *Princ. philos.*, 653, 755).

Attamen, tum Suarezii, tum aliorum Veterum prædicta doctrina rejicienda videtur ; hinc :

THESIS LX. — Verum esse non videtur civitatem semper per pactum oriri : — nec auctoritatem politicam necessario in toto populo primitus residere, ita ut nonnisi per istius consensum, titulo translationis, a principe juste habeatur.

---

(1) Hæc opponebantur verbis exaggeratis Jacobi I, regis Angliæ. Vide istius opera (London, 1619), p. 128, 137, 143, 334 ; — et cf. P. de la Servière. *Une controverse au XVII^e siècle, Etudes*, 1903 ; — ejusdem, *Les idées politiques de Bellarmin*, p. 10.

STATUS QUÆSTIONIS

Multos *consensus* adesse in efformanda civitate admittimus. Rejicimus autem necessitatem *pacti etiam impliciti, saltem quale intelligere videtur Suarez*, scil. : — a) *proprie dicti*, — b) *et quod formaliter versetur in constituendum corpus politicum.*

Pactum definiri potest : *efficax volitio plurium in idem, externe manifestata, qua saltem unus erga alterum suscipit obligationem*[1].

In ipso pacto requiruntur *cognitio* et *formalis acceptatio obligationis*, saltem ex parte unius ; et, *si pactum est bilaterale, interdependentia voluntatum.*

Ita, quoad efformationem corporis politici, — secundum, ut videtur, mentem Suarezii, — homines qui multitudinem constituunt, saltem implicite conveniunt inter se de bono communi prosequendo. Unusquisque quodammodo manifestat voluntatem hypotheticam se obligandi, scil. dependentem ab acceptatione aliorum ; cum omnes hoc fecerint, jam hypothesis evadit realitas, pactum et quidem bilaterale (absque tamen justitia commutativa) concluditur et obligantur omnes absolute.

E contra, secundum nostram explicationem, fuit utique apud omnes *simultanea voluntas cohabitandi*, sed forsan 1° *ad privatum tantum commodum* ex parte uniuscujusque, non formaliter ut efforment corpus politicum, 2° *sine directa intentione se obligandi ad prosequendum positive bonum commune*[2], 3° *nullo modo pendens ab acceptatione paris obligationis ex parte aliorum.*

Jam sunt in ista regione ; sciunt vicinos esse pacificos, grata indole, etc... cur alium locum quærerent ? Imo fingamus insulam desertam, ubi post aliquod naufragium quædam familiæ necessario remanserunt, quis dicet talem cohabitationem, et ea quæ vi naturæ exinde sequi possunt involvere rationem pacti ?

N. B. — Non tamen est neganda inclinatio ad bonum aliorum procurandum, neque spes auxilii fundata in pari inclinatione aliorum. Adhuc tamen distantia quædam remanet inter ista et pactum.

Nota theseos : Certa ut ponitur. Præsertim circa secundum punctum a Suarezio dissentimus.

---

(1) Præscindere possumus utrum in quocumque pacto obligatio causetur per hanc volitionem, an, ista posita tanquam conditione sine qua non, necessario enascatur ex lege naturæ (quamvis secundum eligamus).

(2) Obligatio *consequitur*, non *directe assumitur*. Pariter quando multæ familiæ in eumdem locum ad balnea conveniunt, eis imponuntur quædam mutua officia justitiæ et caritatis, *secluso omni pacto.*

DEMONSTRATIO

PARS I^a. — Excluditur necessitas pacti ad civitatem constituendam.

PROB. — Excluditur ista necessitas si absque pacto dari possunt tum congeries familiarum, tum obligatio erga aliquam determinatam personam tanquam supremam auctoritatem, in ordine ad bonum commune.

Atqui absque pacto utrumque obtinet.

Ergo...

Prob. maj. Etenim tunc habetur tum *elementum materiale*, tum *formale* (*vinculum juridicum*) civitatis. (Auctoritas sane videtur esse mera proprietas societatis, ut contendimus in capite I°, sed ubi adest, certo vinculum exsistit : cf. th. 57 : prob. 3°).

Prob. min. *Exemplo evolutionis familiæ patriarchalis.*

1° Potest esse consensus circa factum materiale cohabitandi absque pacto (cf. Status Quæstionis).

2° Dato hoc consensu ; *a*) spectata natura hominum, sæpe continget ut requiratur aliquis judex et ordinis custos, cui omnes obedire debeant ; *b*) potest iste, etiam absque pacto, per circumstantias designari ut *exclusive idoneus*, v. g. si patriarcha, — cum jam magnam prævalentiam habeat, — velit, sicut antea familiam nunc hanc totam multitudinem regere cum novis juribus quæ, datis adjunctis, vi naturæ sunt necessaria (cf. TAPARELLI, I, n. 511-517) ; *c*) hinc dato quod velit, jam auctoritatem habet supremam, a natura tanquam propria causa collatam, — supposita necessitate ; — omnes independenter a pacto debent ei obedire[1].

PARS II^a. — Excluditur universalitas processus quem circa originem potestatis adversarii tenent esse necessarium.

PROB. — Iste processus videtur : 1° *inutilis* ad facta explicanda et principia salvanda ; 2° *factis contradicens* ; 3° *generatim impossibilis*. Ergo...

---

(1) Cf. optima nota apud TAPARELLI, t. I, p. 303 : « ils ne doivent pas obéir, parce qu'ils l'ont voulu, mais ils l'ont voulu, parce qu'ils y étaient obligés. S'ils veulent ne pas obéir, ils peuvent se retirer sur d'autres terres ; mais tant qu'ils habitent les propriétés du père, leur obéissance est un devoir qui résulte non d'un pacte, mais de la nature même des choses ». Certe *dominium* est unum ex adjunctis quæ designant patriarcham ut exclusive idoneum ad regendam communitatem. Agitur enim de *prævalentia morali* (*d'une situation hors pair*).

Prob. antec. quoad 1^um.

a) Recole primam partem.

b) Præcipua, ut videtur, ratio ab adversariis allata esset æqualitas omnium respectu auctoritatis possidendæ (Suarez, *Def. fidei*, III, 2, 7 ; Cathrein). Porro hæc ratio est inefficax datis enim circumstantiis in 1ª parte expositis, scil. necessitate alicujus auctoritatis, et propria prævalentia, jam patriarcha, non minus quam si pactum adderetur, videtur generatim accipere a natura quasi jus ad rem, scil. ad potestatem sibi vindicandam, — hoc enim decet, — et inde, si eam velit exercere, etiam jus in re.

Quid adderet pactum, præsertim relate ad posteros ? Et si ad istos auctoritas jam constituta se extendit, eo ipso quod velint remanere in territorio, cur majores etiam non obligarentur independenter a proprio pacto ? Essetne specialis necessitas interventus populi, cum auctoritas sit primitus constituenda ? Utique valeret ratio si homines essent causa propria potestatis ; non videtur autem, si pactum nonnisi ut conditio invocatur (cf. Cathrein, th. 75, obj. 3 et th. 81, obj. 4).

Prob. ant. quoad 2^um. — Etenim monarchiæ *quasi organice*, democratiæ modo artificiali generatim sunt efformatæ (cf. Meyer, II, p. 374 ; — *Historia patriarcharum in Genesi* ; — Arist. *Polit.* I, 1, 7 ; — S. Thomas in hunc locum ; — Fustel de Coulanges, *La cité antique*, 7ª ed. p. 143 sq. 146, 202 sq. ; — Benoit Malon, *Le socialisme intégral*, p. 378 sq.).

Prob. antec. quoad 3^um [1]. — Potestas generatim nequit esse in multitudine tanquam originario subjecto. Ergo...

Prob. antec. — In tantum multitudo tota quanta est, posset vi naturæ evadere subjectum formæ potestatis, in quantum : *a*) præberet materiam proxime dispositam, ideoque *b*) apta esset ad hanc potestatem servandam et exercendam secundum fines naturæ.

Atqui fatentibus Bellarmino et Suarezio, hæc aptitudo generatim deest (*De leg.*, III, 4, 1 ; *De laïcis*, C. 6 ; — Meyer, p. 353, n. 397, 398). Ergo.

Prob. maj. — 1° Videtur esse ex se sat perspicua.

2° Admittitur a Suarezio saltem quoad primam partem (*De leg.*, III, 3, 2).

---

(1) Meyer, II., p. 364. Probatio valet in se et etiam ad hominem, nec supponit Suarezium spectare auctoritatem ut *formam* societatis civilis. Id quod Meyer intelligit de civitate, æstimamus applicandum esse potestati concretæ, v. g. multitudini aut individuo quatenus auctoritatem detinet (cf. infra : Prob. maj. 3° ; — de origine concreta potestatis in rege secundum Suarezium ; cf. supra ante th. 59 : designatio non sufficit, requiritur donatio).

3° Potest sic declarari : Potestas concreta est quasi organismus, constans ex subjecto tanquam materia et auctoritate tanquam forma, quæ est quasi principium vitæ. Porro nullus organismus videtur accipere posse vitalem exsistentiam propriam, nisi materiam idoneam præbeat ad operationes vitæ.

COROLL. — Inter facta ex quibus oriri potest in concreto civitas cum ejus auctoritate, speciatim notandum est regimen patriarchæ. Patet ex argumento supra exposito (cf. CATHREIN, th. 81 ; — DE PASCAL, *Phil. mor. et soc.*).

Obj. Auctoritas civilis per se, primo et necessario competit personæ quæ primo et necessario ex natura habet jus et officium procurandi finem societatis, mediaque disponendi ad illum finem. Atqui talis est tota societas. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* : Personæ quæ jus et officium prædictum habet *remote, nego ; proxime, subd.* : si habet jus et officium finem prosequendi, per modum legis ab ipsa qua tali imponendæ, *conc.* ; per modum conspirationis cujuscumque, *nego* aut *subd.* : hæc persona qua talis est primo subjectum auctoritatis ex necessitate, si *per se est capax, conc.* ; si est *incapax, nego* ; tunc exigit tantum habere in se subjectum forsan individuum auctoritatis (de incapacitate multitudinis, cf. th. 57 *in Prob.* 3° ; et infra : *de democratia*).

ARTICULUS II

DE FINE CIVITATIS

ANTOINE, I, 3 sq. ; II, 3, 4 ; III, cum ampla bibl. in notis ; — DE PASCAL, *Phil. mor. et soc.*, t. II, l. 3, c. 2 ; l. 4. c. 11 ; — LIBERATORE, *Eth.*, p. 2, n. 42 sq. ; — MEYER, t. II, n. 304 sq. ; — SORTAIS, *Etudes phil. et soc.*, p. 43 sq. : Les fonctions de l'Etat (optime).

Ibi statuitur unum ex principiis a quibus maxime pendet solutio quæstionis socialis.

Inquirimus : 1° an civitas habeat finem naturalem ?

2° quid sit iste finis ?

§ I. — AN CIVITAS HABEAT FINEM NATURALEM ?

Omne opus naturæ tendit ex dispositionibus suis internis ad aliquem finem qui propterea dicitur finis operis et non tantum operantis.

Deus enim utpote sapiens nequit non aptare internam dispositionem creaturarum et omnium operum suorum ad scopos harmonice determinatos in ordine ad ultimum finem totius universi.

Civitas ergo, quatenus ab ipsa natura intenditur (cf. art. I), habet finem ad quem intrinsece tendit et ex sua indole cognoscibilem, civitati proprium, omni civitati communem.

Inde errant qui cum Haller (cf. DE VAREILLES, c. 24) et Fouillée (*R. des Deux-Mondes*, t. 32, 1890, p. 759) admittunt societatem civilem esse quoddam aggregatum sine fine naturali (CATHREIN, th. 77).

§ II. — QUID SIT FINIS NATURALIS CIVITATIS.

Duas classes adversariorum hic impugnamus.

Prima classis adversariorum. *Exaggerant finem civitatis, istam spectantes ut finem in se, cui bona privata subordinantur.*

Sic : a) *Recentiores pantheistæ*, v. g. SCHELLING, HEGEL : Civitas esset supremus terminus evolutionis Deitatis (cf. ANTOINE, II, 4 ; — B. MALON. *Le socialisme intégral*, p. 377).

Huc aliquo modo refertur quod dicit DURKHEIM. « Je ne vois dans la divinité que la société transfigurée et pensée symboliquement. » (*Bull. soc. fr. de phil.*, 1906, p. 126).

b) PLATO : Civitas est major homo cui cives subordinantur tanquam membra corpori, ut ipsa vivat secundum virtutem.

c) Asseclæ *progressismi socialis* (cf. th. 2 in fine) : huc refertur FOUILLÉE : cf. *Morale des idées-forces*, v. g. circa finem.

d) Ii qui vindicant civitati plenam potestatem « construendi » ordinem juridicum, omnino libere — cum rejiciant jus naturale — ad progressum humanitatis.

e) Aliquatenus quidem saltem *Socialistæ* (cf. ANTOINE, II, 4 ; — B. MALON, *Le socialisme intégral*, passim, v. g. p. 235, 446, 449 ; 2ª éd., t. I, p. 196 sq.).

In ista classi impugnanda non immorabimur. Etenim Pantheistæ alibi refutantur. Quoad alios, subordinant omnia civitati tanquam fini ultimo : quod est contra 1ᵃᵐ thesim Ethicæ ; dignitatem hominis ad Deum immediate ordinati implicite negant, necnon absoluto despotismo favent (cf. CATHREIN, th. 83).

Secunda classis adversariorum. *Restringunt finem civitatis, cui generatim assignant ut munus meram protectionem libertatis cujusque.* Magis etiam extenuat scopum societatis politicæ MONTESQUIEU (*Esprit des Lois*, l. II, c. 5) qui contendit finem civitati qua tali proprium esse tantum *se con-*

servandi. Omissa hac opinione quam CATHREIN confutat (art. II, initio), priorem consideremus. Ad eam stabiliendam, *varia fundamenta proponuntur* :

a) **Theoria Kantiana de jure et fine ordinis juridici.** — Confundit KANT *libertatem* et *independentiam moralem* ; hinc libertatem salvare intendens, nequit accipere *auctoritatem externam* quæ directe *obliget* in conscientia, sed eam tantum quæ possit *cogere* externe. Dum bonum supremum secundum nos sit in hac terra perfectio moralis, cui civitas potest aliter favere, quam mera libertatis tutela, schola Kantiana considerat libertatem ut quid quasi divinum, cui omnia subjicienda essent (cf. CATHREIN, — ANTOINE, II, 4 et nostras præcedentes theses de *Kantio* : th. 3-5, et append. *Eth. gen.*).

b) **Theoria optimismi liberalis.** — Asseclæ *Liberalismi* in œconomia politica fingunt libertatem hominis in societate viventis de se tendere ad optimum. Sufficit civitatem eam tueri. Sic QUESNAY et ADAM SMITH (cf. GIDE, *Hist. des doctr. écon.* Multa habet, lege v. g. p. 101). Huic sententiæ aliquatenus favent quidam catholici (ANTOINE, X, 2 : *L'école d'Angers*). Præter thesim sequentem, plenius confutabitur hæc theoria, dum agetur de quæstione sociali.

c) **Theoria selectionis ex pugna pro exsistentia.** — Secundum DARWIN, SPENCER, in pugna pro exsistentia, individua conditionibus socialibus melius accommodata vincunt, et exclusive se propagant, dummodo liberæ competitioni omnia permittantur.

N. B. — Ab iis sententiis parum forsan differunt qui tenent finem civitatis esse tutelam jurium privatorum. Quoad eos, qui ponerent hunc finem in protectione jurium civitatis, nihil dicerent, cum jura societatis ex ejus fine cognoscantur.

THESIS LXI. — **Finis civitatis est bonum commune et externum, — nempe complexus conditionum quas membra organica societatis ex se non habent et quibus indigent ut omnimodam prosperitatem temporalem et ad ultimum finem prosequendum ordinatam, per suas proprias vires obtinere valeant. — Quarum conditionum primaria est ordinis juridici fruitio, — secundaria autem sufficiens copia subsidiorum corporis et animi.**

STATUS QUÆSTIONIS

1) Agitur directe in thesi de fine totius societatis politicæ ; in corollario 2° finem *auctoritatis* statuemus.

2) Supponimus ordinem *naturalem*. In ordine autem *super-*

naturali, scil. data Ecclesiæ a Christo institutione, cura rerum religiosarum, etsi naturaliter pertinens ad civitatem, jam alteri societati commissa est (cf. infra th. 64, 65).

3) *Membra organica* sunt præcipue *familiæ*, *diversæ associationes*; vide infra art. III, § 1.

Nota theseos : Metaphysice certa, et quoad rem, ut videtur, communis inter catholicos.

Même les représentants de « l'école d'Angers » ne restreignent pas d'une façon absolue le pouvoir de l'Etat à la protection des droits, ils ne posent cette limite que dans un certain domaine, celui où s'agite la question sociale (cf. cette question).

DEMONSTRATIO

PARS I^a^. — Finis civitatis est bonum commune et externum.

PROB. — Omnis enim societas mere humana ut finem habet bonum hujusmodi (cf. supra, cap. I, de societate universim. — Antoine, *l. c.*, démonstration par voie *analytique*).

PARS II^a^. — Nempe complexus... valeant.

PROB. — Finis civitatis adæquate respondere debet tum naturali inclinationi, tum naturali indulgentiæ ex quibus civitas enascitur.

Atqui tales sunt conditiones prædictæ.

Ergo...

Prob. Min. — Privati homines ad civitatem efformandam inclinantur et ea indigent secundum rectam naturam :

1° ut suas activitates compleant in ordine ad omnia bona temporalia quæ ducunt in ultimum finem (cf. th. 5. *de supremo fine hujus vitæ* et th. 57, *de origine civitatis*).

2° ita ut societas eos juvet, quin libertates destruat, nec se substituat privatis activitatibus, quamdiu sibi sufficiunt (hoc enim exigit harmonia in intentionibus naturæ et recta ordinatio cujuslibet boni externi ad hominem).

Atqui utrumque adæquate obtinetur prædictis conditionibus.

Ergo...

N. B. — Ad plenius intelligendam ultimam majorem, nota civitatem esse ultimum terminum sociabilitatis humanæ ; unde ad eam pertinere perfectum complementum cujuslibet privatæ activitatis, sive individuorum, sive societatum inferiorum (cf. Antoine, l. c. démonstration par voie *synthétique*).

Confirmatur : *multis testimoniis* sive Leonis XIII, sive magnorum philosophorum et theologorum, quæ Cathrein (th. 82, 84) et Antoine (I, 3, II, 3) sedulo collegerunt.

Sic Leo XIII dicit naturam civitatis in eo sitam esse quod « suppeditare vitæ sufficientiam perfectam sola potest ». (*Encycl. Immortale Dei* ; cf. multa in *Enc. Rer. nov.*).

Secundum Aristotelem, civitas est « societas ex pluribus vicis conflata quæ ad summum jam, ut ita dicam, omnis copiæ bonis omnibus cumulatæ, nihilque præterea requirentis culmen pervasit ». (*Polit.* l. I, c. 2 ; — cf. l. III, *Polit.* c. 4-6), Albertus Magnus et S. Thomas eamdem tradunt doctrinam in Comment. in III, *Polit.* c. 6 (cf. *De reg. princip.* l. I, c. 1, et 15) ; nec diversam proponit Suarez (*De lege*, l. III, c. 11).

PARS III[a]. — Quarum conditionum primaria est fruitio ordinis juridici.

PROB. — Ea conditio primario est a civitate præbenda, quæ

a) maxime est essentialis prosperitati publicæ,
b) maxime requirit civilem auctoritatem.

Atqui jurium securitas

a) maxime est essentialis prosperitati publicæ, cum magis sit necessarium cuique, posse sua bona servare, quam nova acquirere, ita ut sine priore posterius frustra esset (« un : tiens, vaut mieux que deux : tu l'auras ») ;
b) generatim non potest a privatis satis obtineri (cf. th. 33).

Ergo... (Antoine, III, 4).

PARS IV[a]. — Secundaria autem est sufficiens copia subsidiorum corporis et animi.

Contra adversarios secundæ classis asserimus fruitionem ordinis juridici etsi primariam non sufficere.

PROB. — Finis civitatis est activitates privatas complere seu eis præbere perfectam sufficientiam vitæ humanæ (cf. supra 2[a] Pars).

Atqui tale complementum præter fruitionem ordinis juridici includit positivam copiam subsidiorum corporis et animi.

Ergo...

Prob. min. — Sæpe ad perfectionem obtinendam in ordine sive œconomico, sive morali, sive religioso, individui et societates privatæ ; — etsi juribus suis fruuntur ; — non sibi sufficiunt, sed oportet leges, aliasque civiles ordinationes prosperi-

tati sociali positive favere plurimaque civitati utilia instituere. Etenim :

1° Juvat cum Suarezio hæc notare : « *Singuli homines et difficile cognoscunt id quod expedit ad commune bonum et raro illud per se intendunt.* » (*De leg.*, III, 9. — Cf. th. 57) ;

2° Sufficit afferre *exempla*[1] :

a) In ordine *œconomico*, exstruere vias publicas, præsertim obtinere ad hunc scopum cessionem loci necessarii ; relationes commercii cum aliis civitatibus inire.

b) In ordine *morali*, favere instructioni, præmia tribuendo, advocando magistros e longinquo, saltem quoties privati non satis de istis omnibus curant (vide quæstionem scholarem).

c) In ordine *religioso*, vel ordinare cultum publicum (in ordine naturali), vel saltem præscribere ut magistratus, milites, etc. istum exhibeant,... hæc omnia pertinent ad civitatem (cf. testimonia quæ in parte 2ª citavimus, ANTOINE, III, 3; — ipsum THÉRY, *Exploiteurs* et *salariés*, p. 175 sq., speciatim 181 ; — P. ANTOINE objectiones quasdam solvit).

Confirmatur. — 1° (MEYER, p. 272). Nullum opus naturæ habet finem *mere negativum*.

2° *Ex consectariis quæ adversarii admittunt* : Evolutionistæ, tanquam conditiones progressus admittunt debiliores perire, non a civitate protegi.

3° *Ex historia* et communi praxi civitatum (CATHREIN, th. 82, arg. 3).

4° *Ex sententia theologorum et jurisperitorum* qui tribuunt auctoritati civili potestatem conferendi jura positiva, v. g. jus corporationis.

COROLL. I. — Discrimen inter bonum publicum seu civitatis ut talis et bonum privatum (ANTOINE, I, 4).

Bonum privatum.	Bonum publicum.
1° A *privatis* efficitur : (vg. productivitas alicujus dominii).	1° Procedit a *civitate* (vg. relationes commercii cum aliis civitatibus, facilis exstructio viarum per totum territorium sæpe saltem requirunt auctoritatem).
2° Est bonum quo *immediate* fruuntur personæ *determinatæ* (vg. *domus, hortus*,...).	2° *Indeterminate offertur*, ita ut ab eo per se nemo excludatur (vg. *viæ, hospitia*).

(1) Vide SORTAIS, *Etudes phil. et soc.*

3° Potest esse generale in effectu, quatenus apud quemlibet de facto invenitur (vg. si omnes familiæ fortunate beateque vivant).	3° Est generale in ordine causalitatis, quatenus natura sua aptum est ut omnibus faveat (vg. canaux, lois favorisant l'industrie, postes et télégraphes, etc...).

Conclusio. — *Bonum publicum non est summa bonorum privatorum, sed ad ea ordinatur tanquam medium ad finem. Definiri potest « naturale et sociale complementum activitatis privatæ, se extendens usque ad perfectam sufficientiam vitæ humanæ ».*

COROLL. II (*magni momenti*). — Finis immediatus publicæ auctoritatis est non finis civitatis quidem, sed ordinatio virium socialium in finem civitatis.

Unde apparent limites potestatis.

1° Debet *tantum complere* vires privatorum ; hinc *a*) quoad finem *primarium*, scil. jurium tutelam, auctoritas habet quidem jus *absolutum* et *plenum*, cum vindicatio violenta juris privatis non competat ; *b*) sed quoad finem *secundarium*, non habet nisi jus *conditionatum* et *suppletivum*. Nihil potest ubi 1) bona necessaria aut valde utilia civitati non sunt procuranda, 2) præstant jura antecedentia privatorum, 3) sibi sufficiunt activitates privatæ (Antoine, III, 4 et 5, coroll. I).

2° Auctoritas habet jus *directum* in ea quæ *natura sua* et *immediate* sunt media ad finem civitatis ; habet jus *indirectum* tantum in ea quæ *accidentaliter* requiruntur ut media aut conditiones ad finem socialem prosequendum (Antoine, ibid.).

Unde, *quoties activitates privatæ sunt naturaliter insufficientes, jus auctoritatis est directum*, v. g. ubi sunt jura protegenda ; *quoties insufficientia activitatis privatæ provenit ex accidentali defectu, jus auctoritatis est indirectum* : sic generatim ubi agitur de positiva copia bonorum procuranda (cf. quæst. scholarem ; vide etiam Antoine).

Tableau résumé :

Protection des droits.	Assistance des intérêts.
α) fin négative et primaire.	fin positive et secondaire.
β) droit absolu de l'autorité,	droit supplétif.
γ) droit direct.	droit indirect.

N. B. — Optime damnat P. Antoine (in fine cap. III, coroll. II) actualem tendentiam ad *exaggerandam necessitatem civilis interventus*. Recte etiam notat distinguenda esse *principia* ab eorum *applicatio-*

nibus, dum quærendum est Status auxilium (ibid. : *Limites relatives de l'intervention de l'Etat*).

Principium ad solvendas objectiones. — *Homo partim et proxime ordinatur ad civitatem* : 1° ut ad bonum *Dei* qui vult eam ; 2° ut ad bonum *suum*, vel *immediate* proprium, vel quatenus bonum *concivium (bonum totius est bonum partis)*. Quia civitas est bonum suum *ipse remanet finis illius*. Remote civitas habet, ut finem *totalem et primarium*, DEUM, et ut finem *totalem secundarium*, HOMINES. Homo igitur propter Deum, propter concives debet aliquando omnia sua bona materialia et propria renuntiare, vitam suam exponere periculis ; sed remanet ipse post Deum finis secundarius suæ liberæ determinationis, cujus præmium est accepturus. Vide etiam solutionem obj. 4æ apud Cathrein post thesim 84.

ARTICULUS III

DE CAUSA MATERIALI CIVITATIS

Materiale elementum civitatis proprie est populus, nonnisi improprie territorium. De utroque aliqua sunt dicenda.

§ I. — De Populo. De individualismo.

Quand on a compris ce qu'est l'individualisme et sa raison profonde, on n'a pas de peine à comprendre quelles répercussions considérables il provoque dans les théories morales, politiques, sociales, religieuses.

I. L'individualisme, c'est l'exaltation de l'individu, du moi ; c'est la méconnaissance des relations de dépendance, de subordination, de solidarité. L'homme est conçu comme un abstrait, sans ses relations avec Dieu, ses semblables, les divers groupements et spécialement la famille.

II. Une telle théorie n'est pas seulement le résultat d'une erreur de méthode, d'un abus de l'abstraction. Elle a sa source dans un sentiment d'orgueil, d'indépendance exagérée, d'égoïsme. La nature étant plus immédiatement inclinée à son bien particulier qu'au bien du tout, il faut un certain effort vertueux, comme le remarque si bien S. Thomas, pour sortir de soi et s'intéresser comme il convient au tout ordonné dont on fait partie.

III. — Aussi comme l'a lumineusement exprimé M. de La-

marzelle dans un ouvrage récent[1], l'individualisme s'est développé progressivement selon les tendances désordonnées de la nature humaine, et a préparé de loin le protestantisme qui en a été à la fois une manifestation et une cause d'accélération.

Puis est venue la Révolution française avec la déclaration bruyante des droits de l'homme, l'égalitarisme, la suppression des classes, les lois antifamiliales : partage forcé des biens, divorce... Le socialisme avec la suppression entrevue de tout héritage et ses destructions plus radicales encore de la famille, de la religion, sort logiquement des principes individualistes. Le féminisme, sous une apparence plus modérée, procède au fond d'une même inspiration.

D'autres voudraient aller plus loin et avec l'anarchisme supprimer l'autorité qui ose s'élever au-dessus de l'individu, et avec le pacifisme extrémiste supprimer les nations, ces biens collectifs qui viennent de l'activité d'autrui ; de façon que l'individu, dégagé de tout groupement, de toute faveur de naissance, d'hérédité, de tradition, ne soit plus que lui-même, fruit de son propre mérite, fils de ses œuvres, se développant sans entraves comme sans secours privilégié.

Toute notre morale est une protestation contre l'individualisme. Dieu étant la fin dernière de l'homme et son Seigneur, le critère de la moralité étant la nature adéquate, l'individu se voit dépassé, rattaché de mille manières, réglé par de multiples dépendances. Nos thèses sur la propriété et son but intégral intéressant la famille, sur la liberté testamentaire ; sur le salaire familial, etc. combattent pied à pied les théories aggressives des négateurs.

Plus directement encore :

Materia proxima politicæ communitatis non sunt individua qua talia et inter se æqualia, ut hodie dicunt Liberalismi seu Individualismi fautores, sed familiæ et aliæ societates ex quarum conglomeratione civitas enascitur[2].

Hoc patet ex istius *origine* et *fine*, cum *familias jam constitutas supponat et activitates privatas tantum complere debeat.*

Nec igitur omnia individua proprie et *immediate* sunt *cives*, sed *ii solum qui vel sunt actu patres familias, vel saltem virtualiter familiam repræsentant, quatenus ad eam fundandam*

---

(1) *L'anarchie dans le monde moderne.*

(2) Cf. Bourget : préface du *Tribun* (egregie omnino) ; — Le Play, *Les ouvriers européens*, t. III et IV ; *La réforme sociale*[3], t. I, p. 320 ; *L'organisation de la famille* ; — Descoqs, *A travers l'œuvre de Ch. Maurras*[3], p. 45 sq. ; — Antoine, IV, 1. — Principium quod ibi asserimus cum tam multis et præclaris auctoribus, cum Aristotele et Leone XIII est maximi momenti in quæstionibus quæ ad ordinem socialem spectant. Resumitur secundum significationem magis essentialem hac celebri formula : « familia est cellula socialis ».

proxime apti sunt. Uxor autem et liberi mediante tantum familia ad civitatem pertinent, neque sunt immediate et proxime habiles ad partem in regimine politico accipiendam, quod est, ut dicit philosophus, civis essentia (*Polit.*, l. 3, c. 1 ; — cf. *Encycl. Rerum Novarum*, § Velle igitur : éd. Bonne Presse, III, p. 28).

Inde etiam apparet civitatem, etsi per se unam, constare partibus heterogeneis, quarum singulæ immediatum finem et propriam sibi activitatem habent, ita autem ut omnes ordinate et harmonice tendant ad finem seu perfectionem totius. Quapropter merito dicitur organica societas, quippe quæ ad similitudinem organismi componitur.

De feminismo seu de feminarum emancipatione.

Aristotelis, *Polit.*, l. I, cap. V, § 1, 4 sq., 8, trad. Barthelemy Saint-Hilaire, p. 42 ; — S. Thomæ, I^a, q. 92, a. 1, ad 2^um, cf. a. 3 initio ; C. G., l. III, c. 122 : « Rursus. » ; I^a II^ae, q. 105, a. 3, ad 1^um ; — Cathrein, *Die Frauenfrage* ; cf. *Phil. mor.* th. 85 ; — Suau, *Etudes*, 1909, t. 2, p. 655 (cum bibl. in notis) ; — Sertillanges, *Nos luttes ; Féminisme et christianisme* (ibi nimis favet feminismo) ; — Max Turmann, *Initiatives féminines* ; — Rialland, *L'action sociale de la femme* ; — Castelein, *Dr. naturel* (éd. 2, p. 554 sq.) ; — Donat, *Eth.*, t. II, p. 269 ; — Godts, C. S. S. R., *Le féminisme condamné par des principes de théol. et de phil.* ; — *Rev. des institutions et du droit*, 1917, p. 144 sq., p. 230 sq. ; cf. p. 137 sq. ; janvier 1918 ; — *Année soc. internat.*, passim ; — *Mouvement soc.*, passim et autres publications de l'*Action Populaire* ; — *Réforme sociale*, Congrès de 1901 ; — Lucien Leduc, *La femme devant le Parlement* ; — H. Marion, *Psychologie de la femme* ; — Clarisse Bader, *La femme française dans les temps modernes* ; — G. Richard, *La femme dans l'histoire* (cum bibliog.) ; — Kæthe Schirmacher, *Le féminisme aux Etats-Unis, en France*, etc. (docum.) ; — Gautherot, *L'Assemblée constituante* ; — Cstrogorski, *La femme au point de vue du droit public* ; *La démocratie et les partis politiques*, ed. 1912, p. 249 sq., p. 443 sq. ; — Vogt, *Sexe faible, une riposte aux exagérations et aux utopies du féminisme* (violent et inconvenant) ; — Vicomtesse d'Adhémar, *La femme catholique et la démocratie française* ; — *La Croix*, 9 mars 1918 et 23 mars (Guiraud) ; 24 février 1922 (Reverdy et Guiraud) ; — du Passage, *Etudes*, 20 juin 1919 ; — Turgeon (prof. à Rennes), *Le féminisme français* (sérieux, catholique) 2 vol. (1^er réédité) ; cf. t. II sur l'émancipation politique de la femme (assez habilement présenté en faveur du suffrage feminin), cum bibliographia ; — M^rs Alys Russel, *Congrès de phil.* Paris, t. II (fém.) ; — Aug. Rosler, *La question féministe examinée au point de vue de la nature, de l'histoire et de la revélation*, trad. gallic. a J. de Rochay (contre Bebel, *La femme dans le passé, le présent et l'avenir*, trad. gallic. a B. Ravé) ; — Legouvé, *Histoire de la femme* ; — *Times*, 11 janvier 1918 ; — Marthe Borély, *L'appel aux françaises* ; — Joseph Barthelemy, *Le vote des femmes*[1] (cours 1917-1918 à l'Ec. des hautes ét. soc., prix du budget de l'Académie des sc. mor. et pol., féministe) ; — Marg. Aug. Féraud, *La femme devant les urnes* (Préface de Goyau) ; — Deslandres, *Le Correspondant*, 10 nov. 1922 (féministe, 1922) ; — M^me de Lauribar, *Le code de l'éternelle mineure*, 1922[2] ; — Abensour, *Hist. générale du féminisme*, 1921 ; — cf. *La documentation catholique*, 19 mai 1923, cum bibliographia, col. 1278.

---

(1) Initio notat : le féminisme « a engendré une littérature si abondante, que pour énumérer seulement des titres d'ouvrages, il faudrait un volume aussi gros que celui qu'on va lire » (préf., p. VI ; opus habet 618 pag.).

(2) Nous ne citons qu'à titre documentaire Richard, Abensour, M^me de Lauribar. Ils méconnaissent le caractère de la religion révélée et son influence civilisatrice, sont très féministes. Nous approuvons encore moins Jean Finot, *Préjugé du problème des sexes* [2], 1923 ; cet auteur a osé écrire : « C'est au prix de la sensualité que la vie deviendra plus féconde, plus altruiste, plus humaine » (*La charte de la femme*, cité par Joran, *Le suffrage des femmes*, col. 346).

Speciatim commendantur Théod. Joran, *Le suffrage des femmes* (multa alia optima edidit contra feminismum) ; — Paul Gide, « l'auteur du livre le plus classique et le plus universellement loué sur la *Condition privée de la femme dans le Droit ancien et... moderne* » (1867) ; — H. Joly, *Le droit féminin*, 1922 ; — Mlle Zania, *Psychologie du féminisme* (préface de Bourget), 1922[2].

Hoc hodiernum problema ex modo dictis partim solvendum est. Plures vero quæstiones sunt distinguendæ. Non quæritur utrum damnandus sit mulierum status fere servilis qui, frequens olim, nunc non adest, nisi apud Gentiles et Mohamedanos et a populis christianis jam diu respuitur (Sertillanges, *Nos luttes*, p. 221-228), sed[1] :

1° Num feminis sit concedenda jurium cum viris perfecta æqualitas, etiam intra familiam, ut Socialistæ passim contendunt (cf. supra ; — comparer la thèse de Mrs Alys Russel, *Congrès de Phil.*, spec., p. 311-313, 315-317).

Jam diximus virum esse caput mulieris (cf. cap. II in fine) quod explicite docet S. Scriptura (*Genes.*, III, 16 ; — *Eph.*, V, 22-24 ; — I *Cor.* XI, 9 ; — *Col.*, III, 18 ; — I *Petr.*, III, 1 sq.) ; — cf. Sertillanges, *Nos luttes*, p. 228 sq. ; — Suau, *Etudes* 1909, t. II, p. 655 sq.[2].

2° Num sit feminis concedendum posse facilius sibi necessaria subsidia ad sustentandam vitam acquirere per laborem extra familiam ?

Quanquam id minus est intentionibus naturæ congruum, affirmandum videtur, dato industriæ hodierno statu. Omisso enim quod non omnes mulieres nubere possunt cum earum numerus numerum virorum excedat (105/100 circiter), — quæ nuptæ sunt quæstuosos labores hodie non semper inveniunt quos intra familiam queant efficere, ut necessaria subsidia acquirant. Nam quæ olim familialis industria producebat, nunc in fabricis celerius et minori pretio via mechanica conficiuntur.

Hinc, etsi optandum est mulieres potius ordinem domus et liberorum educationem curare, oportet ubi vir solus sufficientem mercedem acquirere nequit, easdem extra domicilium laborare, dummodo ad bonos mores, defectus virium et bo-

(1) H. Joly, *Le droit féminin*, p. 50.

(2) Il y a un certain « féminisme chrétien » et un féminisme incroyant, révolutionnaire, socialiste... Le premier peut être nommé un « féminisme d'union... Il en appelle à la conciliation nécessaire des droits et devoirs de la femme et des droits et devoirs de l'homme, chacun des deux faisant partie d'un tout naturel où l'un ne se conçoit pas sans l'autre ». Il s'oppose au « féminisme de séparation », d'esprit individualiste, qui considère uniquement « dans la femme une personne humaine », tient « comme nul et non avenu... tout ce qui est spécifiquement féminin », néglige le caractère des obligations familiales (H. Joly, *op. cit.*, p. 8-10). — Avec un sens juridique et social très averti, l'auteur que nous citons montre excellemment dans quel sens et avec quelle modération les féministes chrétiens doivent lâcher d'améliorer notre code. Voir spécialement les conclusions, pp. 18, 74, 81, 83, 106, 241.

num familiæ satis attendant (cf. *Encycl. Rerum novarum*, III, p. 53 ; — Suau, *Etudes*, 1909, t. II, p. 661 ; — Sertillanges, *Nos luttes*, p. 250 ; — *Ann. soc. intern.* 1911, p. 440 sq., 420).

3° **Num studia altiora feminis sint permittenda. v. g. in Universitatibus et utrum deceat eas libros componere ?**

Respondeo :

a) Ista mulieribus licere quidem[1], eas tamen munus multo sublimius accepisse a natura (cf. Suau, ibid., p. 663 sq.).

b) Si excipias medicinam, ad quam exercendam ob vividam sensibilitatem minus aptæ videntur, in ceteris feminæ viam decentem invenire possunt ad honeste se sustentandas.

c) Sed cursus, quantum fieri potest, pro utroque sexu sint separati ; — cf. en faveur des fortes études secondaires pour les filles (*Rev. du Clergé franç.*, 1er mars 1913, p. 629) le sentiment, exagéré, semble-t-il, de Mme Daniélou ; — sur l'envahissement des Universités par les femmes : *Année soc. intern.*, 1911, p. 401, etc. (il s'accentue toujours) ; — pour les principes : Suau, *l. c.* optime ; — voir aussi : Joran, *op. cit.*, p. 320 sq. ; — *Bull. de la Soc. gén. d'éducation*, oct. déc. 1921, rapport intéressant sur les carrières féminines ; — Joly, *op. cit.*, p. 22 sq. ; — *Nouvelles religieuses*, avril 1922, initio, quæ commendant : — Maurice Lacouin, *Les carrières féminines*, préf. de M. Isaac. — Cf. Henriette Charasson. *Faut-il supprimer le gynécée ?*

4° **Num conveniat feminas jura politica exercere v. g. jus ad deputatos eligendos, ad fungendum hoc aut sublimiori munere ?**

Id affirmant multi liberalismi fautores, v. g, St. Mill, et Ed. Laboulaye, etc., quos plus minusve sequuntur multi catholici[2] ; nos autem negamus. Hinc :

---

(1) « La culture intellectuelle et esthétique est pour la femme une armure contre les goûts frivoles, une parure pour les nobles jouissances de la société, et un excellent moyen d'apostolat, rendant plus efficace l'influence de ses vertus et des doctrines morales qui en sont l'inspiration.

Voilà pourquoi nous souhaitons à la femme des classes lettrées une *haute éducation intellectuelle et esthétique ;* mais nous ne voudrions pas qu'au besoin d'une pareille éducation on répondît par une *orgie d'érudition*, selon la juste critique de Jules Simon.

Le féminisme radical menace la femme de quatre grands périls : du péril d'une instruction, d'une part, trop scientifique et, d'autre part, trop peu esthétique et philosophique ; du péril d'une éducation trop peu pratique et trop peu religieuse ; du péril d'une trop grande liberté ; du péril, enfin, d'une vie trop agitée et trop troublée par une participation anormale aux affaires politiques et aux luttes de parti » (Castelein, *Droit naturel*[3], p. 556).

(2) ... sive theoretice, sive saltem practice in quibusdam contingentibus. Nuper in Gallia, constituta est « l'union nationale pour le vote des femmes » ; cf. le rapport de Mme Chotard au récent congrès de l'Action sociale de la Femme (36, rue Vaneau, Paris, VI).

THESIS LXII. — Politica feminarum emancipatio in communiter contingentibus rejicienda est.

STATUS QUÆSTIONIS

Sensus theseos. — Spectamus feminas secundum capacitatem et indolem quas experientia universalis in eis exhibet, et supponimus circumstantias politicas communiter contingentes. Dicimus jura stricte politica, speciatim quæ ad electionem deputatorum pertinent, non forte in omni casu stricte repugnare, sed plus minusve ratione reprobari aut dissuaderi secundum diversos casus. Jus vero sive activum sive passivum electionis ad municipia minus rejicitur, saltem directe. Non enim arguimus ex incapacitate absoluta mulieris ad gubernandum, sed ex naturali destinatione viri et mulieris, et ex periculo sive domestico sive sociali prædictæ emancipationis, quod in adjunctis diversis diversum est.

Nota theseos : fere certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — 1° *(indirecte).* Ab usu fere universali et perpetuo non recedendum est, nisi ob rationes urgentes : nam talis usus generatim denotat intentiones naturæ, quales menti humanæ innotescunt. Atqui absunt istæ rationes. Ergo...

PROB. — 2° Munus repræsentandi familiam politice, ut jam notavimus, pertinet naturaliter ad virum qui propter majorem prudentiam est caput familiæ (Iª IIæ, q. 105, a. 3, ad 1um ; — Arist., *Polit.*, l. III, c. 1).

PROB. — 3° *Notemus primum incommoda sequentia :*
In communiter contingentibus, emancipatio politica feminæ, ut factis comprobatur, valde nocet :

a) *auctoritati mariti* ob frequentes discordias (*Rev. des instit.*, 1917, p. 234 : optime ; — Joran, *op. cit.*, p. 289) ;

b) *naturali muneri mulieris,* quod est interior domus administratio, cura præsertim infantium (Joran, p. 236 sq. ; ut bene notat, p. 241, vita politica magis mentem occupat et tempus detrahit quam aliqui putant, nec reducitur in praxi tantum ad suffragium emittendum) ;

c) *ejus dignitati et virtuti ;* parum enim decet feminas fre-

quenter in publicum prodire, a familia separari (Sertillanges, *Nos luttes*, p. 261 ; — Guiraud, *La Croix*, 23 mars 1918, spec. de historia Romæ ; — Gautherot, *loc. cit.* ; — Ostrogorski, *La démocratie...*, p. 259 ; — Castelein, *Droit nat.*, p. 526, in nota ; — cf. Joran, *spec.*, p. 245 sq.) ;

d) ideoque opponitur *ordini et decori familiæ, necnon naturali ejus relationi ad civitatem*, nempe relationi cellulæ indivisæ ad totum organismum politicum ;

e) *sine sufficienti compensatione, immo cum aliis incommodis circa gestionem politicam*, cui parum congruit ingenium sæpe magis mobile affectibus quam rationibus (cf. Cathrein ; — Joran, *op. cit.*, p. 222 sq. ; p. 295 sq., 69 sq., 365 ; — *Rev. des inst.* 1917, p. 231 ; — de Lauribar, *op. cit.*, p. 143 sq.).

Notemus deinde *ista incommoda aut saltem grave eorum periculum per se consequi indolem generalem mulieris.*

Unde sic :

Arg. Quod per se grave periculum constituit, tum domesticum, tum civile, rejiciendum est.

Atqui in communiter contingentibus, emancipatio feminæ politica per se constituit grave periculum

tum domesticum (supra : *a*, *b*, *c*, *d*).

tum civile, sive directe (supra : *e*) sive saltem et præsertim indirecte, ex ingenti incommodo allato familiæ, cellulæ organismi politici : « *Si l'Etat détruit la famille, la famille se venge et ruine l'Etat* » (de Bonald).

Ergo... (Cf. Joran, *op. cit.*, concl., p. 340 sq.).

Confirmatur *speciatim circa inferioritatem mulieris :*

1° Auctoritate : cf. *Eccl.* VII, 2° « Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni ». Vide totum caput XXV *Eccli.*, spec. 18 sq. ; — XLII, 13 ; — Arist., *Polit.*, *loc. cit.* (trad. Barthélemy St-Hilaire, p. 42 sq.) ; — S. Thomas, *loc. cit.*, in bibl.

Ecclesia in sua jurisdictione nullum munus mulieri concedit.

2° Ipsa œconomia domestica. Relativa mulieris superioritas in rebus practicis non sufficit ut ex lege naturali sit caput etiam domesticum. In altioribus guberniis multo minus virum æquabit ; nec igitur additio ejus suffragii gubernio civili favebit.

N. B. — Ceterum historia ostendit feminismum maxime a socialistis generatim fuisse propugnatum, v. g. *Bebel*. De aliis datis historicis, cf. Joran, Gautherot, Rosler,... *op. cit.*

Obj. 1. Multa mulieres melius ac viri aptæ sunt gerere [1]. Ergo non est ratio cur inferiores sint etiam in rebus politicis.

Resp. 1° Cf. supra : *confirmatur.*

2° Recte minuta ordinare solent : v. g. generatim ad curas domesticas magis quam viri sunt idoneæ. Circa administranda municipia aptæ esse possunt ; in rebus autem generalioribus potius consilia quam præcepta ab iis quærenda sunt (cf. Sertillanges, *Nos luttes*, p. 263 sq. ; — Suau, p. 662, circa antiqua jura mulierum). Etiam comparandum esset cum utilitate auxilii mulieris in municipiis periculum domesticum quod remanere potest et etiam periculum favendi emancipationi magis completæ [2] (cf. Joran, *op. cit.*, p. 334 sq.).

Instantia 1°. Sublimiora mulieres possunt dirigere, ut ostenditur exemplo reginarum quæ præclare populos suos gubernaverunt.

Resp. Istæ *exceptiones* merito objicerentur contra eos qui arguerent ex incapacitate absoluta mulieris ad gubernandum. — Tam raro contingentia et in adjunctis tam specialibus non constituunt grave et præsertim generale periculum domesticum de quo diximus. Præclara insuper ista regna, magna ex parte, e circumstantiis explicantur : ex continuitate consiliorum in eadem familia, ex cooperatione eorumdem virorum vel cœtuum qui sub regibus præcedentibus secundario rem publicam gerebant, ex præcellenti et accommodata educatione, aliquatenus ex stirpis dispositionibus per nativitatem transmissis, multum ex affectu subditorum erga filias antiquorum principum.

Instantia 2°. Saltem mulieres virtute, religione, pietate viris præstant. Ergo meliores deputatos eligent.

Resp. *Transeat antecedens*, quod a pluribus, v. g. Joran (*op. cit.*, p. 224 sq., 375) in dubium vocatur. Sed *nego consequentiam*, si facile mulieres possunt decipi. Forte etiam quæ essent capaces melioris suffragii emittendi, vitam politicam aliis curis postponerent (Joly, *op. cit.*, p. 231 sq.). Et insuper si forsan primum bonos deputatos eligant, valde timendum est ne multæ post aliquod tempus corrumpentur, sive, — partim saltem, — per ipsam vitam politicam, ad earum indolem non accommodatam, sive ex industria pessimorum virorum qui suffragio populari abutuntur. Vide testimonia sat clara, *Rev. des inst. et du droit*, 1917, *loc. cit.*, p. 151 ; — cf. Sertillanges, *Nos luttes*, p. 261 ; — Joran, p. 226.

Obj. 2. (J. Barthélémy, *op. cit.*, c. 2). Mulieres indigent suffragio politico ut sua propria jura vel commoda protegant.

Resp. Viri naturaliter inclinantur ad protegendas suas familias et maxime uxores, majorique cum prudentia ac mulieres generatim istud agunt. Historia plurimis factis hoc testatur (optime apud Joran, *op. cit.*, p. 230 sq.). Si quæ mulieres aliquando in misera conditione derelictæ fuerint, ex parte provenire potest ex eo quod essent pauciores : sub regimine speciatim de-

---

(1) Cf. M. Russel, *Congrès de philosophie*, II, p. 310 sq.

(2) Dum agebatur 2ª congressio, « *Unionis mulierum catholicarum Italiæ* » (Roma, sept. 1922), Pius XI grave consilium eis dedit : « La famille est vraiment votre terrain de combat, femmes, jeunes filles, étudiantes universitaires. Mères, sœurs, épouses, filles, la famille est votre royaume, et c'est là que vous êtes vraiment reines. Dieu veuille qu'à aucune femme ne vienne jamais la tentation de renoncer à cette souveraineté, si profondément enracinée dans la nature même, pour aspirer à d'autres règnes éphémères et à de vains triomphes ». (*La vie nouvelle*, déc. 1922, p. 327).

mocratico, hoc etiam aliis sæpe accidit. Nec desunt remedia indirecta : præsertim societates mulierum (syndicats féminins) possunt multa obtinere sive ex parte privatorum qui fabricas possident, sive ex parte legislatorum, dirigendo opinionem publicam per scripta, ephemerides, aut in causæ suæ defensionem deputatos trahendo (cf. JOLY, *op. cit.*, chap. V).

Obj. 3°. Ex principiis democraticis (BARTHÉLÉMY, c. 1, spec., p. 8 sq. ; — FAGUET, *Rev. bleue*, 1er mai 1902, cit. a SERTILLANGES, *Nos luttes*, p. 260) : « La démocratie est le seul gouvernement conforme à la raison. En effet, l'essentiel de l'être raisonnable, c'est qu'il soit gouverné par lui-même et non par d'autres ». La logique du gouvernement démocratique « veut qu'il y ait de plus en plus de gouvernants et de moins en moins d'individus qui ne soient que gouvernés. Le Parlement doit être l'image de la nation » (JOSEPH BARTHÉLEMY, *loc. cit.*). « Il est si irrationnel que l'alcoolique qui porte ma valise de la gare d'Orléans à mon domicile soit électeur et que ma sœur ne le soit point ; il est si irrationnel que la femme soit contribuable et ne soit point électeur ; il est si irrationnel qu'une châtelaine veuve qui administre son domaine voie voter tous ses domestiques et ne vote point » (FAGUET, *loc. cit.*).

Unde breviter :

1° Essentiale est enti rationali seipsum gubernare ; ergo etiam mulieri ;

2° A similibus omnes politice repræsentari debent ;

3° Eadem onera feminis imponuntur ; ergo eadem debent esse jura ;

4° Aliquando mulieres viris præstant sive propria excellentia, sive viribus aut commodis quæ repræsentant.

Resp. *a)* Principia democratica alibi confutabuntur ;

b) Ex assertis sequeretur pueros habere jus regendi, merito etiam eligerent deputatos et eligerentur ;

c) Ex æqualitate onerum non sequitur jura debere eadem esse ; sufficit virum ista possidere pro tota familia (cf. obj. præc.) ;

d) Mulieribus non imponuntur omnia onera, v. g. militia ;

e) Ex quibusdam contingentibus arguere non licet (cf. obj. seq.) ;

f) Si ex principiis democraticis sequitur mulierem debere deputatos eligere et ipsam posse eligi, novum est incommodum illorum principiorum (cf. M. BORÉLY, *L'appel aux Françaises*, ch. XI, p. 98 : « La violation du principe de la souveraineté du citoyen par le vote des femmes » ; — JORAN, p. 212 sq.)1.

Obj. 4°. Ex factis. Experientia ostendit utilitatem emancipationis feminarum politicæ v. g. in America, in Australia, etc. ; nec comprobat pessimas conjecturas quas in argumento fecimus.

Resp. 1° Jus naturale fundatur in principiis aut in inductionibus rite factis, non in contingentibus omnino particularibus (cf. epist. Card. MERRY DEL

(1) Quidquid sentitur de regimine democratico in communi, confundendum non est cum individualismi placitis : in omni hypothesi oportet familiam remanere unam, cum naturali suo ordine atque decore, et ideo virum servare sua munia capitis : hinc theseos argumenta. Ex individualismo quidem, sicut ex quocumque errore, sequitur quodlibet. Eos vero reprobare non audemus qui censerent jus suffragii emittendi posse quandoque tribui viduis, saltem iis qui pueros minores habent : vide positionem et probationes theseos. Attamen semper timendum est periculum juris illius magis ac magis extendendi. Circa hæc omnia vide infra : de formis gubernii.

Val ad *D. de Mun*, cit. *Année sociale internationale* 1913, p. 30). Unde legitimum est arguere ex indole communi mulieris, non ex eventis in paucis regionibus et per aliquot annos tantum.

2° Facta allata vel nostram thesim confirmant, v. g. in Venedia (Finlande) ubi suffragium feminarum socialismo robur attulit, vel non præbent objectum experientiæ politicæ :

a) v. g. leges quæ in America statutæ sunt magna ex parte ob tale suffragium (v. g. contre l'alcoolisme) nullam aptitudinem politicam supponunt ;

b) partes Statuum-Unitorum ubi ab hinc pluribus annis feminæ deputatos eligunt (et quarum maxima, nuper huic regimini obnoxia, i. e. Colombia, habet circiter 2.000.000 incolas), non sunt independentes, et ipsi Status-Uniti, ob magnam distantiam ab aliis potentibus populis a multis difficultatibus politicis sunt immunes ;

c) multi Americani non habere videntur circa ea quæ familiam decent principia sat rigida : unde minus eis displicent incommoda quæ tamen merito essent damnanda. Vide ceterum documenta quæ a diversis afferuntur : v. g. Joran, *op. cit.*, p. 357 sq., cf. p. 280 sq. ; — Castelein, *Dr. nat.*[3], p. 556 in nota ; — ipsum J. Barthélemy, conclus., p. 595.

De socialibus statibus (classes sociales).

Cathrein ; — Leo XIII, *Questions actuelles*, Encyclique « Rerum novarum » (éd Bonne Presse, III, 31 sq.) ; — Pius X, *Motu proprio*, 8 déc. 1903, éd. Bonne Presse, t. I, p. 109 ; *Lettre sur le Sillon*, 25 août 1910, ibid., t. V, p. 124, vel *Questions actuelles*, t. 108, p. 97, vel *Etudes*, 1910, t. IV, p. 106 ; — Antoine, IV, 3 ; — Sertillanges, *Nos luttes* (lutte des classes) ; — *Questions actuelles*, t. 107, 45, etc. — Descoqs, *A travers l'œuvre de Ch. Maurras*[1], p. 42 sq. ; — Maurras, *Enquête sur la Monarchie*, p. 87 sq., 228 sq. ; — Eymieu, *Etudes*, 1918, t. 3, p. 5 sq. ; — Verdier, *Revue prat. d'Apol.*, 1921 ; — Bourget, *Laurence Albani* ; — *Catéchisme du Sillon*[2], p. 107 sq. et introd. VIII ; — Parodi, *Traditionalisme et Démocratie* ; — Bouglé, *Le régime des castes* ; *Les idees égalitaires* ; — Vandervelde, *Essais socialistes* : religion, spec., p. 145 sq.

Notio. — Ad constitutionem organicam civitatis, præter familias, municipia, ceterasque societates, etiam pertinent *status sociales*, qui, teste historia, quadam sociali necessitate apud omnem fere populum exorti fuerunt.

Definiri possunt : « *Les différentes aggrégations d'hommes exerçant la même profession ou la même industrie, ou se trouvant dans une égale position sociale et par conséquent ayant les mêmes intérêts* » (Antoine, *loc. cit.*).

Formæ diversæ : Pro diversis adjunctis, varias formas exhibent, quarum præcipuæ sunt *status hereditarii* aut *non-hereditarii*.

Status *stricte hereditarii* (« *castes* ») præsertim apud *Indos* reperiuntur, quos ratio tantum nativitatis, faventibus falsis doctrinis circa originem mundi et diversorum hominum, in classes fere conclusas (« *Brahmes* » et « *Parias* ») dividit.

Status *minus stricte hereditarii* passim in *Europa*, præsertim *medio ævo*, vigebant. Minus exclusive respiciebatur nativitas, ita ut ratione meriti quidam ad altiorem classem emergebant.

Status *non hereditarii* fuerunt *quatuor ordines sociales* qui *medio ævo*, fere ubique numerabantur : *clerus, nobilitas, cives*, tandemque *rustici*, quorum multi non erant liberi. Rustici jura politica non possidebant, nec igitur formabant statum politicum. Paulatim vero, Ecclesia impellente, transitus inter servos et liberos, rusticos et cives facilior evasit, et fere sola nobilitas hereditaria remansit.

Sæculo decimo octavo, Rationalismus antiquam et naturalem hanc constitutionem destruxit, et *jurium æqualitas statuta est*. Sed alii status, sociali exigentia, mox invaluerunt[1], qui a multis sic distinguuntur : *classis gubernans, classis aristocratica, tertius* et *quartus status*.

Ista divisio parum stricta et valde mobilis, fere unice in diversitate divitiarum et non in elemento morali fundatur, ac præ se tanta fert incommoda ut multi redire cupiant ad ordinem magis stabilem, scil. ad pristinas classes, mutatis mutandis pro temporum conditione. E contra Socialistæ et *alii multi majorem omnium æqualitatem exoptant*.

Omnes, dicit Parodi, sunt æquales sub respectu dignitatis humanæ et necessitatis socialis. Hinc statuenda est æqualitas conditionum ut quisque possit evolvere suas aptitudines et satisfacere rectis suis tendentiis. Exinde remanebunt inæqualitates ex merito individuali, supprimentur conventiones v. g. tituli fictitii hereditatis (*op. cit.*, spec. p. 226 sq., 252, 288, 302 sq.).

Secundum M. Sangnier, saltem ante epistolam Pii X, optanda est *emancipatio omnium politica, œconomica, intellectualis* cum, excepto religionis ordine, homo sit autonomus. Speciatim : « Le patronat sera si bien multiplié que chaque ouvrier sera une sorte de patron » (*Lettre sur le Sillon*, éd. Bonne Presse, p. 128). « Pour lui (Sangnier), toute inégalité de condition est une injustice ou, au moins, une moindre justice » (*ibid.*, p. 131).

Vandervelde considerat ut irreductibile discrimen inter catholicismum et socialismum : illum admittere, istum rejicere inæqualitates sociales (*op. cit.* spec., p. 145 sq.).

Bouglé contendit ostendere « la puissance de fait des idées égalitaires » (cf. *Les idés égalitaires*, duos ultim. pag.).

Istis adversantes, Summi Pontifices præterita tempora mul-

(1) Cf. Ch. Benoist, *L'organisation du travail*, t. II, conclusion du chapitre sur : La hiérarchie des professions sous l'ancien régime.

tum laudaverunt et classes necessarias esse vehementer affirmarunt (cf. bibl. supra). *Ad eorum mentem sequentia ponemus:*

A) ***Diversitas statuum est necessaria.***

1° Necessario surgit ex inæqualitate concreta inter homines, v. g. ingenii, facultatum, ex conditionibus diversis in quibus exercetur libertas humana, et

2° requiritur propter diversitatem munerum societati utilium.

B) ***Moderata eorum stabilitas utilis est.*** Affert individuis securam protectionem, societati ordinem, harmoniam, pacem.

C) ***Nimia separatio nocet.*** Impossibilitas transeundi ab una classi ad aliam privat unumquemque statum concursu hominum specialiter idoneorum ; favet egoïsmo classis, excitat invidiam ; inde nocet tum progressibus moderatis, tum paci[1].

D) ***Hinc officia.***

1° Auctoritatis. Auctoritati civili incumbit officium omnes protegendi, progressum moderatum promovendi, præsertim adjuvandi debiles.

2° Privatorum. Præcipue notandum est terrenam prosperitatem fini ultimo subordinari. Divites et qui majoribus facultatibus pollent colere debent justitiam et caritatem, pauperes autem patientiam, industriam, et spem in auxilio Dei, quanquam vindicare quædam pro suis est etiam omnino legitimum.

E) ***Circa incommoda inæqualitatis et hereditatis, adversariis magis directe respondemus :***

I. — Finem ultimum plus minusve ponunt in homine et ejus perfectione terrestri, saltem practice. Si Deus est finis absolute ultimus et supremus Dominus, potest inæqualiter benefacere ; ceterum finis secundarius, i. e. perfecta beatitudo, potest optime obtineri cum œconomicis conditionibus pejoribus. Hinc christiana doctrina quam fortiter affirmat Pius X (*epist. cit.* ; — cf. circa auctoritatem documenti : DE LA BRIÈRE, *Les Luttes présentes de l'Eglise*, t. I, p. 36, 37 ; — vide SERTILLANGES, S. Thomas, t. II, p. 309 sq.).

II. — Nota quamdam superioritatem in conditione œconomica requiri : 1° ut partes intellectuales, munera liberalia, cum

(1) Cf. CH. BENOIST, *loc. cit.*, totum caput.

independentia et quadam tranquillitate, quandoque deposita omni corporali cura, peragantur ; 2° aliquando ne desit stimulus valoris acquirendi simul ac præmium meriti excellentis ; 3° ut auctoritas obtineat reverentiam (prestige de la situation sociale).

III. — Rejicere hereditatem, præsertim in nobilitate quæ veris juribus gaudeat, est non agnoscere : 1° solidaritatem ex sanguine, quæ, si alia bona vel jura legitima reddit, non minus ista ; 2° utilitatem stimuli in parentibus ad laborandum et ad virtutes colendas ut transmittant legitimam gloriam et statum acquisitum, v. g. ad amandam patriam : unde orta est nobilitas antiqua ; ad benevolentiam erga homines ejusdem regionis, unde acquiritur affectus erga familiam ; 3° utilitatem educationis melius accommodatæ futuro modo vivendi ; 4° quemdam influxum « atavismi » ad creandas dispositiones faventes ; 5° stimulum exempli et conditionis (« noblesse oblige ») ; 6° stimulum in debilibus ad se committendos protectioni alicujus familiæ, unde stabilitas, pax societatis ; 7° aliquando stimulum ex identitate boni proprii et communis (v. g. pour l'ancien seigneur dans sa province) ; 8° utilitatem « decentralisationis » contra abusus supremæ potestatis ; 9° utilitatem continuationis consiliorum mentisque (v. g. munera hereditaria : pairs)[1].

IV. — Difficultati quam Bouglé ex factis desumit opponimus factum tendentiarum profundius naturalium. Ut dicebat Le Play, veritates utiles oportet constanter revocare, quin animus ex eo frangatur quod multi eas nolunt accipere ; sic tandem optimæ ideæ vincunt.

E) ***De pugna aut de unione inter status sociales*** (de necessitate pugnæ inter status sociales, cf. Sorel, *Réflexions sur la violence ; — Quest. act.*, art. cité ; — *Responsum : Enc. Rerum nov.*, p. 29 sq. ; — cf. infra de *operistitiis* (grèves) ; — Sertillanges, *Nos luttes*, spec., p. 65 sq. et totam primam collat. ; — Lysis, *Vers la démocratie nouvelle*).

---

(1) « Il ne faudrait cependant pas tout attendre pour le bien public de cette hiérarchie, croire surtout que la société ne peut subsister ou prospérer sans le maintien des anciens ordres d'Etat avec leurs attributions traditionnelles, ou encore que toute initiative, pour être acceptable, doit nécessairement partir d'en haut ». (L. Roure, *Anarchie morale*, p. 363, 364).

Sur les conséquences de la solidarité familiale, cf. une note excellente dans Lahr, éd. 23e, t. II, p. 209.

C'est une erreur de croire la tradition opposée au progrès : les mouvements sociaux traditionnels, engendrés par des forces constantes, ont tendance à s'accélérer, à produire comme une force vive puissante. L'incohérence au contraire retarde, épuise. Cf. Bourget déjà cité, préf. du *Tribun* ; — Ch. Maurras, *Enquête sur la monarchie*, loc. cit.

Cf. *La Vie catholique dans la France contemporaine*, quelques jolies et excellentes pages de Lamy sur la Noblesse française, p. 125 sq.

Pugna est malum physicum, ideo licita est tantum ex suppositione (cf. SERTILLANGES, *La phil. mor. de S. Thomas*, p. 103 sq., de moralitate doloris) : sic bellum ex juxta causa.

Insuper violenta revendicatio jurium non est licita privatis. Unio statuum, unio virium et non destructio intendi debet quantum fieri potest, ut medium generatim idoneum prosperitatis etiam terrenæ, quæ insuper ad finem ultimum ordinanda est

Pugna de se non creat, sed epurat ; consilium totius naturæ ad amorem tendit, non ad odium. Hoc fundatur ultimo in ordinatione transcendentali entium ad plenitudinem entis et boni, seu ad Summum Bonum. Ratio humana hanc convenientiam agnoscit et ideo inter creaturas homo perfectius amorem, harmoniam intendere debet ; corrigendo, si potest, deordinationes quæ accidentaliter eveniunt ; nec accipere debet in ordine humano subordinationem quæ aliquando in creaturis inferioribus imponitur debiliori, ita ut ista perire debeat. Homines, ut homines, sunt æquales : addas lumen Evangelii (cf. SERTILLANGES, *loc. cit.* et ejusdem, *Sem. soc.* 1913 : pulcherrima de responsabilitate collectiva).

§ II. — De territorio.

MEYER, t. II, p. 347 sq. ; — NYS, *Droit internat.*, t. I, p. 436 sq. (cum cautela legendum).

A) *De ejus relatione ad constitutionem civitatis duo asserimus.*

1 *Non pertinet ad civitatis essentiam.* Non enim requiritur ut adsit verum corpus politicum, vinculo juridico unitum. Ceterum afferri possunt exempla historica v. g. Hebraei in deserto, Hunni, Vandali.

2° *Sed est necessarium ad perfectionem et quasi integritatem civitatis.* Nam absque territorio determinato, ægre prosperæ esse poterunt agricultura præsertim, nec non artes liberales, scientiæ, etc... Comprobatur historia, cum omnis populus vere excultus sedem habeat fixam, ita ut gentis indoles non parum a territorio pendeat.

B) *Circa jus proprietatis in territorium*, — duplex error fuit jam explicite aut implicite confutatus (cf. th. De socialismo), scil. dominium fundorum debere ad totam civitatem aut ejus auctoritatem pertinere. Ad primum quod attinet, concedimus dictum « *The land to the people* » sed in eo sensu tantum quod extranei non debent majorem partem territorii possidere. Secundus error favebat regio absolutismo.

ARTICULUS IV

DE AUCTORITATE CIVILI

Dicemus : 1° de ejus objectiva extensione ; 2° de modis derivatis quibus acquiritur ; 3° de formis gubernii ; 4° de ejus functionibus.

SECTIO 1ª. — De objectiva extensione auctoritatis civilis[1].

Principia quibus modo generali quæstiones sequentes solvuntur, vel sunt ita evidentia ut vix utile sit ea exponere, vel proposita fuerunt ubi agebatur de fine civitatis (cf. tamen Cathrein circa hanc quæstionem). Hinc statim :

§ 1. — De auctoritatis munere circa libertatem conscientiæ et modernas libertates.

Schiffini, p. 522 sq. ; — *Encycl.* « *Quanta cura* », 8 déc. 1864 ; — *Syllabus :* Prop. 77-79 ; — *Encycl.* « *Immortale Dei* », 1er nov. 1885 ; — « *Libertas* », 20 juin 1888 ; — Vide *Enchir.* Denzinger ; — Vermeersch, *La tolérance ;* — *Dict. apol.*, art. « Hérésie », « Inquisition », etc. ; — Ramière, *Les doctrines romaines sur le libéralisme ;* — Sortais, *La crise du libéralisme.*

1. — Notiones generales et principia.

A). ***De libertate universim.***

Distinguuntur ; 1° *libertas physica* (cf. Psychol.) ;

2° *libertas moralis,* seu immunitas a prohibitione, quæ respondet voci : « licet ». Restringitur magis ac libertas physica, ut patet. Proprio sensu versatur circa actus quos licet ponere aut non ponere, v. g, contrahere matrimonium. Sensu minus proprio versatur circa actus quos nulla prohibitio impedit ponere, sed qui insuper sunt ponendi ; sic aliquando dicitur : non tantum licet mihi talem actum ponere, sed insuper debeo eum ponere.

---

(1) Seu : *de respectiva extensione auctoritatis civilis et libertatis circa diversa objecta.*

Tota hæc quæstio est contra plurimas formas liberalismi, sicut contra errores oppositos, v. g. socialismum. Multa involvit magni momenti : relationes auctoritatis civilis ad religionem, ad scholas, ad quæstionem socialem.

Prænotemus auctoritatem et libertatem non proprie opponi ; cum illius munus sit istam protegere et conditiones præbere ut ad bona et perfecta tendere possit.

3° *Jus*, implicans libertatem moralem, sed connotans amplius obligationem ex parte aliorum hanc libertatem non violandi (cf. *ethic. gen.*).

4° *Libertas interna* et *libertas externa*, sic dictæ ex actibus in quibus se exercent.

Ibi consideramus *libertatem præsertim externam* et *jus* isti connexum, sc. jus quod homo habet ne restringatur ejus libertas externa sive per coactionem physicam, sive per prohibitionem. Qua de re dicere licet in ethica individuali ; merito tamen spectatur ubi determinandus est ambitus auctoritatis civilis, cum libertas externa ad vitam socialem pertineat : hinc fit major unitas inter quæstiones, ut ex dictis patebit.

Assertum. — Jure naturæ, nemo nisi potestate legitima instructus actionem aliquam alterius hominis exigere vel vi impedire potest.

DEMONSTRATIO

PROB. — 1° Secus actum esset de vita sociali.

2° Secundum naturam abstractam homines sunt æquales, ideoque nemo jus habet (per se) voluntatem imponendi aliis, nisi titulo legitimo potestatem specialem habeat (excipe quosdam casus, ratione boni alterius, et defectu superioris ; tunc vi naturæ officium et jus incumbere potest privatis, v. g. crimina atrocia impedire).

B) ***De libertate conscientiæ.***

(Cf. Cathrein ; — Meyer, II, p. 88).

Hac voce multa diversa significantur, nempe :

1) *Immunitas a necessitate physica aut a violentia ab aliis imposita qua impediatur aliquis ordinem moralem servare in actibus internis.*

2) *Libertas conscientiæ stricto sensu, i. e. jus excludens omnem externam co-actionem, qua quis adigatur ad agendum contra certum dictamen conscientiæ.*

3) *Jus excludens omne obstaculum legale quominus quis pro lubitu agat intra limites ordinis moralis, i. e. saltem non inhoneste, in vita sua, sive privata, sive publica.*

4) *Jus opinandi in rebus religiosis et moralibus quid cuique placuerit, intra limites ordinis socialis.*

Circa singula quid dicendum ?

1) *Quoad primum*, unusquisque libertate physica gaudet,

nec ulla est possibilitas ut quis, directe saltem, circa interna ab hominibus impediatur (dicimus « directe », nam indirecte, v. g. per metum gravem, data connexione inter actus internos et externos aliquis potest induci etiam in peccatum internum, v. g. ad voluntatem furandi, blasphemandi ; quo in casu necessitas incussa est injustitia : cf. DE LUGO, *Disp.* 9, n. 1 sq.).

2) *Libertatem conscientiæ stricte dictam* per se adesse ex eo probatur quod Deus nequit sibi contradicere. Prohibet enim hominem agere contra conscientiæ dictamina certa etsi forsan invincibiliter erronea. Ergo nequit concedere aliis potestatem agendi contra hanc prohibitionem, saltem per se.

Per accidens tamen dictamen conscientiæ erroneæ potest collidere cum jure aliorum certo. Tunc isti jus suum possunt defendere, nisi aliud (v. g. caritas) obstat.

3) *Libertas tertio sensu intellecta* exigit etiam naturaliter et per se agnosci, i. e. nisi eam legitima auctoritas ratione finis societatis necessario esse limitandam æstimat. Etenim intra limites ordinis moralis unusquisque per se possidet hanc libertatem quam auctor naturæ concessit ; ideoque jus habet ne ista libertas restringatur, etiam a legitima auctoritate, nisi ratione directionis activitatum socialium in finem civitatis. Ut patet, istæ restrictiones versantur tantum circa eas actiones quas ordo moralis nec (saltem determinate) præcipit, nec prohibet, sed permittit.

4) *Libertas* tandem *ultimo loco enuntiata* evidenter repugnat, cum sit negatio totius ordinis moralis et religiosi.

2. — Applicationes : De libertatibus modernis in specie.

Quatuor libertates fuerunt propugnatæ a CATHOLICIS LIBERALIBUS cum LAMENNAIS : *libertas cultus*, *libertas preli* (*de la presse*), *libertas associationis*, *libertas conscientiæ*. Easdem fere considerat Leo XIII in Encycl. « *Libertas* » (t. II, p. 193 sq.) ; omissa tamen libertate associationis, spectat insuper libertatem docendi, et refert libertatem conscientiæ vel ad libertatem religionis eligendæ, vel ad libertatem conscientiæ proprie dictam.

Tanquam ad *particularia* objecta pertinentes, nobis videntur notandæ *libertates docendi, associationis, preli, cultus.*

Insuper distinguere oportet vitam *individualem* et vitam *socialem.*

His notatis, secundum principia supra posita, quærendum est 1° quænam *jura* sint *per se agnoscenda* tum a privatis[1],

(1) Etsi hoc pertineat directe ad ethicam individualem, hic spectatur ob majorem unitatem expositionis.

tum ab auctoritate civili ; 2° quænam *tolerantia* sit admittenda.

Tolerare est permittere, physice saltem, aliquid malum ; non est igitur per se jus agnoscere. Malum morale non licet tolerare, nisi ad vitandum malum majus (cf. Vermeersch, *op. cit.*, initio).

A) ***De libertate docendi***, cf. quæst. de scholis.

B) ***De libertate associationis***, cf. quæst. sociales.

C) ***De libertate premi :***

1° Ex dictis patet convenire cuilibet jus connaturale vulgandi scripto quicquid non est malum nec aliis nocet.

2° E contra vulgandi scripto *doctrinas nocivas* nullum jus per se adest. Si doctrinæ ex natura sua inducunt in peccatum, quin veritati officiant, eas divulgare est saltem contra caritatem (v. g. si divulgatur scientia chemica de modo conficiendi « explosiva » aut partes quædam scientiarum naturalium, ut in quibusdam libris quos magistri laici pueris tradiderunt). Si insuper pervertunt veritatem ut excitent ad peccatum, adest peccatum injustitiæ.

3° Si bona fide aliquis nocivas theorias velit exponere, poterit legitime impediri, imo generatim hoc requiritur. Excipe casum quo timeretur majus malum, v. g. perturbatio socialis.

Hæc omnia sequuntur ex principiis modo expositis de libertate conscientiæ (cf. Schiffini, *Eth. spec.*, p. 522).

D) ***De libertate religionis et cultus.***

a) In vita individuali :

1) *Quoad libertatem internam*, aut supponitur non constare homini de facto *revelationis positivæ*, aut constare. In priori casu, vel factum penitus ignoratur, tunc saltem adest officium et jus inquirendi quid Deus velit in ordine naturæ ; vel jam aliquomodo nuntiatur, tunc oportet inquirere de realitate facti. In posteriori casu, adest officium se subjiciendi religioni revelatæ.

2) *Quoad libertatem externam.*

Nemo cogi potest ad fidem amplectendam : (*a*) res evidens est pro eo cujus conscientia dictat fidei actum esse peccatum, v. g. pro mahomedano qui putat religionem catholicam esse falsam ; (*b*) principium manifestum est etiam pro aliis. Fides enim involvit actum essentialiter liberum : « credere voluntatis est » (I^a, II^æ, q. 10, a. 8). Repugnat cogere ad hunc actum internum directe aut indirecte sc. impellendo ad externum testimonium (Encycl. « *Immortale Dei* », p. 43 ; — Ver-

MEERSCH, p. 59). Ceterum ante actum fidei aut habitum acceptum in baptismo nemo subjicitur Ecclesiæ (DE LUGO, d. 19, s. 2, p. 73). Sed potest infidelis impediri ne noceat fidelibus. Insuper qui jam fidem professi sunt possunt compelli ad tenendam promissionem (S. THOMAS, *loc. cit.*, ad 3^{um} ; — cf. etiam q. XI, a. 3 ; q. X, a. 6). — Nota fidem numquam amitti absque culpa, quamvis aliquando forsan citra culpam hæreseos formalis ; nota etiam jura Ecclesiæ, data promissione.

Attamen P. Vermeesch aliique existimant auctoritatem religiosam, tempore inquisitionis, non egisse contra hæreticos *ex jure Ecclesiæ*, directo vel indirecto, eos per vim cogendi ; sed vel *ex suprematia temporali* a populis libere accepta, vel præsertim ex munere spirituali docendi, *monendo principes* de officio firmandi pacem in suis regnis contra « delictum sociale » hæreseos. (VERMEERSCH, *op. cit.*, p. 300 sq. ; *de jure gladii*, cf. p. 65 sq., 185 sq.).

b) In vita sociali (Encycl. « *Libertas* », t. II, p. 187 sq.).

Tres sunt sententiæ liberalismi :

1^{a} *sententia*. Homo est independens a Deo quoad vitam socialem : sic ROUSSEAU (*Naturalismus* seu *Rationalismus*). Hinc civitas qua talis non tenetur ad Deum agnoscendum atque colendum.

2^{a} *sententia*. Homo est independens a revelatione supernaturali, quoad vitam tum socialem, tum etiam individualem (DEISTÆ).

3^{a} *sententia*. Homo est independens a revelatione supernaturali, quoad vitam socialem. Sic LAMENNAIS et *Catholici liberales*[1], qui volunt plenam separationem civitatis ab Ecclesia.

Istæ opiniones refutantur in th. sequentibus, collata præcedenti expositione principiorum circa vitam individualem.

THESIS LXIII. — Auctoritas civilis tenetur ad religionem protegendam, — et ad promovendum cultum socialem.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I^{a}.

PROB. — Auctoritas civilis tenetur tueri necessarias genera-

(1) Vide apud dom BESSE, *Le catholicisme libéral* (1911), brevem conspectum historicum : facta exacte parantur, at forsan cum mente nimis aspera adversum liberales. Circa diversas sententias liberalismi, cf. DE PASCAL, *art. cit.*, et EMONET, art « Laïcisme » in *Dict. apol. d'Alès.*

lesque conditiones tum prosperitatis omnium, tum conservationis et rectæ ordinationis civitatis.

Atqui ut facile apparet, talis est religio.

Ergo...

COROLL. 1° Jam indirecte probatur aliquatenus pars secunda. Nam difficile est auctoritati protegere religionem, nisi ipsa præbeat exemplum, publice agnoscendo Deum in constitutionum formulis, injungendo publicas ceremonias in solemnibus circumstantiis, v. g. initio sessionum, post victorias, per calamitates, etc...

2° Eodem modo probatur necessitas protegendi bonos mores, v. g. mulierum et puerorum qui laborant extra domicilium ; item prohibendo nocivas publicationes. Ut patet, non pertinet directe ad civitatem nisi *publica* honestas, i. e. conformatio societatis quæ non noceat virtuti, ei autem positive faveat.

PARS II^a.

PROB. — Civitas qua talis, ideoque etiam civilis auctoritas, tenetur ad Auctorem, Supremum Dominum et Benefactorem agnoscendum, ad ejus auxilia impetranda, eique gratias exhibendas.

Atqui hoc est cultus socialis. Ergo (Cf. Encycl. *Immortale Dei*, II, p. 21).

N. B. — Argumentum indirectum ex 1^a parte desumptum (coroll. 1 supra) ostendit cultum socialem Dei involvi in fine jam statuto civitatis, scil. prosperitate publica. Hoc respondet objectioni quæ ex consideratione istius finis oriretur contra 2^am partem.

3. — De relatione inter Ecclesiam et civitatem.

Syllabus ; — Bulla « *Unam Sanctam* » (1302). — Encycl. « *Mirari vos* » (1832) ; — Encycl. « *Quanta cura* », et aliæ ut supra ; — Pius X, *Encycl.*, 11 fév. 1906, post separationem, t. II, p. 122 sq. vel *Etudes*, 1906, I, p. 577, cf. *ibid.* d'Alès : sur une tombe ; — Bellarmin, *De Rom. Pontif.*, I, 5, c. 7 ; — Suarez, *Def. fidei*, I, 3 ; — Tarquini, *Juris ecclesiastici publici institutiones* ; — Liberatore, *Le droit public de l'Eglise* ; *L'Eglise et l'Etat* ; — Mollart, *L'Eglise et l'Etat* ; — (minus recte) Emile Olivier, *L'Eglise et l'Etat au Concile du Vatican* ; — Dudon, *Dict. apol.* art. : « Concordat » ; — Arguillière et Dubruel, *ibid.*, art. « Gallicanisme » ; — Dublanchy, *Dict. de théol.*, art. : « Eglise », VII, c. 2210 sq. ; — Janvier, *Carême de 1919* ; — M^gr d'Hulst, 1895 ; — M^gr Pie, *Instructions synodales*, II, p. 346 ; III, p. 128 ; V, p. 29 ; — Sertillanges, *Le patriotisme et la vie sociale* ; — Descoqs, *Monophorisme et Action française* ; — M^gr Baudrillart, *Quatre cents ans de concordat* (cf. *Docum. cath.*, 27 mars 1920) ; — de la Brière, *Dict. apol.* art. : « Pouvoir pontifical dans l'ordre temporel » (2^a pars).

Hæc quæstio, quamvis theologica, ibi tractanda est ut complete solvi possint alia problemata, præsertim de scholis, et de conditione opificum. Argumentis philosophicis utimur, ex theologia desumentes tantum facta quæ pertinent ad originem, finem, naturam Ecclesiæ :

a) ***Origo Ecclesiæ***. A Christo instituta est, ut constat ex solemni affirmatione : « Tu es Petrus ». Hic textus non est unica probatio, sed resumit totum opus Domini Nostri, quale in Evangelio narratur et in multis effectibus per sæcula se manifestat.

b) ***Finis*** est sanctificare homines et eos ducere ad vitam æternam, simul per doctrinam et gratiam : « Euntes ergo docete omnes gentes ; ... sine me nihil potestis facere ».

c) ***Natura***. Est 1° *regnum spirituale*, ut ex suo fine patet ; 2° et *simul visibile*, ut inter homines se extendens et per media eis proportionata : « fides ex auditu ». — Est « civitas supra montem posita ». Ei homines se adjungere debent per baptismum, signum visibile gratiæ. 3° *Vera est societas*, 4° *juridice perfecta*, i. e. independens et quæ sibi sufficere potest (*Encycl. Immortale Dei* : éd. Bonne Presse, p. 25), 5° *quam regunt Episcopi*, simul doctores et pastores, ut ab exordio Ecclesiæ appareret, 6° *et super eos Pontifex Summus, vera, propria et immediata jurisdictione instructus* in omnes fideles, qui toti Ecclesiæ et speciatim Episcopatui præbet unitatem. Totum ædificium in hoc unico fundamento exstructum est : « Tu es Petrus et super hanc petram... » (cf. *Encycl. Immortale Dei*, p. 23-27).

Consequentia immediata : *Cura directa religionis in ordine supernaturali jam non competit civitati.*

His positis, quæritur num et quænam sit relatio juridica, aut strictius relatio inter jurisdictiones Ecclesiæ et civitatis.

THESIS LXIV. — Separatio inter Ecclesiam et civitatem rejicienda est.

STATUS QUÆSTIONIS

Errores :

Protestantes subjiciunt Ecclesiam imperio et illi denegant potestatem juridicam.

Regalistæ (Marsilius, Richerus, Portalis) Ecclesiæ concedunt potestatem ministerialem, nomine populi et principis.

Gallicani tuentur independentiam omnimodam principum in temporalibus ; in mixtis subdunt Ecclesiam principi.

Liberales aut nullam auctoritatem religiosam admittunt (*naturalismus*, *rationalismus*), aut nullam auctoritatem religiosam juridicam.

Catholici Liberales vindicant plenam independentiam utriusque potestatis in suo ordine (Em. Ollivier, I, p. 79 ; — De hodierno liberalismo, optime de la Brière, *Les luttes prés. de l'Egl.* t. II, p. 88 sq. ; — Moulart², p. 106 sq.).

Sententia catholica declaratur. — Confutamus omnes istas opiniones partim in hac thesi, partim in sequenti. In præsenti *separationem rejicimus*, nempe *regimen in quo civitas Ecclesiam considerat ut rem mere privatam, exindeque omnes cultus æque tolerat.* Attamen non negamus istam *tolerantiam aliquando* et *per accidens* esse admittendam ratione minoris mali.

Nota theseos : metaphysice certa, iis positis quæ ex theologia desumpsimus.

DEMONSTRATIO

PROB. 1^m. — Christus, dum Ecclesiam instituit, non potuit velle regimen deordinatum, perturbationibus obnoxium. Atqui tale esset regimen separationis. Sæpe enim duæ exercendæ sunt jurisdictiones in eosdem subditos et in eamdem materiam, vg. quoad dies festos, matrimonia. Hinc si civitas ignorat Ecclesiam, erit necessario conflictus.

PROB. 2^m. — Civitas in præsenti ordine a Christo instituto, tenetur Deo tribuere cultum catholicum. Atqui talis obligatio importat relationem inter jurisdictiones.

Ergo...

Prob. maj. — Debetur enim Deo solus cultus quem ipse vult (sed cf. thes. præc.).

Declar. et prob. min. — In spirituale, civitas non habet jurisdictionem, ut probatur in thesi sequenti et statim apparet ex fine Ecclesiæ. Sed dato quod civitas cultum Deo tribuere debet catholicum, istius ordinationem ab Ecclesia petat necesse est ; ipsa vero magistratibus, officialibusque aliis præcipiet ut cæremoniis adstent, et quædam cum cultu sociali connexa instituet.

Exinde apparet *relatio inter jurisdictiones*, sicut in *ceteris rebus « mixtis »* scil. *simul religiosis et civilibus :*

Cf. Encycl. PIE X « *Vehementer* » 11 fév. 1906 (Etudes, l. c., p. 579, 580 vel ed. Bonne Presse, II, p. 127) et Encycl. LEONIS XIII, « *Immortale Dei* », l. c. ; — DE LA BRIÈRE, t. II, p. 3 sq. ; 488 sq. ; — SORTAIS, *Et. phil. et soc. :* I, Intol. relig.

COROLL. — *Plena libertas cultuum, per se concessa, est injuria Ecclesiæ inflicta, cum sit denegatio muneris et juris exclusivi ejus in spiritualibus, et sic æquivaleat separationi.*

THESIS LXV. — Civitas in rebus mere civilibus ab Ecclesia non pendet, — nec Ecclesia a civitate in moralibus et religiosis. — In mixtis vero, si mutua conventione concordia non obtinetur, supremum judicium competit Ecclesiæ.

Nota theseos: omnino certa.

DEMONSTRATIO

PARS I[a]. — Civitas... non pendet.

Cf. *Encycl. Immortale Dei* : éd. Bonne Presse, II, p. 27. — Circa obj. ex *Bulla Unam sanctam*, cf. Moulart[2] (p. 209, sq. ; — vide speciatim p. 214 : a).

PROB. — Civitas hac gaudet independentia quam ante institutionem Ecclesiæ habebat et cui limites fuisse appositos probari non potest.

Atqui talis est independentia in rebus mere civilibus.

Ergo...

Prob. min. Limites non haberent rationem nisi ex fine Ecclesiæ. Atqui finis Ecclesiæ (sanctificatio animarum) hos limites non postulat. Ergo...

Confirmatur auctoritate : Explicite docetur a Leone XIII in *Encycl. Diuturnum*, *Immortale Dei*, *Sapientiæ Christianæ*. Idem asserit S. Thomas in II, dist. 44, q. 2, a. 3 ad 4 (textus citantur apud Cathrein).

PARS II[a]. — Nec Ecclesia... religiosis.

PROB. — 1° Hanc independentiam habet Ecclesia quam Christus voluit ei conferre.

Atqui Christus voluit Ecclesiam in rebus spiritualibus esse independentem.

Ergo...

Prob. min. — a) *Ex factis, quæ testantur voluntatem Christi.*

Christus affirmat suam potestatem regiam, v. g. coram tribunalibus : « Rex sum ego. » (Jo. 18, 37) ; « data est mihi omnis potestas in cælo et in terra ; euntes ergo docete omnes gentes » (Matth. 16, 19); cf. alios textus in *Encycl. Immortale Dei*, p. 25, 26, et apud Liberatore, *Droit public de l'Eglise*, p. 88, sq. (præsertim, p. 91 : S. Jo. Damasceni ; p. 93 : Sti Petri). Ex primo textu (Jo. 18, 37) Liberatore sic arguit, p. 83, sq. : Christus non est rex sine regno, nec habet regnum sine juribus

supremis. Sed Dominus Noster mittit apostolos ut peragant opus quod Ipse incepit : « euntes ergo... » Regnum Ejus perdurat et est ipsa Ecclesia... Sic intellexerunt apostoli ab initio ; et egerunt tanquam potestate Christi instructi, etiam contra humanos legislatores et reges.

b) *Ex necessitate finis Ecclesiæ.* Ecclesiæ Christus finem assignavit necessario attingendum, ad quem igitur aptis facultatibus debuit eam instruere. Porro talis ordinatio et dispositio involvit Ecclesiam plena libertate gaudere, non posse impediri in ministerio ; ideoque non pendere a civitate. Hæc independentia præsertim necessaria esse videtur, spectatis diversitate gentium et regnorum mutabilitate : hinc enim, si Ecclesia civitatibus subjiceretur, perpetuæ variationes in dispositione ejus legum et modo agendi exigerentur, cum maximo detrimento animarum.

c) *Ex præstantia Ecclesiæ.* Christus velle non potuit potestatem altiorem ab alia pendere. Atqui Ecclesia altior est civitate, ut patet ex origine et fine. Ergo...

PROB. — 2 : ex thes. 19, 20, 44 in Syllabo. Cf. *Conc. Vatic.*, s. 4, c. 3 ; — et Pii X, *Encycl.* 11 fév. 1906 (éd. Bonne Presse, t. II, p. 132 sq. ; *Etudes*, 1906, I, p. 582-585). — Vide priores textus apud Cathrein.

COROLL. — Ex 1ª et 2ª parte eruitur *nullam esse potestatem directam Ecclesiæ in statum aut vice versa*, saltem si spectatur *relatio inter jurisdictiones ut tales.* Vocatur enim *potestas directa* ea quæ *ex proprio fine immediate* enascitur et versatur circa *proprium objectum* : cf. Suarez, *Def. fidei*, l. III, c. 5, n. 2 (Ferretti, III, p. 416), Bellarmin, *De Rom. Pontif.*, L. V., c. 6, et alia apud Ferretti ; *Bullam « Unam sanctam »* apud Moulart, p. 214, a) : *Potestas* autem *indirecta* ea est quæ enascitur *mediate ex proprio fine*, et versatur circa *materiam connexam cum proprio objecto*, sicut fit « *ex directione* » *finis potestatis inferioris « ad finem altiorem et ad superiorem et excellentiorem potestatem pertinentem »* (Suarez, l. c.) ; cf. celebrem textum : « Le roi [Philippe le Bel] ne peut nier, non plus qu'aucun fidèle, qu'il ne nous soit soumis à raison du péché » (Boniface VIII, apud Moulart, l. c.). De ista potestate indirecta agitur in 3ª parte.

PARS IIIª. — In mixtis vero...

Affirmamus *judicium supremum* in *rebus mixtis*, seu *pertinentibus ad utrumque forum* competere Ecclesiæ.

Hoc involvit *ejus potestatem in his rebus non proprie tem-*

poralem, sed indirectam in temporalia. Etenim, ut patet, hoc *judicium supremum* intelligendum est *efficax, cui auctoritas civilis debet se submittere.* De natura autem hujus efficaciæ, videas Scholion I infra post argumenta.

Supponitur insuper auctoritatem civilem esse *christianam* ; secus non esset sub jurisdictione Ecclesiæ.

PROB. — 1° Jam probatum est (th. 64) adesse *relationem inter jurisdictiones* Ecclesiæ et Status.

Atqui hæc relatio nequit esse nisi judicium supremum quale fuit explicatum, seu potestas *indirecta Ecclesiæ in temporalia.*

Ergo...

Prob. min. — Relatio inter jurisdictiones Ecclesiæ et Status vel est potestas *directa* unius societatis in alteram, vel potestas *indirecta Status in Ecclesiam* vel potestas *indirecta Ecclesiæ in Statum* seu *in temporalia* (quæ cum spiritualibus miscentur).

Atqui *non 1um*, ut apparet ex 1ª et 2ª parte (cf. coroll. præc.) ; *non 2um*, ut ex argumentis 2æ partis jam eruitur : nempe repugnat societatem longe præstantiorem ab alia pendere, præsertim cum magnis incommodis et periculis respectu finis maxime necessarii. Ergo 3um.

PROB. — 2° *ex doctrina Ecclesiæ.*

Clare docetur ab INNOCENTE III in decretali « Noverit » (*Decret.*, l. 2, tit. 1, c. 13). Cf. ejusdem decretum « Solita » (*Decret.*, l. 1, c. 33). — Idem asserit BONIFACIUS VIII in Bulla... *Unam Sanctam* » : « Oportet gladium sub gladio et temporalem spirituali subjici potestati. » Etiam constat ex prop. 24 damn. a Pio IX in *syllabo.* Consentiunt THEOLOGI, v. g, S. THOMAS (IIª IIæ, q. 60, a. 6, ad 3m), BELLARMIN (*De Rom. Pontif.*, l. 5, c, 7), SUAREZ (*De leg.*, l. 4, c. 9 ; cf. textus apud CATHREIN).

SCHOL I. — De natura potestatis indirectæ. — Duæ sunt præcipuæ sententiæ (MOULART, *op. cit²*., p. 175, sq. — breviter, DD. PAQUET, *Dr. public de l'Egl.* (1908), p. 206 sq.).

1ª Sententia est Bellarmini *(De controversiis Christianæ fidei*, et cf. *Tract. de pot. Smi Pontif. in rebus temporalibus, adversus Gulielmum Barclaium).*

Summus Pontifex « *habet in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de rebus temporalibus omnium christianorum* (Controv. *De Rom. Pontif.*, l. v. c. 6, § Explicanda). » spiritualis [potestas] non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut antequam [ambæ potestates] essent conjunctæ, dummodo non obsint fini spirituali aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale

quid accidat, spiritualis potestas debet *coercere temporalem omni ratione ac via, quæ ad id necessaria esse videbitur* » (in eod. cap., cf. Ferretti, III, p. 419).

2ª sententia est franciscani Bianchi de Lucca (*Della potestà e della polizia della Chieza*, Roma, 1748). Summus Pontifex :

a) *dijudicat* et *declarat* quæ sunt *contra mores et religionem*,

b) potest *punire principes*, et eos *sic cogere ad conformandam legislationem regulis ethicæ et religionis.*

Ut patet, addenda est aut potius præsupponenda obligatio indirecta, quæ pro auctoritate civili enascitur ex præscriptionibus Ecclesiæ in rebus mixtis. Eo ipso quod Ista statuit fore tales dies festos v. g., jam civilis potestas nil gerere potest quod tali ordinationi contradicat.

Quamvis 1ª sententia per tria sæcula (XVI-XVIII) prævaluit, forsan sufficit 2ª ad facta explicanda et plenam efficaciam potestatis ecclesiasticæ ut finis spiritualis attingatur salvandam (cf. tamen Tarquini (n. 55 sq.) ; — Liberatore, *Dr. public.*, n. 256 sq. præsertim).

N.-B. — *Circa jus gladii*, cf. Vermeersch, *La tolérance* ; ejusd., *Etudes*, 1911, I, p. 433 ; — de la Brière, *Les luttes prés. de l'Egl.*, 1913, p. 125 sq ; — Discors, *Monophorisme et Action française*, p. 135 sq., et Optimum textum J. Guiraud, cit. ap. Sortais, *Et. phil. et soc.*, append., p. 413 ; — *Dict. de théol.*, art. « Hérésie », répression. — *De natura quarumdam relationum specialium inter Eccles. et statum* : cf. Dudon, art. « Concordat », initio.

SCHOL. II. — Attendendum est quod *in spiritualibus* non datur potestas *directa Ecclesiasticæ jurisdictionis* in *civilem jurisdictionem*, nam ibi *civitas nullam habet jurisdictionem.* Sed tota societas politica in iisdem simpliciter subjicitur Ecclesiæ sicut privati homines.

SCHOL. III. — Recte dicitur civitas *influere indirecte in res religiosas*, scil. mediis temporalibus, v. g. pœnas infligendo violatoribus. In eo non sibi subjicit indirecte Ecclesiam, sed e contra. Nempe ille influxus præcise exercetur ratione connexionis temporalium cum spiritualibus, hinc subest potestati indirectæ Ecclesiæ. Distinguas ergo *actionem indirectam* et *potestatem indirectam.*

(Cf. Cathrein : textum Bonifacii VIII).

Obj. : Auctoritas civilis, in quantum habet officia erga Ecclesiam, in tantum jus habet curandi de Ecclesia. Atqui tale jus est jurisdictio. Ergo.

Resp. *Nego minorem:* non enim omnis actus auctoritatis, ut talis, est actus jurisdictionis. Auctoritati competunt jura connexa cum exercitio jurisdictionis, v. g. jus curandi de modo quo recte exercenda est jurisdictio.

Obj. contra partem III. Cf. Moulart, *op. cit.*, p. 205, speciatim dif-

ficultatem D. Gladstone : sed omnia temporalia connexa sunt cum spiritualibus ! — *Responsum* facile est, præsertim in 2ª sententia exposita in 1ª scholio. Nullam jurisdictionem habet Ecclesia, ne indirectam quidem, in ea quæ non generant conflictum cum fine spirituali.

§ 2. — De educatione et scholis.

Dict. de théol., art. « Ecole » (Moisant) ; — *Dict. apol.*, art. « Instruction de la jeunesse » (Sortais et alii) ; — Grivet, *Etudes*, 20 mai 1910. — Macabiau, *ibid.*, 20 juin 1911 ; — Wernz, *Jus Decretalium*, t. III, p. I, p. 54 sq. ; — Lavolée, *L'Etat, le père et l'enfant* ; — Vigué, *Le droit naturel et le droit chrétien dans l'éducation* ; — de Lamarzelle, *La crise universitaire* ; — Goyau, *L'école d'aujourd'hui* ; — *Quest. act.* passim ; — Alia innumera diversi valoris ; — de la Brière, *Les luttes prés. de l'Egl.*, passim.

Circa historiam quæstionis : *Dict. apol.* l. c. ; — Aug. Sicart, *L'éducation morale et civique avant et pendant la révolution* ; — Balmès, *Protest. comparé au cathol.*, II, c. 41 ; — *Etudes*, 1872, I. 364 ; — *Mémoires du clergé de France*, I, col. 845 sq., 969 sq. VI, col. 228 ; — Alia apud Meyer, II, 702 ; — *Nouv. relig.* 1918, p. 162 sq.

Documenta Ecclesiæ : *Acta et decreta S. Conc.*, coll. Lac. IV, col. 1075 ; V, 211 et 453 ; VII, 627 ; — *Encycl.* Leonis XIII : « *Officio sanctissimo* » 1887, « *Affari vos* » 1897 ; — *Déclaration* des Evêques, *Etudes*, 1908, IV, p. 5 ; — *Lettre collective*, 14 sept. 1909 ; — Mgr Nègre, *Doctrine du Saint-Siège sur les écoles* ; — *Nov. cod. juris canonici* : c. 1372 sq.

Ad delimitandum *munus auctoritatis civilis* etiam sunt agnoscenda *officia et jura parentum et Ecclesiæ* : quæ omnia simul ibi spectantur, ut appareat rerum connexio. Hinc :

I. — DE MUNERE JURIBUSQUE PARENTUM

A) *In ordine naturali.*

THESIS LXVI. — Officium et jus directe curandi educationem liberorum per se competit solis parentibus.

STATUS QUÆSTIONIS

Explicantur termini.

1° « *Per se* », i. e. *natura sua, secluso v. g. facto accidentali negligentiæ aut incapacitatis parentum.*

2° « *Directe* » i. e, *propria cura seu ordinatione.* Familia potest quidem eligere magistros, ad hoc autem non tenetur et magistri non sunt nisi ejus delegati. Talibus vere libere committere pueros est adhuc *propria ordinatione* eos educare. E contra Status per se quidem officium et jus habet quodammodo invigilandi ut pueri rite educentur, non per se eorum curam directe assumendi.

3° *Educatio* definiri potest *indolis et ingenii efformatio*, vel cum S. Thoma : « *traductio et promotio prolis usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis*

status ». (Suppl., p. 41, a. 1 ; — cf. DE LA VAISSIÈRE, *Psychol. pédag.*, p. 1 sq., vide p. 5 ; — LAVOLÉE, *op. cit.*, p. 238).

Includit quamdam instructionem ; ab acquisitione scientiarum specialium tamen, ut patet, distinguitur (C. G., III, 12,2 : « Rursus considerandum »).

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — (COSTA-ROSSETTI, p. 432 ; — FERRETTI, III, 112 ; — Contra Gent. III, C. 22 ; — Suppl. l. c.).

Officium directe curandi educationem liberorum per se competit solis parentibus. Ergo etiam jus.

Prob. ant. — 1) *Ex ratione harmoniæ in naturæ operibus.* Quibus exclusive competit aliquis finis naturalis, exclusive incumbit etiam naturale ejus complementum, *quoties saltem sunt istius complementi capaces.*

Atqui cura directa educationis est naturale complementum procreationis prolis et *per se parentes hujus curæ sunt capaces.*

Ergo...[1]

2) *Ex idoneitate exclusiva parentum.* Iis solis per se competit officium directe educationem liberorum curandi qui per se *soli* sunt capaces idoneæ educationis.

Atqui ob maximam conjunctionem cum liberis et mutuum naturalem amorem, soli parentes per se sunt capaces molesti muneris educationis.

Ergo...

3) *Ex naturali indigentia prolis.* Educatio pertinet ad eos qui beneficium vitæ ita conferunt, ut liberi naturaliter, secluso illo complemento, in gravi necessitate tum materiali, tum spirituali versentur. Secus auctores vitæ per se essent causa tantæ indigentiæ,

Atqui tales sunt parentes.

Ergo...

Hoc confirmant *usus populorum* et *analogia cum regno animantium* (MOISANT, *art. cit.*, col. 2082).

Prob. conseq. — 1) Quantum se extendit *officium*, tantum et

---

(1) *a*) Ne dicas thesim probari *ex fine matrimonii.* Potius necessitas et finis matrimonii probantur ex præsenti consideratione. — *b*) Si non constaret capacitas complementi, nihil probaretur ut patet. V. g. activitates naturales privatæ indigent compleri *civitate*, ut vidimus in thesi de fine istius.

jus, cum istud sit præsidium libertatis in observatione ordinis moralis. Ergo parentes per se jus habent pueros educandi.

2) Hoc jus frustra esset, si possent ab aliis frustrari. Ergo illud per se habent exclusive.

Obj 1ª. Infantes sunt membra civitatis. Ergo ei committuntur.

Resp. *Dist. antec.* : Immediate, *nego* ; mediante familia, *conc.* ; — *pariter dist. conseq.* : *per se*, seu ex proprio fine et *directe* seu propriis curis, *nego* ; — per accidens seu defectu familiæ et *mediante*, — quantum fieri potest, — *ipsa familia, conc.*

Obj 2ª. Per se auctoritas officium et jus habet bonum commune procurandi. Atqui bonum commune multum pendet ab educatione. Ergo.

Resp. *Conc. maj. et min.* ; *nego conseq.* — Aliud est enim bonum commune pendere ab educatione, aliud idem bonum in educatione partim consistere. Bonum commune per definitionem est istud quo privati quidem indigent, sed quod nequeunt assequi propria activitate. Porro generatim activitates privatæ, scil. familia aut ejus delegati sufficiunt ad educationem qua pueri ad vitam vere humanam efformantur. Tum experientia, tum prioritas familiæ relate ad civitatem hoc ostendunt (cf. nostrum arg.). Ceterum hæc educatio rite data de se tendit ad bonos cives instruendos (Meyer, II, p. 710). E contra « l'État a trop d'enfants pour être bon père de famille » (Clemenceau : *Sénat*, 30 oct. 1902).

Quoad specialia studia aut necessitates accidentales, vid. infra.

Obj. 3ª. Rousseau dicit parentes nomine civitatis pueros educare ; sed quia falso supponit societatem esse fontem omnium jurium. Cf. DD. Baudrillart, *L'enseignement cath. dans la Fr. contemp.*, p. 379 sq.

B) *In ordine supernaturali.*

1° Ordo supernaturalis *non tollit munus parentum*, sed *urget* et *auget* ex triplici capite : ex majori cognitione finis hominis, ex sublimiori indole ejusdem finis, ex clara notione a Christo allata et malitiæ scandali et consequenter responsabilitatis præsertim in materia educationis (Moisant, col. 2083 ; — can. 1113 et 1372 in *novo Codice*).

2° *Quidquid pertinet ad religionem pendet directe ab Ecclesia ; hinc etiam educatio religiosa.* Tamen circa istam *parentes* sunt « *mandatarii nati* », ut apparet ex connexione inter educationem profanam et religiosam, ita ut Ecclesia non possit absque ratione eorum munus aliis committere.

Ut patet, agitur tantum de pueris baptizatis, cum alii non subjiciantur Ecclesiæ (IIª IIæ, q. 10, a. 12 ; — Ferretti, III, p. 122). — Non contra est modus agendi Pii IX erga Mortara cum iste ab ancilla fuisset baptizatus ob periculum mortis.

COROLL. — De schola inferiori. — Cum scholæ elementariæ ex indole sua sint extensio familiæ respectu educationis, obligatio et jus eas erigendi per se primario isti incumbunt ; defectu ejus pertinent secundario ad pagos, ultimo loco ad

civitatem, secundum munus suppletivum istarum communitatum.

II. — De munere et juribus auctoritatis civilis.

THESIS LXVII. — In re educationis, tum monopolium status, tum, per se saltem, obligatio scholaris sunt rejicienda.

1) Plura sunt distinguenda (MEYER, p. 703) :

1° Agitur ibi præsertim de quæstione *philosophica*, non *canonica* ;

2° De scholis ad *educationem* pertinentibus *ex fine proprio* et *principali*, non de iis quæ *educationem præsupponunt* et ad scientiarum culturam aut ad particularem statum præparant (*Universitates*, *Academiæ*).

3° Directe de « *thesi* », quamvis indicetur simul quid sentiendum sit de « *hypothesi* » ; cf. infra exceptiones circa obligationem scholarem.

4° Distinguere oportet modos diversos quibus liberi pendeant ab *Ecclesia* et a *Statu*. Ecclesia enim habet jurisdictionem *directam* in educationem tum *religiosam*, tum *moralem* (vi intimæ connexionis inter istas). Status autem *nullam potestatem directam* habet in educationem, *etiam civilem*, puerorum, cum hæc etiam obtineatur naturaliter ex privata activitate ; ita ut parentes nullo modo sint « mandatarii publici ».

5° Tandem discernenda sunt ea jura quæ Statui competunt *primario* et *proprie* seu *independenter a concessione Ecclesiæ*, et jura quæ ad eum pertinent *secundario* et *subsidii instar*, nempe *approbante et concedente Ecclesia* (MEYER, n° 676).

2) Quid concedimus Statui modo generali ?

Concedimus ei competere *jus providendi instructioni in litteris et scientiis ratione boni socialis*, et consequenter *jus directionis scholarum, in quantum finis civitatis hanc postulat.* Talis directio importat saltem in thesi generali quamdam *vigilantiam* ne bonum publicum lædatur (*Schema* CONCILII VATICANI : ACTA ET DECRETA S. CONCIL., coll. lac. VII, col. 628 et *alia doc. cit. in bibl.* ; — P. WERNZ, l. c,, p. 57).

3) Quid de monopolio et obligatione scholari ?

Monopolium in eo consistit quod *status sibi vindicat jus exclusivum aperiendi scholas* ;

Obligatio scholaris, in eo quod *cogit parentes ad mittendos pueros in scholas* (*sed forsan cum libertate eligendi scholas privatas*).

Porro asserimus 1° *Monopolium semper esse rejiciendum, sive adnexam habeat, sive non obligationem scholarem* ; 2° *istam autem, etiam secluso monopolio, per se saltem esse reprobandam*, etsi forsan dari possit exceptio.

Unico principio intendimus hæc probare.

Nota theseos. — Ut ponitur, certa saltem moraliter ; imo esset metaphysice certa, si monopolium per se tantum rejiceretur, præscindendo ab exceptione possibili.

DEMONSTRATIO

PROB. — Spectato ordine mere naturali, auctoritas civilis nequit restringere privatas libertates, nisi quoties bonum publicum saltem moraliter hoc exigit (cf. supra : *de fine civitatis*).

Atqui nec *monopolium unquam* (*sine aut cum obligatione scholari*), — nec, *per se saltem, obligatio scholaris* exiguntur a bono publico, et ex alia parte evidenter restringunt libertates privatorum.

Ergo...

PROB. MINOR PER PARTES :

A) QUOAD MONOPOLIUM.

1° Ex una parte monopolium tollit aut valde restringit : *a*) libertatem parentum circa educationem (cf. *St. Q.* 1, 2° et th. 66) ; *b*) naturalem libertatem docendi.

2° Ex alia parte bonum publicum non exigit has restrictiones, cum : *a*) semper sit alia via supplendi — si opus est — negligentiæ aut insufficientiæ parentum ; v. g. sanctiones civiles quibus excitentur et parentes et magistri et pueri ; examina imposita [1] ; imo obligatio scholaris quam concedimus esse quandoque legitimam : cf. infra ; — *b*) insuper monopolium potius noceat publicæ instructioni, excludendo æmulationem.

(Cf. circa parentum facultatem magistros eligendi : Encycl. « *Officio sanctissimo* », — « *Affari vos* »).

Obj. Pax socialis exigit omnium civium *mentis unitatem*, quæ, secluso monopolio, est impossibilis (objection des « deux jeunesses », cléricale et laïque).

Resp. *Concedo* pacem socialem postulare ut, *quantum fieri potest*, omnes habeant eamdem doctrinam, unitatem mentis et affectus secundum ordi-

(1) Hæc et item programmata a statu determinata, approbanda non sunt nisi ratione accidentalis necessitatis ; omnino sunt rejicienda in thesi generali (Cf. DE LA BRIÈRE, *Luttes prés. de l'Eglise*, t. II, p. 345 sq. ; — et le *Programme des publicistes chrétiens* [2], p. 12) multo magis si agitur de scholis quæ a jurisdictione Ecclesiæ directe vel indirecte pendent. Cf. infra.

nem veritatis. Sed *nego* hæc obtineri monopolio. E contra : *a*) seclusa libertate Ecclesiæ ad docendum, deest unitas doctrinæ et Magisterii, ut comprobatur experientia : ubi derelinquitur vel vera religio, vel vera sthica, pullulant opiniones falsæ ; *b*) coactio legalis ad quosdam magistros accipiendos et ad quamdam doctrinam sequendam (si forte esset una), potius exasperat et animos avertit (optime apud Sortais, *Crise du libéralisme*, p. 118 sq. ; — Vigué, *op. cit.*, p. 156 sq. ; — de Lamarzelle, *La crise universitaire* : conclus. ; — DD. Baudrillart, *L'enseignement cath...* p. 368 sq.).

N. B. — Ubi autem agitur de *Universitatibus* et generatim de scholis quæ educationem rite obtentam supponunt, 1° jus quidem naturale parentum ex magna parte desinit ; sed, — 2° remanet naturalis libertas docendi et a magistris a se electis discendi ; — 3° valde utiles esse possunt Universitates liberæ, non tantum ad progressum theologiæ et scientiarum ecclesiasticarum, sed etiam circa jus civile, medicinam et præsertim philosophiam, eo magis quod recta institutio, secundum multos, profundius mentes efformat in Universitatibus quam in collegiis ipsis. Cf. de la Brière, *Les luttes prés. de l'Egl.*, t. II, p. 389 ; — præsertim DD. d'Hulst, multas conciones ; — DD. Baudrillart, *L'enseignement cath...*, p. 554 ; — Newman, *The idea of a University defined and illustrated* (vide E. Delaffre, *La pensée de Newman*, p. 197). Hinc, præter jus primarium Ecclesiæ etiam jura privatorum ad instituendas Universitates Status agnoscere debet (Cf. Donat, *Ethica*, t. II, p. 474). — 4° Attamen, quantum a bono publico exigitur, potest sibi exclusive vindicare collationem graduum quorumdam superiorum, i. e. secundum canonistas[1] in jure civili, in medicina, in philosophia et scientiis naturalibus, salvo autem, ut patet, jure indirecto Ecclesiæ.

B) Quoad obligationem scholarem.

1° *Per se talem obligationem non exigi a bono publico :* (*a*) evidens est ex naturali jure parentum (th. 66) : repugnat enim bonum publicum et jus parentum per se collidere ; (*b*) patet etiam ex naturali inclinatione parentum ad providendum eis quæ liberis sunt necessaria et ex copia generatim sufficienti magistrorum, quibus eos sponte committere possunt.

2 *Minus evidens est exceptionem esse impossibilem.*

Multi concedunt posse imponi instructionem aliquam infimam a familia aut cæteris tradendam, non necessario a schola : sic Cathrein ; alii a schola præscindunt ; Wernz (*loc. cit.*, p. 48) Cathrein aliosque approbat : ipse præscindit a schola.

Secundum aliquos, v. g. DD. Ketteler (*Liberté, autorité, Eglise*) obligationem scholarem *in quibusdam adjunctis* impo-

(1) « Omnes doctores », ait Grandclaude (*Jus canonicum* IV, p. 290) ; cf. Schmalzgruber, t. V, P. I, p. 226 ; et DD. Sauvé eorum testimonio assentit (*Quest. de notre temps*, p. 288, note ; p. 298, n. 2, p. 301), cum distinctione aliqua : i. e. omissis gradibus mere *ad honorem* quorum monopolium inutile est, et eis quæ ducunt ad *munera stricte publica*, ubi monopolium legitimum est, — status potest circa *officia a quibus pendet bonum sociale*, v. g. medicinam, exigere testimonia capacitatis, non autem studia in scholis publicis, nec examina coram istarum magistris. Cf. etiam P. Wernz qui videtur, citando Schmalzgruber, attenuare ejus sententiam (2ª édit., t. III, P. I, p. 80 in nota) ; — P. Ant. Dechevrens, *Les universités cathol.*, p. 325 sq. qui parum favet monopolio ; — de la Brière, *Etudes*, 5 fév. 1917, p. 391.

nere non evidenter excedit jura status. Ita fere Vigué, *op. cit.*, p. 62[1] ; — Macabiau, *Etudes*, juin 1911, p. 805 ; — vide DD. Sauvé, p. 300 ; Castelein, *Dr. nat.*[2], p. 742. Explicite jura status affirmat P. Donat, *Eth. spec.*, p. 223, n. 462 sq.

Rationes allatæ sic proponi possunt : chimericum non videtur, præscindendo ab ordine supernaturali, obligationem scholarem aliquando requiri ratione boni publici. Ut enim pueri idoneam instructionem accipiant, data præsertim æmulatione inter gentes, non apparet semper sufficere ut parentes curent per seipsos de necessariis elementis docendis, etiam urgente potestate civili. Nam

1° Videtur generatim esse difficile parentibus tradere etiam has infimas cognitiones ;

2° Non sufficit plerosque juvenes didicisse artem legendi, scribendi, computandi, ut Cathrein contendit. Etenim

a) Etiam videtur hodierna cultura generatim requirere ut juvenes multa cognoscant, v. g. circa artes operosas ; oportet eorum mentem rite efformari, facultates exerceri, ratione frequentium relationum inter homines diversarum gentium, mutationum laboris, muneris... quod supponit instructionem sat solidam ;

b) Civitas indiget multis et idoneis magistratibus, ducibus in exercitu, medicis, et item relate ad innumera munera plus minusve publica. Nota pueros non generatim a prima ætate manifestare dispositiones ingenii aut speciales aptitudines. Oportet aliquando multos esse qui paulo ampliora discant, ut inter eos postea selectio fiat, et sic magistri aut civitas possint discernere juvenes aptos ad studia altiora [2].

c) Quod esset tantum utilitas maxima generatim, fieri potest moralis necessitas, data inter gentes rivalitate.

Confirmatur saltem ex consideratione jurium puerorum (II[a] II[æ], q. 57, a. 4, c. et ad 2[um] ; — Meyer, t. II, p. 102, 712). Ad proprium finem auctoritatis civilis pertinet protegere jura stricta individuorum. Porro pueri, quamvis ut tales non habeant stricta jura erga parentes, cum desit perfecta alteritas ; tamen, ut homines, jus strictum negativum saltem habent ne a parentibus practice impediantur quominus educationem necessariam accipiant. Hæc educatio est evidenter necessaria, sine qua postea vita physica, moralis aut religiosa (spectato etiam

(1) Quamvis etiam ipse potius instructionis quam scholæ obligationem respiciat.

(2) Attamen multum cavendum est a tendentiis quæ v. g. exprimit « *Le programme des Compagnons* » ; cf. *Etudes*, art. P. P. Brou et Dudon, Oct. 1918, p. 21 Juillet 1919, p. 24.

ordine naturali) graviter exponeretur. Ergo (cf. disputatio et obj. apud SORTAIS, *Dict. apol.*, col. 927 sq.; contra Cathrein).

Probationes istæ non omni valore carent. Attamen sic respondet DUBALLET :

« L'instruction élémentaire dont il s'agit n'est point d'une nécessité telle qu'elle constitue pour l'enfant un de ces droits autorisant l'Etat a intervenir. Quoique privé de l'instruction dite élémentaire, l'enfant peut soutenir son existence, pourvoir plus tard à l'éducation d'une famille, prospérer même matériellement, comme le prouve l'expérience. Il peut recevoir, en dehors de tout enseignement primaire, l'enseignement religieux et moral qui le mettra à la hauteur de ses devoirs de chrétien, d'homme et de citoyen. L'Etat serait plutôt autorisé à rendre obligatoire l'instruction religieuse et morale ; c'est celle-là qui est absolument nécessaire et indispensable à l'homme, et que réclame, dans les individus, la société elle-même, pour exister et se soutenir. La célèbre maxime : *une école de plus, une prison de moins*, est loin de trouver sa vérification dans les faits, quand l'école n'est pas chrétienne.

« La simple nécessité de rendre *meilleure* la situation de l'enfant n'autorise point le gouvernement à s'immiscer dans le régime intérieur de la famille.

« Quels que puissent être les avantages d'un enseignement primaire donné à tous, on ne saurait soutenir qu'il soit d'une nécessité absolue pour tous les membres de la société. Le citoyen, même illettré, peut posséder, à un haut degré, le sens du juste et de l'injuste ; il peut porter les armes, défendre intrépidement son pays et même exercer ses droits d'électeur. L'Etat d'ailleurs aura toujours à sa disposition un nombre suffisant d'hommes instruits, pour occuper les positions et remplir les fonctions publiques dans la société[1].

« Au reste, une loi rendant l'école obligatoire paraît inutile et serait peu efficace. Le père, qui a le devoir de procurer à son enfant le degré d'instruction en rapport avec sa condition et avec l'état social dont il fait partie, s'y portera assez de lui-même, sans qu'il soit besoin de l'y contraindre. S'il y a des exceptions, elles ne seront ni assez nombreuses, ni assez importantes, pour autoriser le Pouvoir à rendre par une loi l'école obligatoire. — La situation faite à ceux qui ne sont pas dépourvus de l'instruction élémentaire, par comparaison avec

(1) « Il ne paraît guère que l'instruction gratuite, obligatoire et laïque ait éclairé le suffrage universel. La superstition du savoir a jeté dans l'enseignement des fils et des filles du peuple et de la petite bourgeoisie qui, infiniment plus nombreux que les places à occuper, n'ont fait que des déclassés et des malheureux » (J. LEMAÎTRE, *Discours de réception à l'Académie française*).

celle des illettrés, déterminera les parents, mieux que ne le ferait une loi, à pourvoir leurs enfants des premières connaissances nécessaires. Sans doute plus d'un enfant, par suite de l'incurie de certains parents, restera sans instruction. Mais, là même où l'école est obligatoire, le gouvernement parvient-il à procurer à tous le degré d'instruction qu'il regarde comme indispensable ? L'école est-elle fréquentée par tous ? L'impopularité de la loi et l'odieux de son application ne l'obligent-ils pas souvent à céder ou à reculer ? »

Et notat auctor periculum abusus ex parte auctoritatis civilis, quæ speciatim sæpe conabitur imponere etiam monopolium cum detrimento religionis[1] (*La famille, l'église, l'état dans l'éducation*, p. 280 sq.).

Conclusio. — Ad praxim saltem quod attinet, nos præsertim movet hæc ultima ratio simul ac inefficacitas legis. Nonobstante coactione, multi pueri scholas non adeunt, v. g. in Gallia : 10/100 in urbibus, 5 100 alibi, quin alii satis adsint ; in Anglia 20/100 ; in Italia 1 3, multique nec scribere nec legere sciunt ; sic etiam in Helvetia, sic aut pejus in diversis statibus Americæ. Hæ autem scholæ melius frequentantur ubi viget libertas sicut in « Nova Gallia » (Canada), ubi 95/100 puerorum per 7 annos sunt assidui. Hæc et alia invenies in optimo opusculo R. P. H. Lalande, S. J. *L'instruction obligatoire*. Montréal, 1919, pp. 137 sq. ; cf. pp. 30-32, 122-124. — Vide Sortais, *loc. cit.*, col. 929.

N. B. — Insuper obligatio scholaris non legitime statuitur, si adest alia via obtinendi sufficientem educationem.

(1) Fauconnet sicut Durkheim censet responsabilitatem institui ab opinione sociali in ordine ad fines sociales, ad restituendam unitatem societatis. « Ce n'est pas parce que l'homme est libre... qu'il est responsable. C'est parce qu'il est responsable qu'il se croit libre ». (*La responsabilité*, p. 392). — Cf. Habert, *L'école sociologique*, p. 54, et *Revue de philosophie*, janv. 1923, p. 96 sq).

(2) Saleilles, in *L'individualisation de la peine* (Alcan, 1898, préface de Tarde), etsi admittit libertatem, practice eam etiam negligit : « Il s'agit avant tout d'approprier la peine à la nature de la perversité de l'agent, à sa virtualité criminelle qu'il faut empêcher de se réaliser de nouveau en actes » (Préface, p. II sq. cf. p. IV).

propter ipsum, reparare, sed civitatem ad bonum publicum ducere.

2ª sent. : Auctoritas civilis a Deo descendit cum omnibus juribus requisitis.

3ª et 4ª sent. : Cf. psychologia : exsistit libertas, proindeque imputabilitas criminum. (Cf. Moisant, *Etudes*, p. 327 sq. — Proal, p. 20 sq., 62 sq., 94, 97, 105 sq., 295, 296, 298, 312 sq. circa numerum constantem criminum ; 318). Sed vide præsertim philosophiam naturalem : ex inclinationibus constantibus naturæ at non determinantibus sequitur numerus fere constans criminum.

Contra Spencer addamus restitutionem ordinis non sufficere ; oportet prævenire crimina (cf. Proal, p. 488).

5ª sent. negligit respectum ab bonum commune.

6ª sent. negligit respectum ad bonum delinquentis, et ad necessitatem auferendi potestatem nocendi.

7ª sent. : Immerito rejicitur respectus ad justitiam. Cf. Proal, p. 506 sq. Pœna debet esse justa.

8ª ***sententia est metaphysice certa***. Sic probatur :

Omnia jura auctoritatis politicæ repetenda sunt ex eorum *necessitate ad finem hujus potestatis*, qui est conservare et recte gubernare civitatem.

Atqui jus puniendi non exhibet talem necessitatem, nisi quatenus per illud voluntas legislatoris coactione imponi potest.

Ergo...

COROLL. : Modus autem quo jus exercendum est determinatur :

ex necessitate :

a) deterrendi a transgressione legis tum ipsum reum, tum alios cives (et ita quidem ut bonum individuale rei, scil. emendatio sit scopus secundarius tantum) ;

b) separandi nocentem a societate, quoties, absente spe emendationis, iste est aliis graviter periculosus ;

c) statuendi proportionem aliquam inter pœnam et culpam, secundum justitiam quam bonum publicum exigit (cf. Meyer, II, p. 603 : pœna debet semper esse sat moderata, cum homines non cognoscant « totam rationem culpæ moralis » ; « ideoque soli Deo adæquata retributio complenda reservatur »).

§ 4. — De pœna mortis.

THESIS LXX. — Auctoritas politica jus habet reis aliquando pœnam mortis infligendi.

Meyer, II, p. 605 sq.; — Ferretti, III, p. 293 sq.; — Caro, *Problèmes de morale sociale*; — *Quest. act.*, 1907, t. 93, p. 282 sq., 314 sq.; — *Rev. du Clergé franç.*, 1907, t. 51, p. 465 sq.; — M. Block, *Dict. de la politique*: art. « peine »; — *Année soc. internationale*; — et alia (cf. nota apud Meyer, p. 607; — *Quest. act.*, l. c., p. 31, sq.; — Sortais, *Traité*, t. II, p. 267-269.

STATUS QUÆSTIONIS

1. *Legitimitatem*, aut quandoque *opportunitatem* saltem pœnæ mortis multi negarunt. Beccaria, qui ex pacto deducit potestatem judiciariam (cf. § 3. sent. 2), non admittit pœnam mortis esse legitimam, nisi in quibusdam casibus extremæ necessitatis ad defendendam societatem.

Bentham (sent. 5) æstimat hanc pœnam semper esse injustam cum ad emendationem rei sit inutilis.

De aliis adversariis, cf. Meyer, II, p. 606 sq.; — *Rev. du Clergé franç., l. c.*; — *Quest. act.*, p. 314 sq.

2. Contra eos theologi provocare possunt ad S^am^ Scripturam, speciatim Rom. 13. 4 (alios textus apud Meyer, p. 606), ad Patres (Ferretti, t. III, p. 294) quibuscum sentit S. Thomas [II^a^ II^æ^, q. 64, a. 2, ad 3^um^; C. G., l. III, c. 146; I^a^ II^æ^, q. 87, a. 3 ad 2^um^; q. 95, a. 1 (cit. a Cathrein)].

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PROB. — Hæc concessio ex parte Dei admittenda est, quæ : 1° possibilis est, data sufficienti ratione ; 2° requiritur ob finem auctoritatis politicæ.

Atqui talis est concessio, potestati politicæ facta, juris pœnam capitis statuendi.

Ergo.

Prob. min. Quoad 1^um^ : Deus enim est supremus Dominus vitæ. Ergo, data sufficienti ratione, potest concedere auctoritati civili jus in vitam.

Quoad 2^um^ : Bonum publicum requirit ut auctoritas civilis possit aliquando per mortem, tanquam medium unicum : 1° subtrahere nefariis omnem possibilitatem nocendi[1], præ-

(1) Etiam carcer perpetuus generatim non sufficiet, præsertim tempore rebellionis, aut civilis belli quia tunc incarcerati liberari possunt ab aliis nefariis, qua spe remanente factiones aliquando exstirpari nequeunt.

sertim homicidia perpetrandi et sic quosdam exponendi, improvisa morte, magno periculo æternæ damnationis ; 2° multos alios a criminibus efficaciter deterrere.

SCHOL. I. — Non arguimus ex æqualitate inter crimen et pœnam, sed ex necessitate et quidem sociali, non individuali ut esset necessitas reum ipsum corrigendi (cf. § præced.).

SCHOL. II. — Duo etiam ex argumento apparent :

a) pœnam mortis non esse *licitam*, nisi sit *opportuna*, et ; *b*) eam *generatim esse necessariam* in statu comminationis (Confirmatur ex usu populorum : cf. M. Block, *Dict. de la politique*, ad vocem « peine », c. 537 in fine).

Quidam hodie hanc necessitatem adhuc exsistere negant : citant speciatim experientiam factam in *Belgio*, ubi minor fuit criminalitas tempore quo pœna mortis non vigebat (*R. cl.*, p. 482, cf. p. 479).

Sed non sufficit instituere comparationem in una gente, eligendo quædam tempora ; oportet inspicere universalitatem factorum. Porro admittitur adesse hodie augmentum generale criminalitatis, dum pœnalitas relaxatur (cf. *Quest. act.*, l. c. initio et nota, p. 292, p. 326 ; — *Ann. soc. int.* 1911 ; — *R. cl.* spec., p. 465, 471, 483, unde conclusio, p. 484 ; — D. Gayraud solutionem benigniorem defendit : *R. cl.*, 1908, t. III, p. 718).

N. B. — Cæterum : 1° Quæstio de legitimitate in thesi generali remanet intacta : 2° generalis efficacia pœnæ mortis ostendi potest ex facto quodam ubique et semper evidenti, se. ex naturali inclinatione hominis ad servandam vitam, ut præcipuum bonum temporale et fundamentum aliorum ; præsertim a carnifice ignominiose occidi cum horrore fugitur.

SCHOL. III. — Non autem negamus jus condonandi, dummodo moderate applicetur, ideoque generatim ab auctoritate suprema tantum.

Rationes condonandi sunt : *a*) necessitas quandoque remittendi, ob specialia adjuncta criminis, sententiam nimis duram quæ secundum textum legis esset ferenda, *b*) aliqua utilitas communis, *c*) data causa rationabili, manifestatio clementiæ principis ut amorem subditorum sibi conciliet (cf. Cathrein, Schol. 2 ; — II^a II^æ, q. 67, a. 4).

Principia ad solvendas difficultates. — Provisum est præcipuis objectionibus ; addas :

I. — Etsi chimericum non est innocentes quandoque condemnari et ita injuste malum subire quod ab hominibus repa-

rari nequit, rarissime tamen eveniet si judices rite suo munere fungantur, i. e. accusatum non condemnent nisi cum certitudine morali de ejus culpa. Nec periculum gravissimi quidem incommodi ex errore provenientis impedire potest id quod *securitas societatis humanæ omnino exigit.* Hoc forsan negare ii soli possent qui verum finem ultimum spectare negligunt et justitiam extratemporalem.

II. Occisio hominis non est deordinatio irreductibilis ex se ; est malum physicum quod in casu, i. e. supposita culpa, evadit ordinatum.

III. Occidere reum propter bonum commune, est considerare hominem non ut rem aut medium, sed ut partim ordinatum ad societatem ex natura. Qui non accipit hanc subordinationem, potest ad eam physice cogi.

His principiis sat facile evincuntur considerationes recensitæ in *Quest. act.* 1907, t. 92, p. 292 sq. ; 314 sq.

CAPUT IV

DE RELATIONIBUS INTER GENTES

VAREZ, *De legibus*, l. II, c. 19 ; — TAPARELLI, t. III, lib. 6 ; — DE LEHEN, t. II, p. 439 sq. ; — MEYER, t. II, p. 736 sq. ; — FERRETTI, t. III, p. 368 sq. ; — Ch. PLATER, S. J., M. A., *A Primer of peace and war* (1915) ; — Ch. PERIN, *Lois de la société chrétienne* (1875), t. II, l. V, p. 403 sq. ; *L'ordre international* (1888) ; — DE LA GUÉRONNIÈRE, *Le droit public et l'Europe moderne* (1876) ; — G. BRY, *Précis de droit international public* (1892) ; — FUNCK BRENTANO et Albert SOREL, *Précis du droit des gens* (1900) ; — diversi auctores : *Les fondateurs du droit international. Leurs œuvres. Leurs doctrines* (avec introd. de A. PILLET, 1904) ; — E. NYS, *Le droit international* (1912) (legendum cum cautela) ; — MERIGNHAC, *Traité de droit public international* (scientiæ laudatissimæ, 3 vol. edita ; totum opus, 3 vol.) ; — OLPHE GALLIARD, *La morale des nations* (couronné, 1900) ; — MOUY, *Le droit des gens moderne, Précis élém.* (1920) ; — REISLOR, *Histoire des grands principes du droit des gens* (1923) (1) ; — DE LA BRIÈRE, *Etudes*, passim ; *Luttes prés. de l'Egl.*, passim ; alia infra cit. ; — LE FUR, *Annales de l'Institut supérieur de philosophie de Louvain*, 1924, Kant et le droit des gens ; alia infra cit.

ARTICULUS I

GENERALIA

§ I. — De notionibus et terminis.

1. Non est confundendum *jus internationale* cum duobus juribus quæ Veteres aut Scholastici Tridentino posteriores « *jus gentium* » vocaverunt.

S. THOMAS hac ultima voce intelligebat partem legum *positivarum*, quæ *necessario concluditur ex principiis legis naturalis* et sic distinctam ab ea parte qua diversæ obligationes *contingenter determinantur* (cf. supra, p. 153).

POSTERIORES SCHOLASTICI eadem expressione designabant partem juris, quæ, *etsi non valida ex sola lege naturali, tamen*

---

(1) Opus vale re non caret ; num autem facta auctor semper vere referat, ex iis dignoscas : « Si le XVI[e] siècle a été l'ère de la religion, le XVIII[e] l'âge de la philosophie, le XIX[e] l'époque de la science, le XX[e] sera le siècle de la justice » (*op. cit.*, p. 561 ; cf. p. 9).

adeo propinqua est juri naturali, ut homines facile in illa conveniant.

In neutro modo loquendi prædicto, relationes *internationales* præcise spectabantur.

2. Nunc autem « *jus gentium* » idem sæpe sonat ac « *jus internationale* »; est *complexus jurium et officiorum vigens inter diversas gentes* seu *populos politice independentes* (cf. infra discrimen inter *nationem* et *populum*).

Attamen termini non habent apud omnes eamdem significationem. Etiam apud eos qui agnoscunt jura et officia quædam *naturaliter* vigere inter gentes, sunt qui illa ponunt extra et supra « jus gentium », quod sic definiunt : « ordinem juridicum ex *consuetudine* et *conventione* ortum, et sic *positive* statutum secundum exigentias et postulata juris naturalis, in ordine ad bonum commune et temporale plurium aut omnium gentium[1] ». Alii e contra spectant jura et officia naturalia inter gentes ut partem intrinsecam juris gentium seu internationalis[2], quod inde sic dividitur :

a) In jus *naturale* et *positivum*, secundum quod oritur ex necessitate naturæ aut ex libertate hominum (sic consuetudo, pacta). Utrumque quoad rem scholastici agnoscebant (cf. v. g. Suarez, *De leg.*, l. 2, c. 19, n° 9). Jus *positivum* est *particulare* aut *universale*, prout inter quosdam populos viget aut inter omnes, saltem cultos.

b) In jus *publicum* et *privatum*, secundum quod viget inter *gentes* ipsas aut inter homines *privatos ad gentes diversas pertinentes.*

c) In jus *pacis* et *belli.*

Ad vitandas difficultates terminologiæ, sic ponemus articulum sequentem :

§ II. — An exsistat ordo juridicus naturalis inter gentes.

THESIS LXXI. — Naturalis exsistit ordo juridicus[3] inter gentes in relationibus tum privatis, — tum publicis.

Nota theseos : metaphysice certa.

---

(1) Ita de la Brière, v. g. *L'organisation internationale du monde contemporain et la Papauté souveraine.*

(2) Sic Cathrein.

(3) Vide *Ethicam generalem*, p. 180.

DEMONSTRATIO

PROB. — 1° : *Utraque pars simul.*

Quod singulis per essentiam incumbit, per unionem socialem non tollitur.

Atqui multis officiis, v. g. justitiæ commutativæ, homo per essentiam subjicitur.

Ergo iisdem subjiciuntur inter se tum membra diversarum civitatum, tum ipsæ civitates.

PROB. — 2° : *Pars 2ª* supposita hominis creatione. Deus necessario vult adesse civitates et relationes inter eas, hinc etiam ea quæ relationes istæ exigunt.

Atqui istæ relationes exigunt inter civitates vigere quædam mutua jura et officia jam ex lege naturali determinata (v. g. jus in territorium, fidelitatem in promissis).

Ergo.

PROB. — 3° : *Utraque pars* (*ad hominem potius*). Etsi quidam negant jus naturale, omnes admittunt, practice saltem, jus positivum.

Atqui jus positivum supponit jus naturale (v. g. necessitatem servandi pacta).

Ergo.

Obj. Civitas, quatenus societas perfecta, sibi sufficit.

Resp. Civitas non indiget alia societate, cui ut membrum inseratur ; sed potest egere auxilio societatis sibi æqualis (Cathrein).

ARTICULUS II

DE JURIBUS ET OFFICIIS ESSENTIALIBUS INTER GENTES

1° *In abstracto,* ratione communis essentiæ, civitates *eadem* habent *jura* et *officia*.

2° Præter officia *justitiæ* exsistunt inter gentes (sive ut tales, sive quoad earum membra) officia *caritatis*. Patet ex 1° argumento thesis præcedentis.

Nota autem discrimen, in exercenda caritate, inter privatum et principem. Potest privatus quandoque renuntiare suo bono temporali ; princeps renuntiare nequit bono societatis sibi commisso.

3° *Omnia jura gentium ad duo possunt reduci : se conservandi, se perficiendi.* Hæc enim sunt essentialia homini et omnia continent.

Ad 1um pertinent : *a*) jus *sese protegendi* etiam per vim, *b*) jus *servandi independentiam, territorium, aliaque bona,* ita ut istis populi privari non possint contra suam voluntatem, nisi ratione *justæ vindicationis* aut *legitimæ defensionis.*

Dicimus : « *privari* ». Non enim fuit occupatio illegitima, si territorium erat *res nullius.* Sint v. g. populi errantes qui nullam habeant fixam sedem. Potest legitime occupari regio in qua aliquando tantum vivunt, si nullum relinquant signum possessionis : est tunc res nullius.

Ope etiam alicujus distinctionis explicamus celebrem *bullam* Alexandri VI « *Inter cætera* » (4 maii 1493). Pontifex dividebat totam Americam Meridionalem in duas partes, quarum unam Hispanis, alteram Lusitanis tribuebat. En sensus concessionis : in parte sibi tributa, Hispani v. g. poterant sibi subjicere modis legitimis incolas, v. g. mittendo religiosos suæ gentis qui, simul ac principia Christianismi tradebant, efformabant istos rudes ad vitam socialem et politicam, ita ut paulatim et libere isti se essent adjuncturi populo Hispanico. Igitur jus spoliandi alienas gentes Summus Pontifex non conferebat ; dirimebat litem inter Hipasnos et Lusitanos, et nil aliud (cf. Schiffini, *Ethica spec.*, p. 596 et nota).

Ad 2um revocatur jus *territorium augendi* (illæsis aliorum juribus), *legatos mittendi ad bona aut personam civium* apud exteros viventium *protegenda,* etc.

Iis omnibus juribus correspondent apud alias gentes officia juridica.

SCHOL. I. — Circa officia caritatis inter gentes, et speciatim de non-interventu.

Sunt etiam, ut diximus, officia caritatis, benevolentiæ. V. g. præstandum est auxilium, saltem quando rationabiliter petitur.

Inde reprobatur *principium liberalismi « de non-interventu »* (Ferretti, III, p. 385). Damnatum est a Pio IX in allocutione 28 sept. 1860 et in Syllabo, prop. 62.

« Qu'est-ce que le principe de non-intervention, sinon l'intervention la plus délétère et la plus active en faveur de l'anarchie ? » (Metternich, *Mémoires* [1831], p. 128).

Circa historiam, vide M. Block, *Dict. de la polit.* ad vocem « Intervention » ; — Nys, *op. cit.*, II, p. 222 sq. ; — Moye, *op. cit.* ; — sed melius Chossat, *La guerre et la paix*, p. 167, vel ejusdem : *Etudes*, 5 avril 1918, p. 75.

Circa principia : Taparelli, t. III, p. 17 sq. ; — Meyer, t. II, p. 755 ; — Jouin, *Elém. phil. mor.*, p. 362 sq. ; — Vanderpol,, *Le droit de guerre*, p. 161 sq. ; — Plater, *op. cit.*, p. 42 sq. optime ; — Chossat, *op. cit.*

SCHOL. II. — De Commercio.

1° Potestne unus populus alium *cogere* ad commercium cum ipso ineundum ?

Resp. Non potest, extra casum extremæ necessitatis ; nam alius populus ad hoc non tenetur nisi ex caritate aut prudentia ; hæc autem officia non sunt obnoxia coactioni.

2° Evidenter guberniis competit jus *commercium protegendi*, hinc sive *prohibendi « importationem »*, sive saltem *tributa majora imponendi mercibus importatis*. Protectio adjuvat « productorem », nocet « consummatori ». Sed quilibet est simul « productor » et « consummator », nam vel laborat, vel pecuniam præbet laboranti. Hinc cuilibet favere potest aliqua protectio (Antoine, XV, 2 ; — Block, *Dict. de la polit.*, ad vocem « libre-échange »).

ARTICULUS III

DE FŒDERIBUS

1. *Fœdera sunt « contractus inter societates perfectas initi »*. Civitas habet, ut societas sui juris, facultatem sic contrahendi. Nullo autem fœdere ligari potest, nisi ipsa velit aut is qui ejus curam habet ; *contractus pro ea initi, sed nondum ab ea approbati « sponsiones »*[1] *vocantur*.

2. Non valent fœdera nisi ratione legis naturalis : supponitur enim naturalis obligatio pacta servandi. Hinc, rejecto tali fundamento, recte negant Ed. de Hartmann aliique fœderibus inesse vim ligandi[2] .

3. Exinde etiam sequitur fœdera non esse valida si sint de re illicita, aut si jura aliorum lædant, v. g. (contra Bluntschli), si repugnent fœderibus prius initis cum alia gente.

4. Fœderibus standum est, etsi fuerint inita ex metu gravi, sive juste, sive, ut aiunt fere communiter moralistæ, etiam injuste[3] . Sic in ultimo casu differunt a contractibus inter privatos

---

(1) Gall. : « des promesses ».

(2) De Germanis qui omnia, etiam obligationem servandi fœderis, subordinant « *rationi status* », cf. Chossat, *La guerre et la paix*, p. 84 ; ejusdem, *Etudes* 1918, t. I, p. 445.

(3) Cathrein provocat ad Reuter qui bene notat perturbationes perpetuas timendas esse, si fœdera sic injuste obtenta solvi possunt, cum unaquæque pars facile injustitiam esse putet ubi non est (*Theol. mor.*, ed. 2ª, Col. Agrip., p. 756). — Cathrein addidit (ed. 9, p. 507) hanc conditionem evidentem ; « nisi exsurgat postea alia causa belli ».

qui tunc sunt vel invalidi, vel saltem rescindibiles. Ratio est pacis necessitas. Inde, quidquid est de theoria generali contractus (scil. num iste sit causa aut tantum conditio obligationis), ibi obligatio non directe oritur nisi ex prohibitione naturali turbandi ordinem societatis seu bono communi particulare bonum anteponendi, ideoque pertinet ad justitiam tantum legalem.

N. B. — Posse incolas alicujus provinciæ legitime aggregari civitati externæ etiam contra suam voluntatem, explicari videtur ratione solidaritatis (in casu justæ pœnæ) et boni communis. Servari autem possunt affectus interni erga pristinam civitatem, et optari legitimæ occasiones ad eam redeundi (Cf. *Nouv. relig.*, 15 juin 1919, initio).

Præsertim commendantur : Meyer, t. II, passim ; — de la Brière, *La soc. des nations*, p. 149, vel *Etudes*, 5 fév. 1918 ; — Galéot, *Les systèmes sociaux...*, p. 271 ; — René Johannet, *Le principe des nationalités* ; — Le Fur, *Races, nationalités, états* ; — du Plessis de Grenedan, *Dict. apol. d'Alès*, art. « Patrie » ; — J. Lucien Brun, *Le problème des minorités devant le droit international.*

Vide etiam Bry, *op. cit.*, p. 13 sq. ; — Block, *Dict. de la politique*, ad voces : « Equilibre politique », « Intervention », « Frontières naturelles », « Nationalités » ; — *Grand dict. univ.* : « Nationalités » ; — Goyau, *L'idée de patrie et l'humanitarisme* ; — Nys, *op. cit.*, passim ; — Hauser, *Le principe des nationalités* (1916) ; — de Morgan, *Essai sur les nationalités* (1917) ; — Lavergne, *Le principe des nationalités et les guerres.* Son application au problème colonial (1921).

Historia practicorum principiorum quæ magna ex parte rexerunt relationes inter populos, ita breviter adumbrari potest : in *antiquitate pagana*, « *negatio unitatis humanæ* », « *æternum bellum adversus gentes incultas* » ;

medio ævo, unitas in fraternitate christiana ;

modernis temporibus, æquilibrium europæum ;

temporibus hodiernis, principium nationalitatis (Bry, *op. cit.*, p. 20 sq. ; — Olphe Galliard, *op. cit.* ; — Vide Ch. Dupuis, *Le dr. des gens et les rapports des grandes puissances...* ; — auctores supra cit.).

De ultimo principio quædam dicemus :

1) Secundum *latinam* linguam « *populus* » est *multitudo politice unita* ; « *natio* » est *multitudo ab aliis distincta ob specialem indolem corporis et animi, vi communis sanguinis et historiæ.* Communitas sanguinis non requirit unitatem originis ; potest oriri ex matrimoniis inter familias. Cum indole communi *sæpe jungitur unitas linguæ.* Addunt recentiores « *velle vivere collectivum* » : quod tamen non videtur nota *constituens* nationalitatem, sed tantum conditio generatim resultans et practice requisita ut natio possit populus fieri (cf. Cathrein ; — Block, art. « *Nationalités* » ; — Funck Brentano, *op. cit.*, p. 11).

2) Sæpe una natio in plures populos dividitur, vel plures nationes unum populum efficiunt. In ultimo casu facile deest

politica cohæsio ; ubi sufficiens est, unio gentium prosperitatem et culturam communem juvare potest.

3) Secundum placita *recentioris* Liberalismi, *relatio juridica inter populum et nationem regitur principio nationalitatis, quod sensu absoluto ita licet enuntiare : omnis natio jus habet ut sola et tota unam civitatem constituat, quin ullum jus obstare possit.*

A diversis vero diversæ *apponuntur restrictiones*, v. g. secundum Mohl : *nisi obstent pacta internationalia* et *dummodo adsint necessitas* ut populus attingat fines suos ac *spes successus* ; — secundum Bluntschli : *dummodo natio sit capax autonomiæ possitque eam per vim efficere* : quod *judicium Dei*, i. e. *jus fortioris* decidit.

4) *Refutatio* (Cathrein, th. 104).

A) *Principium illud præcipue ut annexionis motivum : a*) nititur falso fundamento, cum mera possibilitas aut convenientia unionis non conferat jus eam per vim efficiendi, aliorum jura lædendi, pacem socialem perturbandi ; *b*) ne pax ista impossibilis evadat, prorsus rejiciendum est[1].

B) *Restrictiones* quas Mohl, Bluntschli aut alii fingunt, nimis sunt arbitrariæ et vagæ ut pericula amoveant (vide Meyer, t. II, p. 307 sq., speciatim notam, p. 308).

C) Quæcumque eligatur formula, difficultas distinguendi nationalitates generaret conflictus. Nec nimis sperandum est nationes politice distincias et independentes, fore magis amicas quam si uniantur sub eodem gubernio (de la Brière, *op. cit.*, p. 149 ; — cf. Plater, *op. cit.*, p. 234[2]).

ARTICULUS V

DE BELLO

II[a] II[ae], q. 40, et 123, a. 5 ; — Victoria, *De jure belli* ; — Suarez, *De bello* (in tract. *de Caritate*, disp. XIII) ; — de Maistre, *Soirees de S. Petersbourg*, Entretien VII ; *Considérations sur la France*, c. III ; — Donoso Cortès, *Lettres sur la France en 1842*, lettres 6, 7, 8, t. I de la trad., p. 137 sq. ; — L. Veuillot, *La guerre et l'homme de*

(1) Multo minus solum « *velle-vivere collectivum* » sufficere potest ut liceat tentare independentiam politicam, quin attendatur ad ejus possibilitatem, convenientiam, veram utilitatem, necnon ad jura ab aliis acquisita. Independentia politica non est finis in se, sicut non est finis, sed conditio matrimonii libertas sponsorum.

(2) Aliud prorsus approbant prudentes jurisperiti, i. e. efficaciter protegi illas multitudines quæ hodie vocantur « *les minorités* », sc. quarum individua inter se uniantur et a natione gubernanti differant lingua, religione vel alio ethnico complexu (J. Lucien Brun, *op. cit.*). Problema nondum satis solutum est a « *Societate nationum* », et præsertim ex regno justitiæ instaurato, sicut multa alia problemata, solvendum est.

guerre ; — Tolstoï, *Œuvres complètes*, t. VII sq. ; — Taparelli, *Dr. nat.*, l. VI, c. IV ; — Meyer, t. II, p. 785 sq. ; — Ferretti, t. III, p. 391 ; — de Lehen, t. II, p. 504 sq. ; — Lehmkuhl (1910), t. I, p. 571 sq. ; — Noldin (1913), *De præceptis*, p. 377 sq. ; — Vanderpol, *Le droit de guerre* ; *La doctrine scolastique du droit de guerre* ; — D. D. Batiffol, *L'Eglise et la guerre* (1913) ; ejusdem, *Le Correspondant*, 25 oct. 1914, les *Lois chrétiennes de la guerre* ; — Ch. Plater, S. J., M. A., *A Primer of Peace and War* (1915) ; — *Etudes*, octobre 1914 (p. 5) et novembre (p. 195), de la Brière, *La guerre et la doctr. cath.* ; ejusdem : *Luttes de l'Eglise*, t. III, p. 1 sq. ; — *La guerre allemande et le catholicisme* ; *L'Allemagne et les alliés dev. la conscience chrét.* (publications du Comité cathol. de propag. fr. à l'étranger, 1915 : quædam tantum circa quæstionem ibi spectatam) — de la Brière, *Dict. apol.*, art. « Paix et guerre » ; — Ortolan, *Dict. de théol.*, art. « Guerre » ; — Chossat, *La guerre et la paix d'après le droit naturel chrétien* (multum commendatur) ; ejusdem : *Etudes*, 5 fév. 1918, sq. ; — Le Fur, *Guerre juste et juste paix* (préface de Barrès).

Sensu stricto bellum est *status populorum seu civitatum, qua tales sunt, per vim certantium* : sic bellum *civile* et *rebellio excluduntur* (cf. Meyer, II, p. 785).

Bellum est *defensivum* aut *offensivum*, prout fit ad injuriam *actualem propulsandam* aut ad injuriam *præteritam vindicandam* vel *reparandam*. Distinguunt etiam bellum *vindicativum* a bello mere *offensivo*, prout agitur de vindicta aut de mera reparatione. Accedit tandem *interventus in favorem alterius populi* (cf. infra, schol. II).

THESIS LXXII. — Bellum non est per se illicitum, — requiruntur autem causa justa, modus debitus et, ubi bellum non est mere defensivum, legitima supremaque auctoritas.

Nota theseos : metaphysice certa.

DEMONSTRATIO

PARS I^a^. — Bellum non est per se illicitum.

PROB. — a) *nec bellum defensivum*, nam cuilibet per vim se defendere licet contra actualem aggressionem, a fortiori civitatibus, quia bonum commune majus est, major independentia ;

b) *nec bellum offensivum* (aut *vindicativum*), nam Deus, ut supremus Dominus vitæ et jurium hominis, potest, — et ut Auctor Ordinatorque civitatis sibi debet isti concedere jus per vim providendi suæ securitati.

Ultimum punctum ex eo apparet quod civitas est a Deo ita constituta ut compleat activitates privatas usque ad plenam sufficientiam vitæ humanæ (cf. de fine civitatis), — quin igitur debeat aut possit ad jura sua reparanda aut vindicanda superiorem societatem, sicut privati, adire (cf. infra schol. II ; — Chossat, *op. cit.*, p. 53 sq.).

N. B. — Exinde apparet juris belli fundamentum esse jus quod civitas habet sese conservandi et perficiendi.

PARS II^a. — Requiruntur...

PROB. — *a*) Requiri causam justam et modum debitum patet, cum « malum ex quocumque defectu ».

b) Bellum non mere defensivum legitima supremaque auctoritas sola indicere potest (CHOSSAT, *op. cit.*, p. 117 sq.). Nam :

1° ad eam solam pertinet dirigere populum, præsertim in re tantæ gravitatis et tam periculosa ;

2° Deus privatis hoc jus concedendo, nimiis et innumeris perturbationibus pacem socialem exponeret (quare etiam rebellio proprie dicta[1] et bellum civile offensivum, nisi a suprema auctoritate motum, sunt illicita) ;

3° tandem, quod fere idem est, jus gladii privatis generatim non competit, sed auctoritatem legitimam ad sua jura per vim reparanda aut vindicanda adire debent.

(II^a II^æ, q. 40, a. 1, ubi insuper citatur S. AUG.).

N. B. — Ubi auctoritas suprema nollet aut non posset justam reparationem aut vindictam prosequi, VICTORIA, LAYMANN putant populum, ob necessitatem jus habere bellum inferendi ; negat autem SUAREZIUS (LAYMANN, l. 2, tr. 3, c. 12, n. 4 ; — ¡SUAREZ, *l. c.*, s. 2, n. 2 ; — vide tamen n. 4 et VANDERPOL, *op. cit.*, p. 70 circa jus populi ad resumendam potestatem politicam secundum Eximium Doctorem).

SCHOL. I. — Sed *privati* possunt patriam *subito* et *injuste invasam vi defendere*, ut bonum maximi momenti.

SCHOL. II. — Causa belli justa esse nequit, nisi adest *necessitas*. Patet ex principiis voluntarii indirecti, data gravitate damnorum quæ bellum consequuntur. *Hæc causa justa et necessaria erit :*

a) *defensio* contra aggressionem *actualem* bonorum *magni momenti* ;

b) *reparatio gravis damni quod reus resarcire recusat.* (Utraque ratio valet *ad auxilium ferendum alteri populo injuste oppresso*).

c) *vindicta seu justa punitio in eodem casu* (VICTORIA in multis locis : *de jure belli*, 13, 19, 60, etc. — BELLARMIN, *De laïcis*, l. III, c. 15 ; — SOTO, *De just. et jure*, lib. V, q. III, a. 5. — SUAREZ, *op. cit.*, s. 4, n. 5 ; — vide VANDERPOL, *op. cit.*, c. VI).

(1) Cf. *de tyranno.*

Fontem vero *facultatis puniendi* ex parte *civitatis* non alium agnoscas nisi jus istius *securitati suæ aut alterius populi injuste oppressi providendi*, unde ad futura damna præcavenda nocentes deterrendi vel impotentes reddendi (cf. finis præc. cap.).

Quædam causæ insufficientes belli enumerantur apud Ferretti, *l. c.*, schol.I.

Vide Laymann, l. 2, tr. 3, c. 12, assert. III ; — Chossat, *op. cit.*, p. 67, 92, 193 sq., 207.

SCHOL. III. — *Debitus modus in bello includit* :

a) bellum offensivum non incipi nisi certo moraliter constet hanc unicam adesse viam damni reparandi et nisi bellum prius fuerit indictum ; — sufficit probabilitas in casu belli defensivi (cf. Noldin) : deest enim tempus ad omnia accurate perpendenda, et tamen feritas aggressoris est reprimenda ;

b) damna tantum inferri quæ sunt necessaria (Chossat, *op. cit.*, p. 174) ;

c) media esse honesta (de insidiis, cf. II^a II^æ, q. 40, a. 3).

Victoriam ex se nullum jus præbere sat evidens videtur (fuse de hoc scribit Meyer, t. II, p. 804 sq. ; — Chossat, p. 207).

N. B. — 1° Vide amplissimas optimasque considerationes apud Meyer, multos *casus conscientiæ* solutos apud Lehmkuhl.

2° *Utrum morientes in bello justo sint martyres* spectatur a S. Thoma (II^a II^æ, q. 124, a. 5, ad 3^{um} — vide totam quæstionem). Solutio est *affirmativa*, positis debitis conditionibus. *Multi autem negant* (vide Benedict. XIV, qui de quæstione martyrii fuse scribit ; *De Servorum Dei...*, l. III, c. 11, etc.) ; sed diversitas apparens sententiarum potius forsan est in significatione vocis. Sylvius et Billuart[1] solutionem S. Thomæ explicant. Quidquid est de nomine, doctrinam in Ecclesia communem recte tradidit P. de la Brière, approbans Card. Mercier (*Etudes*, 1915, t. I, p. 417 sq. ; — *Luttes prés. de l'Eglise*, t. II, p. 165 sq. ; et append. spec., p. 372). Idem eodem fere tempore docuit card. Billot in quadam concione (vide Ojetti, *Synopsis rer. mor.*, ad vocem « martyrium », et generatim auctores theologiæ dogmaticæ ubi agunt de virtute fortitudinis, aut de baptismo ; — Noldin, *Theol. mor.*, t. I, n. 279 sq., optime ; — Michel, *Rev. apol.*, oct. 1917, vel *Questions théol. du temps présent : Questions de guerre*, p. 134 sq.).

(1) De virtute fortitud. : dissert. I, art. II (ed. Palmé 1872, V, p. 134) : dico 4°. — Hæc fuerunt edita ab auctore post opus cit. Ben. XIV (seu card. de Lambertinis), imo post ejus electionem ad Pontificatum (cf. v. g. *dict. Vacant*). — Apud Ben. XIV, vide præsertim cap. 18 initio.

3° *De immunitate cleri (ex jure naturæ)*, cf. Choupin, *Valeur des déc. du S. Siège*[2], p. 295 sq., et *Dict. apol.*, art. « Immunités ecclés. » col. 620 sq. ; — Michel, *op. cit.*, p. 160 sq..

ARTICULUS V

DE SOCIALI GENTIUM UNIONE [1]

(Pacifisme).

Leo XIII, *Alloc.* 15 jan. 1886 et 11 febr. 1889 ; *Encycl.* 20 jun. 1894 ; *Alloc.* 11 april. 1899 ; — Pius X, *Epist. ad Apost. Deleg. in Stat.-Unit.*, 11 jun. 1911 ; *Alloc.* 25 mai 1914 ; — Bened. XV, *Encycl.* « *Ad Beatissimi* », 1 nov. 1914 ; *Alloc.* « *Convocare vos* », 22 jan. 1915 ; *Exhortatio ad populos belligerentes*, 28 jul. ; *Alloc.* « *Nostis profecto* »; 6 dec. ; alia epist., 1 aug. 1917 ; *Encycl.* 23 mai 1920 ; — Pius XI, *Encycl.* 24 déc 1922 ; — Tapparelli, t. III, l. 6 ; — Meyer, t. II, p. 812, 814 sq. ; — Sertillanges, *Le patriotisme et la vie sociale* (1903), p. 231 sq. ; — Playter, *A Primer of Peace and War* (1915), p. 93 sq. ; 241 sq. ; — J. Lemaître, *Opinions à repandre* ; — Louis Legrand, *L'idée de Patrie* (1897) c. V, VI, XII, XIII, XV etc.. ; — Gohau, *L'idée de Patrie et l'humanitarisme* (1902) ; — Fogelet, *Le pacifisme* (1908) ; — Fr. Passy et alii [2]. *La Paix et l'Enseignement pacifiste* (1904) ; — Nys, *Le droit international* (1912), t. II, præsertim p. 534 sq. ; — Merignhac, *op. cit.* ; — Ruyssen, *De la guerre au droit* ; cf. Congrès de philos., infra ; — Edg. Milhaud, *Société des nations* : cf. crisis, *Etudes*, août 1917, p. 384 ; — *Etudes*, 1903 : Pillet, t. 114, p. 750 ; t. 115, p. 502, 721 ; 1916 : de la Brière (20 janv., p. 145 ; 5 fev., p. 312, etc.) et ejusdem : *Luttes présentes de l'Egl.* ; *La société des nations* ; alia infra ; — Brunetière, *Discours de combat* ; ejusdem, « Mensonge du Pacifisme », *Rev. des Deux Mondes* (15 juillet 1905) ; — ***, *Correspondant*, 25 juin 1911 ; — Mgr Chapon, « *La guerre et la paix : la soc. des nations* »..., *ibid.*, 10 avril 1919 ; — Mgr Jullien, « *Une théorie cath. de la soc. des nations* », *ibid.*, 25 juin 1919 ; — *Congrès de phil.* 1903 : Ruyssen, p. 339 ; Moch, p. 361 ; 1905, Kozlowski, p. 660 ; — Brou, « Voltaire le pacifique », *Etudes*, 20 sept. 1916, p. 719 ; — Hanotaux, plura cit. a P. de la Brière, *Etudes*, 5 août 1917, p. 389 sq. ; — *Grande Encyclop.* et *Grand Dict. univ.*, ad voc. « Paix » ; — *Suppl. Larousse*, ad voc. « Paix », « Pacifisme » ; — *Quest. act.*, 1907, t. 94 : textus 2[um] « Confér. de la Haye », p. 34 sq., 66 sq., 125 sq. ; — *Dict. apol.*, de la Brière, art. « Paix et guerre » ; — du Plessis de Grenedan, *ibid.*, art. « Patrie » ; — Galéot, *Les syst. soc...* p. 273 sq. ; — Pillet, *Scientia*, t. 25, n. 85, I-V, 1919, etc. ; — *Les Lettres*, « Enquête sur le nationalisme », passim ; — cf. *Dict. apol.* ; bibl., col. 1301, 1619.

1. Ad *unionem* quamdam *gentes naturaliter tendere* patet ex præcedentibus articulis (I et III). Mutuam autem inclinationem et indigentiam naturaliter eas inducere ad *unicam civitatem efformandam* recentiores quidam *immerito* opinati sunt.

Non enim apparet quomodo possint homines tam diversi, in locis tam dissitis et disparibus habitantes iisdem legibus subjici, ut in eumdem finem politicum efficaciter conspirent.

2. Attamen, secundum aliquos, *optandum* esset *gentes omnes suam independentiam in rebus internis retinentes, quadam vero fœderatione conjunctas, communem auctorita-*

---

(1) Vide hæc aut alia documenta sedulo collata a P. de la Brière, *L'organisation internationale du monde contemporain et la Papauté souveraine.*

(2) « Pacifistes », item Ruyssen, Milhaud.

tem agnoscere quæ dirimeret lites, præcaveret bella, pacificas atque justas ordinaret relationes internationales.

Suprema hæc auctoritas ad hunc finem *potestate legislativa, exsecutiva et judiciaria* polleret.

Istud regimen, etsi a pluribus propugnatum (cf. Nys, t. II, p. 555 sq.), nihilominus multa afferret incommoda, nimis injustitiæ faveret et abusibus, ægre ab omnibus civitatibus acciperetur.

N. B. — Alii censuerunt auctoritatem civilem esse abjiciendam et « humanitatem » solis legibus conscientiæ esse regendam (cf. Goyau, *op. cit.*, introd., XIII sq.).

3. Et quidem bella impedire alio modo nuper conati fuerant, nempe *mero arbitrio tribunalis internationalis, nulla potestate instructi et cujus sententias agnoscendas esse et exsequendas ipsæ gentes pacto consociatæ curarent* [cf. Nys, t. II, p. 547 sq. multa, sed cum mente sectæ nonnunquam proposita ; præsertim de la Brière, art. *Paix et guerre* (Dict. apol., et alia ejus, *op. cit.*)[1]].

Dubia multorum, circa efficaciam istius tribunalis, eventus lugendi confirmarunt (Vide alia proposita, Plater, *op. cit.*).

4. « *Societas nationum* », quæ dein constituta est (Versailles, 1919), non parum differt a præcedentibus conatibus : nec communem auctoritatem supra gentes, nec tantummodo tribunale internationale agnoscit, sed suo fœdere statuit systema valde complexum cujus multa et varia sunt munera[2]. Quod a quibusdam nimis laudatum, a multis etiam prudentibus contemptum, respondere tamen videtur, secundum suam generalem rationem, actuali necessitati :

« Il y a une communauté internationale, répondant aux intérêts communs, relations nécessaires, droits et devoirs mutuels des diverses nations indépendantes.

« A un certain degré de complexité des relations mutuelles, il devient raisonnable et utile que cette communauté internationale comporte un organe permanent.

---

(1) C'est à des précisions près, le système adopté à La Haye en 1907.

(2) La Société des Nations qui s'est constituée au traité de Versailles « rend obligatoire, en cas de conflits internationaux, le recours aux solutions pacificatrices. Elle établit un système juridique de sanctions internationales... » [d'ailleurs insuffisantes]... « Elle compose son Assemblée générale et son Conseil directeur de délégués diplomatiques de chacune des puissances souveraines ayant adhéré au pacte constitutif. Elle ne prétend pas constituer... un sur-Etat, un gouvernement universel superposé aux gouvernements nationaux, avec un Parlement international élu au suffrage universel des hommes et des femmes par tous les peuples du monde... » (de la Brière, *art. cit.*, c. 1293 ; cf. crisis ibid. et in op. cit. aliis ejusdem, spéc. *Luttes prés. de l'Egl.*, 5e *série*, c. VI, p. 91 sq. ; *L'organisation internationale au monde contemporain et la Papauté souveraine (1885-1924)*. — Textum ipsum pacti invenies, *La Documentation catholique*, 1919, p. 408-414 ; cf. p. 490 et alia passim.

« L'organe permanent ne doit pas être un Sur-Etat superposé comme un suzerain à des puissances vassales, combinaison qui engendre plus d'inconvénients, d'abus, d'injustices, de tyrannies et d'impossibilités même qu'elle ne saurait en résoudre.

« Mais l'organe permanent peut être constitué sur une base contractuelle, les puissances souveraines s'accordant pour conclure certaines obligations réciproques, en matière de collaboration internationale, d'arbitrage pacificateur, de justice internationale, avec offices, secrétariats, conseils, cours judiciaires (répondant légitimement, dans les limites du contrat, aux divers besoins internationaux à satisfaire, selon le bien commun)[1] ».

5. Talia media, etsi non solvunt difficultates omnes, poterunt quædam bella impedire. Sed non videtur *perpetua* pax universi multum speranda, datis inclinationibus naturæ lapsæ (DE LA BRIÈRE, *art. cit.*) ; la *Soc. des nat.*, c. VII et VIII ; — BRUNETIÈRE, *art. cit.*, multo minus quamdiu respuentur unitas religionis, christiana et catholica fraternitas, auctoritas tandem communis Patris fidelium.

Quæ igitur et principia justitiæ ubique restauranda imprimis curandum est[2].

Regina pacis, o. p. n.

Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

---

(1) P. DE LA BRIÈRE, cujus scientia peritiaque in istis quæstionibus ab omnibus notæ sunt, benevole ipse hoc schema scripsit.

(2) Cf. *Acta S. Sedis*, loc. cit. ; — DE LA BRIÈRE, *loc. cit.* ; præsertim : *L'organisation internationale du monde contemporain et la Papauté souveraine* ; ejusdem : *Etudes*, 20 août 1917, p. 519 sq. et 5 mars 1918, spec. conclus. p. 658 ; *La Soc. des nat.*, c. II et IX. Laudat efficacitatem prævalentiæ S. Pontificis in medio ævo, cum restrictionibus debitis. Vide etiam CHOSSAT, *op. cit.*, p. 117 sq. — SERTILLANGES, *L'Eglise* (1917), t. II, p. 208 sq. ; — PLATER, l. c. ; — GUIZOT, *L'Eglise et la société chrétienne*, c. 14 ; — Ed. HARTMANN, cit. apud MEYER, t. II, p. 825.

INDEX ALPHABETICUS [1]

Accessio, 285.

Actus : actus voluntarius, 37 ; actus moralis, 61, 77 ; actus interiores, 82-93, exteriores, 93-94 ; actus indifferens, 90.

Æquiprobabilismus, 159.

Æquitas, 105.

Æterna lex in Deo (th. 15), 108.

Æternitas pœnarum probatur (th. 23), 138 ; quid de fide, 141.

Aggressor injustus, 252.

Ahrens, de juris subjecto, 185.

Albertus Magnus, de essentia metaphysica beatitudinis, 29.

Alphonsus (S.) et probabilismus, nota historica, 161.

Amissio potestatis, 432.

Amor : duplex, concupiscentiæ, et amicitiæ, 39 n. 2 ; est passio concupiscibilis, 43.

Amor Dei præcipitur homini (th. 37), 229.

Amphibologia per se non illicita (th. 39), 239.

Anarchistæ : doctrina, 269 ; de civili potestate, 339.

Angers (Ecole d'), 402.

ἀνθρωπεύεσθαι, 49.

Appetitus, 18.

Aristoteles : de beatitudine humana, 30 n. 2 ; de bono morali, 49 et 51 n. 1 ; de virtute, 98 ; de justitia, 103 ; de servitute, 332 ; de fine civitatis, 353.

Arriaga, de moralitate in genere, 78.

Association : droit d'association, 408 ; différentes formes d'associations, 409 ; ass. ouvrières, 410 ; coopération, 417.

Atheismus, 147.

Atheus : de obligatione athei, 124.

Auctoritate civili (de), 370-452.

Auctoritas paterna, 333.

Auctoritatis politicæ origo : secundum se, 336-341 ; sec. concretam determinationem, 341-349.

Audacia est passio irascibilis, 43.

Augustinus (S.) : de virtute morali, 99 ; de lege æterna, 108.

Avenel (d') et la question sociale, 397.

Bayet : ejus systema rejicitur, 208-209.

Beatitudo : definitio, b. perfecta et b. imperfecta, 18 ; objectum beatitudinis, 23 ; Deus est objectum beatitudinis humanæ (th. 3), 23 ; essentia metaphysica beatitudinis, 28 ; beatitudo perfecta est sanctio legis naturalis (th. 22), 135.

Beccaria : de potestate judiciaria, 447.

Bellarminus : de origine civitatis, 341.

Bellum non per se illicitum, 460.

Belot : de criterio boni moralis, 67 ; totum ejus systema exponitur, 207, et refutatur, 209.

Bénéfices (participation aux), 418.

(1) Cf. initio libri (p. X) *indiculum generalem auctorum* in quo citantur praecipui auctores legendi.

Bentham, de natura boni moralis, 53; derivat jura ex civitate, 181; de suicidio, 233-234; de potestate judiciaria, 448; est utilitarista, 222.

Billot: de bono morali, 56; de atheis, 125 n. 1.

Billuart: de moralitate in genere, 78; tenet probabiliorismum, 158.

Blondel, 220.

Bluntschli: de fœderibus, 457; de principio nationalitatis, 459.

Bonaventura (S.): de essentia metaphysica beatudinis, 29; de actibus indifferentibus, 91.

Bonum: definitur, 6; quomodo dividitur, 58 n. 1; — bonum morale: quid sit, 48-60; discrimen inter bonum malumque morale, 60; criterium boni moralis, 64; bonum morale apud Kant, 53 et 215 (de bonitate morali, vide totum caput III, 47-105); — bonum publicum et b. privatum, 354; — « bonum est faciendum, malum vitandum » est præceptum primo cognitum legis naturalis (th. 24), 142.

Bossuet, de gloria Dei, 13 n. 4.

Bouglé, de æqualitate hominum, 366.

Boutroux, le volontarisme moral, 219.

Bruneteau, de methodo in Ethica, Introd., p. XXI.

Bureau et la crise de la morale, XIII.

Cælibatus (th. 52), 323.

Carcinales virtutes, 100.

Caritas, 230.

Carneades, de discrimine inter bonum malumque morale, 60-61.

Cartesius, de discrimine inter bonum malumque morale, 60.

Castes, 365.

Castitas: castitatis educatio, 323 n. 1.

Catholicisme (vide *Ecclesia*); cath. et socialisme, 401.

Cauwès, de quæst. sociali, 397.

Certitudo: quomodo obtinetur in judicio morali, 66; — requiritur ad agendum conscientia moraliter certa (th. 29), 156.

Cicero, de bono morali, 50.

Circumstantiæ: determinant bonitatem formalem accidentalem, 86.

Civili auctoritate (de), 370-452.

Civitas: definitur, 335; de origine civitatis, 335-349; de fine civitatis, 349-356; de causa materiali civitatis, 356-369; de auctoritate civitatis, 370-452; de relatione inter Ecclesiam et civitatem, 375 (et cf. *Etat*).

Classes sociales, 365.

Coactivitas juris, 179.

Collisio officiorum, 185.

Commerce international, 457.

Communismus in genere, 263.

Commutativa (justitia), 104.

Compensationis (systema), 164.

Comte (Aug.): positivismus rejicitur, 223.

Concupiscentia: est passio, 43; quomodo influat in voluntarium (th. 7), 44.

Concurrence vitale, 351.

Conscientia (vide totum caput V, 155-167), de obligatione sequendi conscientiam, 156.

Contrat de travail, 301.

Coopération, 417.

Corporations, 410-417; caractère chrétien des corporations, 413-417.

Costa-Rossetti, de origine civitatis, 343.

Crise morale dans les Sociétés contemporaines, cf. Introd., p. XIII.

Criterium boni moralis, 64.

Cultes (liberté des), 373 et 377.

Curiel, de moralitate in genere, 78.

Damiron, de juris subjecto, 185.

Darwin, de origine civitatis, 337; de civitate, 351.

Delectationis (de moralitate), 84.

Democratia, 438.

Démocratie chrétienne (parti de la), 405.

Descoqs, de mente S. Thomæ de origine civitatis, 343.

Desperatio est passio irascibilis, 43.

DEUS : Summus ordinator, 3 sq. ; est objectum bealitudinis humanæ (th. 3), 23 ; beatitudo consistit in Dei cognitione (th. 4), 28 ; Dei perfectio fundat obligationem (th. 21), 118 ; Deus amandus (th. 24), 142 ; de officiis erga Deum, 229-232 ; Deo debetur cultus socialis (th. 63), 374.

Dispensatio improprie dicta, 151.

Divortium, 326.

Dolor : est passio concupiscibilis, 43.

Dominium : perfectum, imperfectum, 262.

Duballet, de obligatione scholari, 389.

Dubium : de modo dubium practicum deponendi, 158.

Duellum : prohibetur, 256.

Duguit, théorie du droit fonction, 178, n. 1.

Durandus, de moralitate in genere, 78.

Durkheim : ejus systema (morale scientifique) exponitur, 188-203 et refutatur, 203-207 ; — de bono morali, 51 ; de discrimine inter bonum malumque morale, 60 ; de criterio boni moralis, 67 ; de suicidio, 236 ; de fine civitatis, 350.

Ecclesia : relatio inter Eccl. et civitatem, 375 ; de natura potestatis indirectæ, 380 ; jura Ecclesiæ in re educationis, 390-392.

Ecoles sociales, 396.

Educatio, 382-392 ; educatio castitatis, 323, n. 1.

Egalité, 366.

Egoismi, ut aïunt, divini theoria refutatur, 12.

Electio (modus acquirendæ potestatis), 427.

Emptio (modus acquirendæ potestatis), 427.

Epicurus, de bono morali, 50 ; ejus Utilitarismus refutatur, 222.

Equilibre européen, 458.

Esparza, de moralitate in genere, 78.

Essentia physica, metaphysica, 29.

Etat (cf. civitas) : l'Etat et le droit de propriété, 283 ; l'Etat et les baptisés, 328.

Eugénique, 328 n. 1

Evolutionismus, 224.

Exsecutionis ordo, 5.

Exteriores actus, 93.

Eymieu, de fine ultimo, 75 n. 1.

Fama : de famæ defensione, 255.

Familia, 332.
